MENOLOGIUM CARMELITARUM IN DUAS DISTRIBUTUM PARTES: ALTERA...

Pietro Tommaso Saraceni





Collegii Illmi Cocinii



MENOLOGIVM CARMELITARV̄

IVXTA NOVVM-ANTIQVVM RITVM
SANCTISSIMI SEPVLCHRI
HIEROSOLYMIT. ECCLESIÆ
ROMANORVM PONTIFICVM
PIETATE
AD RELIGIONIS AMPLITVDINE̅ CONCESSV̄
AVCT. F. PETRO THOMA SARACENO
CARM.^A DE BONONIA

ET ERIT SEPVLCHRV̄
EIVS GLORIOSV̄
ISA. CAP. XI.

MENOLOGIVM CARMELITARVM

In duas distributum partes:

ALTERA

Memoranda continet acta Diuorum, quos ritu solemni, vetustus Eremitarum Ordo B. V. Mariæ de Monte Carmeli, Apostolica auctoritate, per vniuersum Orbem annuè colit.

ALTERA

Antiquata quædam, sed auspice Deo, resumenda eiusdem instituti festa, ob oculos, vnà cùm notis ponit.


OPVS

Curiosum, & hactenus à multis desideratum.

AVCTORE

Fr. Petro Thoma Saraceno de Bononia Carmelita Doct. Theol. Colleg. & S. Inquisit. Consult.





BONONIÆ, M. DC. XXVII.

Typis Clementis Ferronij. Superiorum permissu.

NOs F. Dominicus Rota de Bonon. S. T. Mag. & Doct. ac totius Congreg. Mant. Ordinis B. M. V. de monte Carmeli Vicarius Generalis: Dilecto nobis in Christo Religiosissimo viro, P. M. Petro Thomæ Saraceno de Bonon. Doct. Theol. Colleg. Concionatori laudatissime, & de nostra Congregatione Patri benemerito; præsentibus facultatem facimus, vt opus, cui titulus MENOLOGIVM CARMELITARVM, vnà cùm notis, Ordini nostro (speramus) valdè profuturum, per deputatos Patres diligenter examinatum, & approbatum liberè Typis, seruatis seruandis, committere, valeas: Et cùm sacræ, ac Orthodoxæ fidei, nihil repugnans, aut ab ea dissentiens contineat; imò Historica eruditione refertum, pietate redolens, ac nostræ Religionis zelo feruens, ad perpetuam sacrorũ vtriusq; sexus, nostri Carmeli Eremitarum memoriam illustrãdam, prælo dignissimum censemus. Dat. Bononiæ in Carmelo D. Martini Maioris Die XXX. Maij M. DC. XXVII.

D. Homobonus de Bonis, Pœnitentiariæ Rector, pro Illustriss. & Reuerendiss. Card. Archiepisc.

EGo infrascriptus fidem facio, me hunc, adm. Reuer. P. Mag. Petri Thomæ Saraceni, librum, qui inscribitur Menologium Carmeliticum, euoluisse, ac maturius considerasse, nihilq; in eo ab Catholica, & Romana fide, & Historijs approbatis, & bonis moribus alienum, non modo non contineri, sed potius doctrinam sanam, piam, & sacris Historijs conformem, ac tantæ Carmelitanæ familiæ dignam inuenisse. Quare in communem vtilitatem, maximè eorum, qui rebus historicis operã nauant, dignus est, vt excudetur.

Imprimatur ergo.

Fr. Hieronymus Onuphrius sacræ Theologiæ Bonon. Doctor Collegiatus, ac Sanctiss. Inquisitionis Consultor, pro R.mo P. Mag. Paulo de Garrexio Inquisit. Bonon.

BER-

BERLINGERIO GYPSIO
S. R. E. Cardinali Amplissimo,
Mœcenati Optimo, & Domino Clementissimo.



ENOLOGIVM, è turba Sanctorum, QVAM DINVMERARE, Ioanne teste, NEMO POTERAT, selectum, continens Acta Diuorum, quos Carmelitarum familia nouo-antiquo ritu, Romanorum Pontificum auctoritate piè veneratur, & vbiq; Terrarũ sanctè colit; sub ILLVSTRISS. AMPLITVDINIS TVÆ, clientela in hominũ ora tandem prodire volui. Tibi natum; Tibi multis sanè nominibus debitum, qua par est humilitate Oblatum venio. Illud certè doleo, non ea dicendi copia, atq; doctrinæ lepore ornatum publicari opus, quod eruditionem tuam deceat: At vbi de Sanctis, ac Sanctorum memorijs agitur, veritatem satius est innuisse, quàm exornasse: Etenim Sanctorũ Acta scribere, est DEVM in sanctis mirabilem præmonstrare; Tubaq; in Sion canere ad excitandos Populos, imitandis

illu-



illustrium virorum exemplis. Hoc MENOLOGIO, CARDINALIS AMPLISS. quorundam Carmeli Montis Eremitarum Acta cognosces, reliqua verò mearum lucubrationum, tunc limatiora prodibunt, si eruditissimam iudicij Tui limam subibunt; Te GYPSIVM lapidem, de Iacob exemplo, in titulum erexi; sub quo triumphent studia mea; Faxit Deus; vt hoc lapide quasi lydio probentur. Sunt enim tantæ molis naturalis Gypsi qualitates; vt ipsis mente agitatis, aut moralium lance libratis, de medio petrarum resonent voces, me iure Gypsium lapidem in triumphalem MENOLOGII sanctorum Carmelitarum titulum erexisse. Syriacum, Arabicum, Africum, Hispanicum Gypsum specie distinctum, Plinianæ collaudant Historiæ: At quid? Bononiense inclytum genere, cætera omnia vincit præstantia. Clarum quidem ab ortu GYPSIANE gentis stemma flexum nunquam, adhuc auspicatò consistit; cuius antiquitatis memoriam honoris gratia, paulò altiùs repetijsse iuuabit. Hinc Galucius Petri Gypsij, Friderici AHENOBARBI Imperatoris MILES STRENVVS, hoc ipso elogio Imperatoris sui priuilegio decoratur; & à consilijs Riualdi Estẽsis Ferrariæ Marchionis quarti Anno MCLXV. Gerardus Claudij Gypsij, Nouaræ Episcopus, & Cœlestini tertij apud Azzum Estẽsem Nũcius An. MCCXXXXVI. Matthęus Gypsius Mutinę Prętor An. MCCXXXXVIII. Luysius Luysij Gypsij filius Militiæ Præfectus apud Pinamontem Dominum Mãtuæ MCCLXXVI. Ioannis Lucæ Gypsij filius Protonotarius Apostolicus, Aureo torque donatus à Francisco Gonzaga Domino Mantuæ MCCCLXVI.

LXVI. Azzo Gypsius, cui nupsit Magdalena vnica Giberti Domini Corrigẽsis filia Carissima MCCCLXVIII. Ioannes, Ioannis Gypsij filius, Margaritæ Noruegiæ Reginæ Militum Dux virtute, fortuna, & gloria clarissimus, cuius Gẽtilitij stemma Leonibus exornauit An. MCCCLXXXVIIII. Petrus Frãciscus Gypsius Sacræ Rom. Rotæ Audit. in cuius locum, vita functo, suffectus est Alexander Ludouisius, postea Greg. XV. An. MDLXXXXVIII. Antonius Gypsius Legum Doctor Clarissimus in Almo Bonon. Gymnasio, suprema cùm admiratione, ad annos 50. professus: tandem Orator pro Vniuersitatis Collegijs ad Innocent. VIIII. electus, extremum diem lacrimatus clausit An. MDLXXXXI. At verò oculus in sereno hoc Cælo fulgentium stellarum spissitudine vincitur. CAMILLVS Gypsius ILLVSTRISS. A. T. Frater Germanus, Senatus Bononiensis splendor, Iuris consultorum, ac Politorum hominum gloria, summa probitate, & decantata virtute, totius Gypsianæ familiæ, hic locum implet. Quis eum non æstimat, honorat, admiratur? Verum super omnes (cogor dicere) Tua Purpurata Maiestas lucem quandam profundit eximiam; & Te lucẽte Gypsia fodina sublimior renidet. Gypseus lapis est natura mollis, pellucidus, specularis, Christalli glacialis ad instar; ignis arte albescens, ædificiorum lapides constanter adstringens; ad imagines elaborandas aptus: vino fortior (vt tradunt Naturales) cùm eius asperitatem, atq; ferociam ita mitiget, vt domet: Augusta sanè tanti lapidis elogia, heroicis virtutibus Tuis, accommodata quadam similitudine. Patere Illustriß. D.

quæ

quæ de Te sentio, quæ cæteri sentiunt liberè cùm admiratione proferre. Tu natura placidus, leporem suauitate vincis: Tu animi candore pellucens, Christallina velut serenitate fulges; Tu prudẽtiæ nitore in Republicarum, & Ciuitatum administratione solidissimam integritatem operum Tuorum præclarè splendescere, adhuc facis, & fecisti hactenus. Tu ædificiorum humanæ conuersationis studia, quasi lapides connectendos, tanta legum, & Consiliorum dexteritate compaginasti, vt pluribus summus Pontificibus clarissimus euaderes; nec quidquã Tibi tanti fuit, quod Te in densa negotiorum sylua à salutari hac sententia dimouere potuerit; Tu innumeras inuidiarum procellas; Tu ingruentis calumniæ tempestates, oppositis sapientiæ Tuæ flabris, adeò feliciter superasti, vt Te mortales, cum admiratione passim intueantur, & colant. Tu Ciuium iras, & municipiorum dissensiones, quandam quasi vinorum austeritatem, sæpissimè prudentiæ Tuæ robore mitigasti, edomasti; Hæc Gypsea virtus; Hoc virtutis præmium vnicum tibi semper; quod vel interrupta laude viuit, perpetuoq; viuet. His permotus VRBANVS OCTAVVS P. M. Te Cardinalitia dignitate vltrò donauit, vt meritorum Tuorum magnitudinem vniuerso testaretur Orbi. En igitur CARD. AMPL. quo iure in patrocinij titulum, MENOLOGIO meo, GYPSIVM erexi LAPIDEM. Esto precor IN LOCVM MVNITVM sanctis meis: Ità operis huius Cãdidi Lectores, aura tuæ protectionis afflati, illud vel piè legẽt, vel modestè corrigent; qui verò non ità candidè decurrẽt, procacitatis luto incrustare verebũtur,

quod

quod ILLVSTRISS. A.T. nomine, & Gypsiana Familiæ ornamentis insculptum cognouerint: quos verò Sanctorum horum exempla, labores, carceres, fortitudo, Doctrina, Constantia, fides, vulnera, atq; sanguis pro Christo effusus non trahit; Gypsius lapis in titulum erectus suauiter trahet. SARACENORVM FAMILIAM in tua semper clientela agnoui; me quoq; tui obsequentissimum, atq; mea sanctorum mellificio condita libẽter acceptare non dedigneris; vt Dauidicum illud canere valeam, IN PETRA Gypsea paratum inueni REFVGIVM HERINACIIS, hoc est humillimis Eremitis, & Religiosissimis CARMELI Sanctis. Tu ergò Patrone Maxime, hoc CARMELITARVM MENOLOGIVM Animi mei testimonium, licet exiguum, virtutibus Tuis sacrum monumentum lubens, volensq; accipe.

Bononiæ è CARMELO D. Martini Maioris Die 15. Mensis Iulij MDCXXVII.

Illustriss. A. T.

Humillimus, ac deditiss. Seruus,

F. Petrus Thomas Saracenus Carmelitarum minimus.

Marmor æternabilis.

ELIÆ, ET ELISEO

Magnis Carmeli Vatibus,

Paciferis Candelabrorum Oliuis, Et Aureis Oliuarum Candelabris,

In Igne Metuendis, In Aquis Admirandis,

In Aeterna Dignis Viuere Rosa,

Patribus Optimis:

Quorum

Alter Ante Christum Regnat, Pro Christo Moriturus;

Alter Ante Christum Moritur, Cùm Christo Regnaturus;

Alter Regem Vngit, Quam Leana Baalita Spongia Tergit;

Alter Paterno Albescit Pallio, Vt In Materno Conflorescant Filij;

Alter Sacros Perdentem Vates, Canum Laniena Perdit;

Alter Sepulchro Datus, Aram Vita Sepulchrum Facit;

Alter Pulsus Fame Fugit, Somno Leuatus Epulo Recreatur;

Alter Cælites Armat, Vt In Ipsum Armatos Destruat;

Alter A Regibus Abhorret, Et In Orebo Regum Regem Adorat;

Alter Igneo Dorso Scandit, Rediens In Orbem Malos, Vt Vrat;

O Vos Deiparæ Præcursores, Summi Solis Phænices;

Vobis

Elementis Potentioribus, Mundi Miraculis,

In Posteritate Perennibus;

Post Mille Exantlatos, In Carmeli Theatro Sudores,

Pennam Cordis Interpretem, Et Cor Pennæ Dictitans,

Vestra Virtutis Aras, Et Statuas, Vestri Honoris Arcus, Et Trophæa,

Qualiacunque,

Fr. Petrus Thomas Saracenus Humilis Filiorum Filius,

Cliens, Lubens, Lubens,

D. D. D.

M. DC. XXVII.

Legenti Candido.



IN lucem tandem CARMELITICVM MENOLOGIVM edimus; Exitum precamur illi felicem. Tu scribentis tarditatem, veritatis sollicitudine compensato. Remotiora difficiliora. Sera messis fœcūditas, aut vindemia in autumnali occasu, siue oliua postremus fructus reprehēdi non solet: vel teste D. Ambr. in Symmac. Opus .n. non fuit incubando fouere, & Vrsino more, fœtum lambendo efformare; Ea sanè prodit forma, qua ipsum, iam inde à principio, nobis concinnaueramus; vt publicum in claustris Moderatorem, secretum in Cellula consilij datorem; & dulce in laboribus solatium haberemus; Hisce contenti limitibus vltra non Laborauimus. Exploratissimum est Heroum immortalium Acta præclara admirationis studio quidem inquiri, calami verò sudoribus, pro dignitate satis explicari non posse; quid nos tantilli cum superis? Nos equidem Sanctorum vitas, & melioribus priscorum pietate lineis expressas, & inter fidelium manus feliciore in dies versari gressu, iām perspectū habebamus: Ea tamen quæ in perantiquo Sanctorum Carmelitarum Menæo tradūntur non sine maximo labore expiscata, & in vnum veluti corpus congesta, pro stili tenuitate, priuatìm parasse Animæ (vt breuem, ac priuatam quandam teneremus Amussim, ad quam Vitæ rationē dirigeremus) nobis sufficebat; Ad æmulandam enìm virtutum præstantiam, Sanctorum gesta quam plurimum valent. Hoc mentis nostræ consilium.

At non vulgares amici, quibus hoc Menologium descriptum ostendimus, summis vrgere cæperunt precibus; vt prælo qualemcunq; hunc committeremus laborem; Auari, dicebant, est Animi communes priuatim retinere diuicias: Cessimus; Et quod initiò ipsi negauimus, nunc Amicorum efflagitationibus, & Maiorum

noctibus libenter Agimus. Mutatio dexteræ excelsi, cuius est homi-
num corda immutare. Greg. in 1. Reg. cap. 10.

In lucem igitur Menologium hoc Carmeliticum prodeat; concedimus: Piè Lector; perlege, & fruere, Hic, Sācti, quos Sacra nostra Collegia Apostolico diplomate, per vniuersum orbem redeunte celebritate, prisca venerantur pietate, delineata reperies. Hic Sanctorum huius Menologij Originaria è genuinis fontibus, robusta & constanti fide, proprio recudimus stilo. Hic ab Apochriphis, obseruatâ ob religionis maiestatem, omninò exulare iubemus. Hic, omnium Nationum, omnium Ordinum, atq; temporum Diuos ad Carmelitici Breuiarij præscriptum idēre, conamur. Hic, vnam tantum scribendi formulam retinemus, vt ipsa scriptis nostris, per omnia dominetur vniformitas.

Liberè fatemur, nos pias horum Sanctorum vitas errantes collegisse, dispersas in vnum redigisse, obscuras illustrasse; vt Sancti, quorum honori desudare studuimus, patrocinio obtēto, Animam propriam in hoc laborantem ergastulo, Deo, Deiparaq; Virgini summis precibus commendatam darent. Nil aptius attestamur ad mores componendos Sanctorum Vitis. Cùm Radero ergo pijssimo viro in Viridarij præfatione scribere lubet: Longum iter est per præcepta, breue, & efficax per exempla docere, cùm in rem quasi præsentem venitur, & Sanctorum interesse vitis licet. Hæc omnia tibi imitanda putes. Alia admirari possis, alia venerari, æmulari plurima. Si te vestium cultus asperior, si hirta setis; horridaq; tactu subucula, si positum humi cubile, si domus è cespite erecta, paleisq; tecta; imò si nulla aduersus Cœli rigorem suffugia territant, si indictam ventri, auro, Veneri, odium, bellumq; æternum à castris Heroum te excludit, si insomne torquere corpus luctu exhaurire non potes. horum Sanctorum vitas attentè legito, & sæpè decurre: disces omnia posse in eo, qui te confortat. Disces irarum fluctus frangere, modestiam amare, fastum execrari, pudorem custodire, mediocritatem sectari, humana despicari, æterna spectare, mortem, & quæ sequentur illam formidare, sperareque, vel sempiterna Cœlitum gaudia, vel infelicium timore apud inferos tormenta. Sanctorum profectò vitæ; Nouitijs Tyrocinium, prouectioribus speculum, & perfectioribus admirādum, omnium virtutum solent esse exemplum.

Læto

Læto igitur animo, Lector, exiguo hoc Sanctorum Carmelitarum Menologio fruere. quamuis enim in nostris Carmelitarum Annalibus, quos in dies magno cùm sudore molimur, omnes ordinis nostri annuos progressus, ab Elia primo Patre nostro vsq; ad Ioan. Bapt. & à Io. Bapt. vsq; ad ordinis confirmationem, fusè cum Sanctorum nostrorum vitis delineentur: lubuit tamen Menologium hoc seorsum Typis tradere, vt obedientia ducti rerum nostrarum amantibus, & Carmelitico vtentibus Breuiario, spiritualis aliquid præstaremus solatij. Illud interim Salomonicum Eccles. cap. 3. memoriæ insideat Legentium: Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat Matrem suam. Vale.

Ecclesiast. Cap. 48.

Laudemus viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua.

Ex S. Gregorio P. Moral. Cap. 24.

Viua lectio, est Sanctorum vita.

Cyprianus Epist. 37. siue lib. 3. Epist. 6.

Dies eorum, quibus excedunt, annotate; vt commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.

Ex D. Bernardo Abb.

Serm. in Vigil. Apostolorum Petri, & Pauli.

Tria sunt, quæ in Sanctorum festiuitatibus vigilanter considerare debemus: Auxilium Sancti, exemplum eius, & confusionem nostram.

Gelasius in Concil. 70. Episcoporum.

Quædam tamen secundum auctoritatem antiquam, vel consuetudinem, singulari cautela, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur, nè vel leuius subsannandi oriretur occasio.



Me-

Menologij Elenchus.

1 SAnctus Pater Elias Propheta, Ordinis Carmelitarum institutor; Rapitur in Cœlum Anno mundi 3139. ante Christum 914. colitur die raptus eius 20. Iulij. Dupl. primæ classis, cum octaua, vt in proprio Breuiarij.

2 S. Eliseus Propheta Ord. Nost. Generalis secundus. Moritur Samariæ Anno 3204. ante Christum 849. eius cineres Ianuæ, caput verò Rauennæ fertur adseruari. colitur die 14. Iunij. Dupl. primæ classis, cum octaua, vt in Breuiario.

3 S. Dionysius PP. & Conf. ss. Ord. nost. Moritur Romæ An. 272. die 25. Decembris. colitur translatus in diem 19. Ian. dupl. offi.

4 S. Spiridion Confess. ord. n. Moritur in Cypro An. 338. colitur die 14. Decembr. dupl. offic.

5 S. Hilarion Confess. ord. nostri. Moritur in Cypro An. 372. colitur die 21. Octob. dupl. offic.

6 S. Serapion Confess. ord. n. Moritur Antiochiæ An. 390. colitur die 30. Octobr. dupl. officio.

7 S. Eufrasia Virgo Ord. n Moritur in Thebaida Aegypti Anno 401. colitur die 13. Martij. Dupl. officio.

8 S. Eufrosina Virgo Ord. n. Moritur Alexand. die 1. Ianuarij An. 430. colitur translata in diem 1[illegible] Februarij. dupl. offi.

9 S. Cyrillus Episcop. Alexand. Ord. n. moritur Alexand. An. 454. colitur die 28. Ianuarij. dupl. offic.

10 S. Anastasius Persa Mart. Ord. n. moritur Anno 627. colitur die 22. Ian.

11 S. Gerardus Episcopus, & Mart. Ord. n. moritur in Pannonia martyrio coronatus Anno 1047. colitur die 24. Septemb. dupl. officio.

12 S. Bertholdus Confess. ord. n. Carmelitarum Generalis Latinorum primus, moritur An. 1165. colitur die 29. Martij. dupl. offic.

13 S. Brocardus Confess. secundus Latinorum Generalis ord. n. Moritur Anno 1207. colit. die 2. Septemb. duplici offic.

S. Cy-

14 *S. Cyrillus Confess. tertius Generalis ord. n. moritur in Carmelo Palest. An. 1210. colitur die 2. Martij. Dupl. off.*

15 *S. Albertus Patriarc. Hierosol. Eccl. ord. n. moritur in Carm. Palest. An. 1213. colitur die 8. Aprilis. dup. off.*

16 *S. Angelus Mart. ord. n. moritur Leocatæ in Sicilia an. 1220. colitur die 5. Maij. dupl. offic.*

17 *S. Simon Stock Anglus Conf. ord. n. moritur Burdegaliæ An. 1265. colitur die 16. Maij. dupl. officio.*

18 *S. Albertus Confess. ord. n. moritur Messanæ in Sicilia an. 1292. colitur die 7. August. Dupl. offic.*

19 *S. Petrus Thomas Doct. & Mart. ord. n. moritur Famagustæ in Regno Cypri Ann. 1373. colitur die 6. Ian. translatus verò in diem aliam. dupl. off.*

20 *S. Andreas Fesulanus Episcopus ord. n. morit. Fesulis, tumulatus Florentiæ an. 1373. die 29. Ian. dupl. off.*

21 *S. Auertanus Lemouicensis Confess. ord. n. moritur Lucæ in Tuscia an. 1380. colitur die 25. Febr. dupl. offic.*

22 *S. Teresia Virg. ord. n. moritur Abulæ in Hispania Ann. 1582. die 4. Octob. ex concessione Pontificis die 5. dupl. officio.*

23 *B. Mariæ Magdal. de Pazzis Virgo Florent. ordin. no. moritur anno 1607. Beatificata ab Vrbano 8. anno 1626. die 8. Maij. expectatur officium eius.*

24 *Venerabilis P. F. Ioannes à Cruce Hispanus S. Virginis Teresiæ à Iesu Carmelitarum discalceatorum Matris, ac Sororis nostræ primus filius, ac fidelissimus coadiutor, Theologiæ mysticæ sublimis Doctor, Diuinis assuetus colloquijs, sanctitate, & virtutum operationi clarus, qui obijt Vbetæ die 14. Decemb. Ann. 1591. ætatis suæ 49. hoc loco adscribẽdus esset: sed calamum suspendimus, expectantes in diem à sacra Congregatione illius examinatam vitam, iussu Sanctiss. P. & D. N. Vrbani VIII.*

Apocalyp. Cap. Quarto.

In circuitu sedis sedilia viginti quatuor, & super thronos, viginti quatuor seniores sedentes, circum amicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.

Per viginti quatuor seniores intelligendos esse, præstantissimos quosque sanctos, ac præcipuè Prælatos, & Doctores vtriusq; testamenti, qui numerus ex duodecim Patriarchis, & duodecim Apostolis conficitur, non dubitamus. Vnde Blasius Diegas in Apocalyp. cap. 4. sect. 4. cùm numerus duodenarius dicat vniuersitatem, in duodecim Patriarchis, præstantissimi quique sancti veteris testamēti, & in duodecim Apostolis, excellentes viri testamenti noui, optimo iurè accipiuntur: Qui seniores, tùm propter antiquitatem, tùm propter morum, doctrinæq; grauitatem appellantur: quam eandem ob causam in Thronis sedent, quia in fine mundi iudicabunt.

Hæc sanctis Carmelitis vtriusq; Testamenti, quorum memoriam in Breuiario nostri instituti, Pontificis auctoritate, per Anni circulum piè celebramus, non ineptè accōmodari cognoscimus: tum quia in vtroq; testamento floruere; tum quia in fine item mundi, cum Elia Duce nostro in Antichristum, & eius sequaces exurgent. Vide Honofrium Manescalchum, tractatu 2. de Antichristo cap. 28. §. 2.



VITA
MAGNI VIRI DEI
ELIAE PROPHETAE

Ordinis Carmelitarum Fundatoris primi, & Patriarchæ adhuc viuentis.

Ex ijs, quæ in sac. Script. pluribus in locis à D. Ambros. de Elia, & Ieiun. D. Epiphan. de Vitis Prophet. Petro de Natal. Ioanne Paleonid. Iacobo Saliano in sac. Annal. Tom. 4. August. Torniellio in Annal. Ioan. Carthag. Alphonso Vill. Didaco de Coria. Valerio Ximenez, & alijs.

Vixit sub Achabo Rege. Anno 15. ab Ordinis institutione, viuens ad terrestrem Paradisum raptus. Colitur à Græcis Catholicis, & in Ordine nostro die 20. Iulij. Greg. 13. Principe sempiterni nominis concedente.

ENARRATIO.



AGNVS Dei Vates Elias, is, quem vniuersa Carmelitarum familia conditorem, ac parentem agnoscit; Anno ab orbe cōdito nongentesimo, supra ter millesimum, ex Tornellianis, Salianisque annalibus, inter mortales, regnantibus in Israele Achabo, & Iezabele Sydoniorum Regis Idololatræ filia, tāquam immortale sydus præfulgere, cæpit. Hic in ea Galaaditana regione, quæ ad Palestinam pertinet, in terra, quam sanctam appellitant, in for- — *Eliæ ortus.* — *Patrium solum.*

 tibus,

tibus, tribuum, & dimidiæ, vltra Iordanem, ad orientem, in parte sortis Gaad, in Ciuitate Thesbæ, vnde Thesbita, vel Thesbon, ex Iosepho heb. lib. 8. cap. 7. Abul. 3. Reg. cap. 17. Ioan. discal. in Reg. Carm. Christianus Adrichom. Paleonidorus, & alij. Elias noster patrium obtinuit solum.

Denominatio.

Augustissimum, claro parentum stemmate, atq; generosa Heroum prole, gentilitium duxit: De quo etsi sacræ sileant scripturæ; Sobacam tamen, ex Beniaminianæ gentis sobole patrem, ortamq; regali progenie Matrem agnouisse tradunt præstantissimi viri, Mag. in Hist. S. Doroth. in Syn. Epiphan. de vitis Prophetarum, & alij. Cuius rei gratia redditum corona Carmelitarum circunfertur stemma. Petrus Corneius & Franc. Paz Salmaticensis, in Assertioni. Theolog. de Elia, Romæ anno 1613. in Comitijs generalibus strenue coram Illustrissimorum Card. Cœtu propugnatis. At Elianæ genealogiæ registrum ab Epiph. viro in primis sancto, & docto, hæresi 55. contra Melchisedecianos. & Ioanne 44. apud saltanum latissimè habes.

Nobilitas

Eliæ ortum diuinitus præindicatum accepimus. Etenim Sobacam, vt erat egregiæ pius, per somnia quamplures vidisse, contestantur scriptores Patres. Dum enim in dies caraceristebatur Coniux, Virgo sole fulgentior, homini altè somnianti placida apparuit. Hanc, candida veste viri virginesq; pronæ flectendo adorabant, eiq; certatim inseruire, iubebant. Ab huius per somnum velatæ virginis, quasi adurente pectore ignes auferrebant, & alterno inuicem ori, præmissis salutationibus, propinabant edendum. Enixum inde puerum magna illorum caterua sequebatur. Petri Canisij de corrupt. Verb. Dei lib. 1. cap. 1. verba paulò varia ex Epiphanio in vitis Prophetarum cap. 5. hic inserenda censui. Eliæ pater Sobaca vidit filium ab Angelis albicantibus salutari, & igne tanquam fascijs inuolui, flammaq; ignis veluti cibo, sustentari, quod portentum cùm patrem animo dubium, & admirabundum teneret, profectus est statim Hierosolymam, & ad sacerdotes visa retulit. Cui respondit oraculum, fore vt puer in luce habitaret, & quæ diceret pondus atque auctoritatem haberent, quodq; in gladio, & igne Israelem esset iudicaturus. Hæc ille.

Prognosticon.

Eadem visio Paulo varia.

Ac-

Accipe D. Epiphanij verba de Vit. & inter. Prophet. cap. 5. in Eliam. Quem cum eniteretur parens eius eiusmodi Sobat Patri visio apparuit. Viri niueum quendam præ se ferrentes habitum, pusionem salutabant; matrisq; vberibus in ignem assuebant (& Virginem candidissimam, & splendentem adorabant, subdit Ioan. 44.) quin & flammam ignis cibi loco ministrabant: Profectus est itaq; genitor in Hierusalem, visaq; ad sacerdotes retulit. Respondit autem illi Chrematismus (hoc est oraculum siue responsor) caue manifestum facias, erit quippe lumen filius huius domicilium, sermoq; eius, demonstratio, ac sententia breuis, & iudicabit Israel cum in igne, tum romphea. Hæc Epiph. quod in Carmelo monte inter ipsum Eliam, & Baalites Prophetas, Rege & populo, conspectantibus 3. Reg. cap. 18. adimpletum scimus. Abulens. quæst. 58. ca. 4. Reg. 4. & Rabini omnes apud Salianum.

Prognostici verificatio.

Ex epiphanio ad verbum.

At mirandum eius conceptum, animo complectamur. Etenim Eliæ animam tot spiritualium ornamentorum delitijs, Deus ipsius conditor ab æterno exornandam decreuit; vt in natura dignitate (Christi Domini nostri, ac Deiparæ Virginis Animabus exceptis) ipsam nulli cedere, doctissimi viri, hac fortasse ducti ratione asseuerare, non sunt veriti. Quod videlicet, Eliæ Anima prædestinationis dono, ad tot gratiæ munera tantamq; euecta fuerit gloriam, vt neq; D. Ioanne Baptista in gratuitis inferior esset. D. Augustini acumen in quæst. vet. & noui testam. expende q. 26. inquiens, quod cùm Math. cap. 11. dixerit Dominus, nemo inter natos mulierum surrexit maior Ioanne B. Non dixit omnibus maior est, sed nemo illo maior est. Hoc est, æqualem habet, maiorem non habet. Elias ergò par illi est, nullo vtiq; minor. Hæc ille. Idem comprobari potest. Quod Eliæ Anima vni illo Corpori, quod perpetua florere debebat virginitate, vti forma, infundenda erat. Quod ante natalitium diem, ab originali labe sanctificationis gratia emundanda in materno vtero erat. Quod idem Corpus natura vtiq; mortale, passibileq;, immortalitatis priuilegio, immortalem quodãmodo, & impassibilem duceret vitam. Quod igneo tandem curru auectum Cęlo, incombustum, inęgrotabile, neq; senescens, neq; famescens ad vsq; martyrij lau-

Eliæ conceptus mirabilis.

ream, nouissimis Antichristi consequendam temporibus, per-
duraturum erat.

Annus Natiuitatis. Ortum atq; eiusdem Cunas, modò delineare, contendo. Anno 3123. post mundum conditum, apposita ex Salianis Calculis enumeratione, de qua fusè in meis aduertētijs ad tripartitos Carmelitarum Annales natum censemus Parentem nostrum. Is in lucem editus, in prima eius pueritia, circuncisione, Religionis gratia, de more præmissa, ELIAS nomine, quod Deus Dominus, vel Sol; Chrisostomi homil. 3. de Elia Tom. 1. Sedulij, & Bedæ q. 18. in lib. Reg. interpretatione, sonat, insignitus ea fortè ratione, quod Deus, in Israel per eum magnificandus erat; vel quia ad instar Solis, Israeliticum currum, inter Domini Prophetas, fœlix Auriga, Religionis Ecclitica, directurus esset. Is in vitæ foribus, & ab ipsis incunabulis, seuera disciplina, à suis educatus, cum Nutricis lacte, nectaream prauenientis gratię dulcedinem, auidè suxit. Is adhuc quinquennis igneos Religionis impulsus, per viscera discurrentes, sentire cœpit. A quo tempore, pietatis studia, & rerum cœlestium ardores, ita flagranti desiderio, simplex eius Anima colere, instituit, vt nedum cognatos, & proximos, in admirationem raperet; sed cælites ipsos puerilibus orationibus, attentos, & admirabundos, ſępissimè ad se traheret. In hac ipsa tenella ætate, adeò robusta spiritus, & virtutum semina coalescebant, vt Ioannem ipsum Messiæ Præcursorem, in Eliæ spiritu, atq; virtute venisse, incarnatum Dei Verbum testatum, Lucæ primo reliquerit.

Circuncisio.

Nominatio.

Educatio.

Pueritia.

Quintum cùm superasset annum, insignem Vatum magistrum Hannanim, cuius præconia sacri codices, Primo Paralipom. c. 16. Tertio Reg. c. 16. & Nehem. c. 12. clarè decantant, à diuina benignitate erudiendo huic alumno, paratum optimo iure, censemus. Sub tanti Præceptoris disciplina, in omnia diuinarum scripturarum studia incumbere, vehementi desudabat cogitatione. Is psallere, diuina Philosophari, & Deum, super omnia deligere ac timere, breui temporis spatio, præcæteris eo docente, didicit, & ità in casto eius pectore virtutum flores adolescebant, vt in immensam sanctimoniæ suauitatem spiritus eius erumperet. Hunc eundem duodennum,

Præceptori traditur

Eliæ studium.

mo-

mouente Spiritus sancti aura, vniuersorum Domino, se se to-tum vouenda castitate dicasse affirmant nostrates. Solitudi-nibus, & status Heremitarum more, vt sponsum Deum ad eius cor intimè loquentem audiret, mirificè capiebatur. Vehemens admodum in dicendo, in consilijs, in arduis, tractandisq; ho-minum ingenijs senili quadam maturitate, sanctitati semper annexa praeclarissimus omnibus apparebat, quorũ opinionũ, & conceptam expectationem æquauit, superauit eius indu-stria.

Iam adolescentiæ flos ætatis conficiebatur, cùm trigesimum circiter annum attingeret, nec apud populos, adhuc publico concionum officio functus, & si diuino actus spiritu, futuro-rum plura pluries prophetando priuatim eructasset, cùm pro-phetarum nemini citrà præscriptum tempus, publicus permit-teretur sermo. Hoc igitur memorabili anno Sacrum concio-natoris munus, auctore Deo, maxima cum populorum admi-ratione exercere, cæpit. Tota autem primæ huius concionis ratio, fuit eiusmodi. Achabus Israelitarum Rex præpotens, cùm paulò antè, Iezabelem Sydioniorum Regis Idololatræ fi-liam inuito populo, in vxorem duxisset, eodem item tempore blanditiarum nouæ sponsæ statu, Baal Idolum sydonicum ab vniuerso populo, heu, miserè adorandum inuexit; quod & si pietatis cultoribus, & diuinæ legis obseruatoribus, infandum hoc scelus valdè molestum initio fuerat, Eliæ tamèn intolera-bile, visum est flagitium; quare cunctis, Regis edictum com-probantibus, atq; silentibus timore perculsis, ipse solus diui-no impellente spiritu, in regiam hanc prauitatem, impetum pro Dei gloria facere, & idolũ, idololatriamq; diffusam dissi-pare animo, secretò statuit; Die Decreta, in mediam Senato-rum Aulam intrepidè irruens, ignis ad instar surrexit, Eccles. cap. 48. & verbum ipsius quasi facula ardens, concionum a-ciem, in ipsum Acabum Regem direxit, quem tàm valida ma-nu, rationumq; obsidione vallauit, atq; minarum ictibus, ità percussit. 3. Reg. c. 17. vt cum Rex ipse, vniuersusq; populus eius, triénali vexaretur fame, teste D. Iacob. c. 5. certò interire, timuerit. Videndus est D. Aug. de mirab. sac. script. lib. 2. cap. 15. quatenus .n. mala in terra exacerbassent cœli cle-mentia, & aeris commoditate carerent. Con-

Eliæ Adolescentia, & iuuentus

Eliæ prima cócio.

Ratio concionandi.

Dicendi vehementia.

Cœlo & terræ imperat.

Concione stilo vehementi habita, pluuia obediente Cœlo suspēditur, & ad Charitanam Eremum, feruidus orator versus orientem, iussus statim conuolauit. Quæ de Charitana hac solitudine siccitatis tempore piè contemplatus doctus Salianus, accipite. Elias, inquit, intima Dei familiaritate fruebatur, Deum sæpè loquentem audiebat, & ipse viciſſim Deum alloquebatur, & in contemplatione diuinæ sapientiæ, prouidentiæ, Bonitatis, Potentiæ, Pulchritudinis, liberalitatis, immensitatis, iustitiæ, misericordiæ, æternitatis, cæterorumq; Diuinæ maiestatis attributorum placidiſſimè acquiescebat. Multa quoque ille cùm Angelis, quorum vitam, ac puritatem, imitabatur in terris familiaritate, ac consuetudine sermonibus vtebatur. Hæc ille. Vnde D. Ioannes 44. inter densas, atq; insuetas illas nemorosas solitudines, Eliam nostrum diuinitus edoctum, de viuendi forma, quam deinceps cùm prophetarum filijs, quos ipse Dominus aggregaturus erat perfectioris vitæ instituendæ caussa excogitasse scribit. Cuius assertum nostri omnes valdè comprobant.

Eremum petit.

Eremi exercitia.

Hic quomodo fugatos, & regio edicto dispersos Domini Vates in vnum Deo reuincire, quomodo nostræ familiæ ordimenta prætexere, excelsi animi sui altitudine, syluester ille domesticus Pater agitare, cœpit. Nec meditatio incassùm. Cùm viri pij receptæ Samuelis Prophetæ maximi disciplinæ addicti; illi inquàm, quos vrgente Iezabelis persecutione in speluncis, & Antris abditos, ne in vitę discrimine, venirēt diù pauit Abdias, Angelorū excitationibus, ac præmonitionibus, mira quadam celeritate, nemine impediente, ad solitarium patrem conuenere, cui se in filios, religionis tuendæ caussa, vltrò consignarunt. Horum recreatus præsentia immortales diuinæ clementiæ gratias flexus agens, vt æquum erat, maxima cordis dulcedine, & animi gratulatione, syluoso tecto illos recepit. Tanta commilitonum actus caterua, vir, cui cœlum obsonia ad victum, in dies parabat, de remolienda lege, de prophetarum castris, aduersus sacrilegam Baalitarum aciem instruendis, atq; de stabiliendo, quàm maximè ad Dei gloriā, & animarum salutem, prophetico ordine, voluntaria conspiratione, coalito, verba lacrimatus fecit. Placuit Eliæ sermo,

Carmelitarum primordio.

&

& omnium in vnum congruere sententiæ. At cùm temporum importunitate, & loci incongruitate, difficile admodum esset, rem tàm magnam, & arduam ad exitum, vnica perducere consultatione, holocaustis, precationibus, ieiunijs, & assiduis corporum afflictationibus, prius insistendum, vt Deo propitio, rectius deliberarent; in commodiorem aliam consessionem, maturiori spiritu formulam viuendi constabiliendam traduxerunt. Pulchrè verba illa Eccl. cap. 48. Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis successores post te. Quæ ad literam de Carmelitarum familia expresè tradunt, præclarissimi viri, D. Ioan. 44. Patriarcha Hier. Diegus de Coria, Ioan. Carthag. & alij.

Sudore in fundatione.

Consultationes.

Consalutationibus factis, ad propria, dùm vates Domini remearent, opportunius coniungendi; Achabi Regis ministri Eliam, vt inuenirent, vinctumq; ad Regem adducerent, incassum defatigabant: Non enim quem Deus abscōdit, in abscondito faciei suæ, inueniri ab hominibus potest. Mactandos prophetas Domini apertè mandabat debacchata Iezabel; fugatos ipsos, mira Dei arte, in nouam traducere vitā studebat Elias. Illa pseudoprophetas perdendos opiparè pascebat, extollebat; iste dispersos, honoribus exaltandos congregabat; illa in viros Dei dementata rabide furebat; Iste pacato illos, quidem animo illos, qui Virgini Reginæ in posterū, spiritu, & corpore dicandi erant. O vanas hominum cogitationes cōsolabatur.

Achabi inquisitio.

Iezabelis furor.

At inauditum, illudq; iucundum referam. Vbi enim de Carith torrente aqua arrentium faucium sitim restinguere curabat Elias; ibidem Angeli specie tecti coruina, cælico asportato cibo, in dies illum recreabant. Quis hæc non miretur? Quid amabò cùm Angelis semper ieiunis Corui voraces? An non vt vbi minus sperandum, prouidente Deo, fidelium spes augeretur? An verò vt Auis illa, quod Noæ infidelis, minister Eliæ fidelis inueniretur? Hæc fusè D. August. de mirab. sac scrip. lib. 2. cap. 15. Præter fluentes torrentis aquæ siccarunt, cessante Achabo inquirere, & Dominus statim, vt in sarephtam iter arripiat, vocis oraculo, monet: fidens Elias conuolat, de incognite Viduæ mensa prouisus, vt illi versauice, in tanta rerum inopia prouideret in posterum, apud quam tandiù mansurus, quan-

Elias à Coruis pascitur.

Sarephtā petit.

quandiu nouo Dei præcepto, alibi migraturus esset. Viduam ligna legentem inuenit, alloquitur more sanctorum, piæ mulieris sensim viscera ad pietatem mouentur, confidens hospitio recipit illum, illumq; subcineritij panis buccea alacri sustentat vultu; O rem mirandam, farinula in eadem domo succrescit in immensum, & oleum in vase, tantùm diuinis incrementis superabundat, quantum ad vsum quotidianum ipsa detrahebat. 3. R. cap. 17. Moritur interim hospitantis Viduæ filius, quem ter orans, & oscitans ad vitam paulò post reuocat 3. Reg. supra. Hunc Ionam fuisse, testantur D. Hieronim. in Ionæ prologo D. August. ad simplicia. lib. 2. quæst. 5. item de mirab. sac. scrip. ca. 15. & Rabini omnes à quibus nec lato vngue nostri discedunt.

Farinæ & olei miraculum.

Puerum mortuum suscitat.

Verba B. Sulpitij Seueri agnosce, in sac. Hist. lib. 1. Trium annorum & sex mensium sterilitate tandèm fugata, Lucæ cap. 4. & D. Iacobi ca. 3. Elias Domini iussu Achabum Regem idololatrum, Abdia interpellante adijt, & ei Baalim sacrilegio, atq; prophetarum eius mensa exprobrata omnem popo scit populum in Carmeli monte congregari, sacerdotibusq; luc orum, & Idolorum accitis nu. 450. inter eos inde orta est altercatio de Deo in Israel adorando; Elias Dominum Cœli prædicabat, illi vero Baalim venditabant; Periculum faciendum decreuerunt, vt cuiusuis cæsam hostiam, missus Cęlo ignis absumeret, eius certa esset Religiò. Occiso itaq; Boue, Baalim sacerdotes pro Deo primi inuocare, cæperunt, at qui in igne degebat, ignem dare nequibat. Inuocationibus consumptis, Dei sui imbecillitatem tacitè secum fatebantur; cùm autem ad meridiem nemine exaudito vèritassent, Bouem subindè Cęsum Magnus Elias imposuit, cùm prius sacrarium replesset aquis, & Deo Cœli inuocato, cunctis spectantibus, illicò ignis Cœlo, auersante natura delapsus, hostiam, cùm aqua, & altari, & lapidibus absumpsit. Victoria de pseudoprophetis parta, ad Torrentem Cison gladio perdidit illos omnes, qui vniuersum in Israel perdebāt populum. Hec Seuerus Sulp. in sac. Hist. lib. 1.

Ad Regē reuertitur

In Carmelo cōgregat idololatras.

Sacrificiū pseudo prophetarum

Eliæ sacrificiū per ignem.

Victoria Eliæ Pseudo prophetarum occisio.

Sūpto de impijs sacrificulis supplicio ad pluuiā impetrandam animum conuertit, quare magnus P. Elias Achabum Regem in prophetarum nostrorum Conuentum ascendere cibo,

Pluuię miraculum.

potuq;

potuq; recreari iussit, vicinum .n. pluuiæ sonum audiebat, ipse verò in Carmeli verticem ascendens, pronus facie inter genua posita cœpit orare. Pro igne statim exauditur pro pluuia exaudiri, differtur. Vnde misso puero (hic est est socius Carmelita) septem vicibus, contra mare ad occidentem, ipse prospexit, & in septima vice, paruam, quasi vestigium hominis, consurgentem nubeculam vidit. In cuius figura Deiparam Virg. mundo nasci turam, Virginitatis in nouo testamento primiceriam, Monasticiq; sui instituti Protectricē prophetico afflatus spiritu præintellexit.

B. Virginis præfiguratio.

In huius autèm memorandæ visionis loco, grati animi ergò Carmelitæ post sacram Dominæ nostræ in cœlum Assumptionem, Templum à fundamentis curante S. Fronte Carmelita, apud Ioan. Paleon. lib. 2. cap. 2. sub anno Christi 87. vt in Tripartitis meis Annalibus, opere mosaico, erexere, Primùm in vniuerso Orbe, immortali Nomini eius dicatum. Iosephus de perfecta mil. cap. 12. Hier. Platus lib. 2. cap. 22. Ioan. Cartág. in festo B. Mariæ de monte Carmelo. Tom. 4. lib. 17. Hom. 3. & omnes nostrarum Historiarum versati. At de his alibi fusiùs.

Primum Tēplum Mariæ dicatum.

Ad Eliam iterum. Is enim præuisæ in nube Deiparæ virginis se totum humilitèr tradidit, cui itèm iacienda nostri prophetici ordinis fundamenta, enixè commendasse, non dubitamus. Dùm paulò post Achabus currum ascendit, ecce nubibus contenebrati Cœli, tonitrua, fulgura, & ventus, rauco sonitu fremunt, pluuia grandis, & vberrima increbrescit; & quãuis curru regio, velocissimis Rex ipse, in Samariam eueheretur equis, magnus tamèn Elias lumbis præcinctus longè velociùs antè Achabi currum cucurrit vsq; in Israel 3. Reg. cap. 18 Et expulsa eo tempore fame, gauisi sunt omnes.

Pluuiæ abundantia.

Eliæ velocitas.

Promulgata Baalitarum ministrorum iusta nece, noua suppetunt. Dira. n. fœmina Iezabel furore agitata, Eliam ferro necari crudelitèr iubet; Aufugit ipse, & mortis timore perculsus, extrema Deserti Bersabeæ tristis, profugusq; petit, incibatus, & insomnis humi cubat, vt iuniperi vmbra tectus suauitèr obdormiat, ab Angelo expergefactus, subcineritio pane inuento, audire, meruit. SVRGE & Comede. Adhortatione iterata,

Iezabelis vesania.

Eliæ fuga sub Iuniperò dormit.

Recreatur cibo Angelico.

comedit. Mirabile dictu. In illius cibi fortitudine, vsq; ad Oreb montem infessus ambulauit 3. Reg. cap. 18.

In Oreb ascensus. Iugo mõtis fortitèr superato, qui recessibus, & antris delectabatur; ad animæ quietem, & corporis salutem, speluncam quæsiuit; Cuius vmbriferis silentijs, adesse Deum gemitibus petit: At nisi post validum ventum, horrendum terræmotum, & conflagrantem ignem, solatio leniri meruit. In sibilo enim tenuissimæ auræ, aduenit illi Deus, cuius diuinam essentiam per modum transeuntis, Eliam vidisse Theologi nostri constantèr asseuerare, non dubitant. Elias inde vocatus egreditur, qui venerationis gratia, obducto capite, apud Deum valdè conquerebatur; quod solus remanserit; quod eius pactum dereliquerint filij Israel; quod Altaria deuastauerint; quod Prophetas sanctos, heu, occiderint. In his recensendis, altos dabat gemitus, & pijs vtebatur precationibus. Solatus est ipsum Deus, à quo tria demandata sunt ei, vt Azaelem primum super Syrios, Iehu secundò supèr Israelitas, in Reges vngeret, & Elisæum insupèr inter Prophetas, pro stabilienda prophetarum societate, eadem cooptaret vnctione.

Deũ vidit

Triplex cõmissio à Deo.

Elisei vocatio ad religionem. Lætus de Orebo specu, descendit Elias. Vngit Reges, & Eliseum, relictis parentibus, ad propheticum gradum promouet, vt ipsum & socium, & successorem post se, haberet in Ordine.

In Carmelo prima ead sedes. De loco primùm, vbi prima nostri instituti, quasi lineamenta commodè producenda, actum est inter ipsos. Et statim vnus Carmelus mons Palestinæ insignis, diuino quodam afflatu, vtriq; occurrit. Dùm autèm supernam attollunt prouidentiam, montemq; designant & conscendunt, statim ab antris, & speluncis, ecce diuinitùs euocati, reliqui prophetæ conuolantes adsunt, & quos disciplinæ instituendæ gratia, inibi studiosè aggregare curat, eodem tecto. Hospites recipit, intèr amplexos habet. Hinc maxima animi perfusi lætitia, in Psalterijs, Cytharis, & Cymbalis benesonantibus iubilantes Deo candidati illi, deuotè decantarunt. D. Ioan. 44. cap. 11.

Diuinitus auocantur prophetæ.

Inuocant Deum.

Comitia prima in Carmelo. His peractis, post grauissima inter se colloquia, quasi velitationes, Regia tempestate sedata, vineam tandèm familiæ nostræ, auspice Deo, altè plantauit magnus parens Elias, ipsam votorum solemnijs sæpit, Decretorum, legumq; sacrarũ vallo,

& fos-

& fossa intercludit. Nec his contenta finibus, Eliæ solicitudo, Templum Deo Cœli erigendum curat, Seumnion nomine vocat, ait D. Ioan. 44. cap. 19. ea lege vt ad ipsum, è tabernaculis, & speluncis per circuitum egressi discipuli eius, orationis, ac lectionis audiendæ gratia, se se mane, meridie, & vespere, perpetuò reciperent. Hæ nostræ gentis cunabula prima; Ij nostri ordinis primi parentes.

Templū Deo dicatur.

Cur autèm in Palestinæ Carmelo nostri instituti primordia, pulchrè quidèm D. Ioan. 44. supra aiens, quia Mons iste eremitæ homini, ex sua solitudine, silentium, & quietem; ex suis antris congruam mansionem; ex suo saltu iucunditatem; ex eminentia aerem salubrem, ex herbis, & fructibus pastum vberem, & ex fonte aquæ viuæ haustum dulcem. Hæc ille. At ex eodem, apud Iacobum Salianum aliæ rationes. Vel quia hic locus nupèr egregio collustratus ignis miraculo? Vel quia ab Vrbium frequentia segregatus? Vel quia loci suauitas Religionem quodammodo redolet? Vel quia in ipsius vertice vetusta antiquorum Prophetarum Academia, olìm sacra philosophantium effloruit, in qua sanè, teste Scutelio, Pythagoras ipse publicè desudauit? Vel quia Mediterraneo tanquam Nauigantium Pharus prominet ad salutem? Vel quia ab orientali plaga, per rectilineum, occiduum prospicit Gaditanum fretum, quo Christi fides, per Carmelitas discalceatos potissimùm, & alios, suo tempore, Nouum orbem inuehenda erat? Vel quia præcipuum nostræ familiæ habitum, sagum videlicet, superhumeralem, Zonam, & Pallium, exercitiaq; nouæ soboli amplectenda à Patribus illis præfinita inibi fuere.

Cur in Carmelo prima ordinis fundamenta.

E quibus Theologi nostri P. Corneius, & alij, acerrimè aduersus Nouatores tuentur, Monasticę disciplinę formā, trium votorum nexu, homines adstringentem in claustris, haùd nouum hominum inuentum; sed à magno Parente nostro Elia primordialitèr, etsì non tanta obseruātia, ac solemnitate promanasse; & in hæc vsq; tempora, in religiosis omnibus imitatione; in Carmelitis verò hereditaria successione specialitèr perseuerare.

Monastice tuetur aduersus nouatores.

Quod si originarium nostræ fundationis tempus, exquisitum cupis, ex P.P. Francisco Paz, Petro Corneio, Iacobo Saliano

Annus primus nostri Carmelitici instituti.

no dicimus. ANNO A MVNDO cōdito 3153. quo Mosaicus iubileus celebrabatur ante Christi Aduentū 950. Magnum Parentem nostrum ELIAM CARMELITARVM familiam, ætate quadragenarium, inchoasse, atq; fundasse.

Calamum ad sequentia conuerto. Dùm enim in Carmelo pusillus grex noster cōcrescebat, efflorebat, Elias ad Achabum regem, iubente Deo, de vinea, morte Naboth rapta acritèr redarguendum, se contulit; cui itèm familiam suam fore extinguendam, impiam quoquè Iezabelem miserè casuram prædixit. Quod quàm intrepidè expleuisset. Sacra Regum lib. 3. narrat Historia cap. 21.

Achabum de vinea arguit.

Iezabelis mortem prædicit.

Hic paulò post missus, in occursu Nunciorum Ochoziæ Samariæ Regis, e Regijs Cancellis dilapsi, ascendit, qui mortis timore perculsus ad Accheronté Idolum, Dei sui oblitus, consulendum, impius velociter mittebat; obuius prodit Elias, & sacrilegos Nuntios, ità dirè animaduertit, vt pœnitentia compedit, à mendaci declinantes oraculo, vicinam Regi mortem cominarentur. Excanduit ira languidus ille, & quinquagenarium Ducem, in Carmelum, spatio duorum dierum (ex Adricomio) ad excipiendum Eliam, illicò misit, cuius temeritate inspecta, cælico iussit truculentus ille, igne incinerari. Idèm cùm iterato alio. Quod cum tertius itèm mitteretur posita ferocia, ex ingenio suo humilis, genibus incuruatus, modestaque vsus oratione, ad ægrotum Regem, lenitum fidentèr adduxit Eliam; qui imperterritus Regi ipso, festinam prænunciauit mortem 4. Reg. cap. 1. Tertium nuncium Abdiam, qui 3. Reg. cap. 18. ex Achabi aulico, Eliæ discipulus factus, omnes nostri non abs re credunt.

Obuiat Nuncijs Ochoziæ.

Cōbustio militum bina.

Ochoziæ mortem prædicit.

Interim fœderata ordinis nostri sodalitas, non modo in Palestinę Carmelo, Samaria, Galgala, Bethel, Ierico, Haioth, Hierecunta, Gabaa; sed & secus Iordanis fluenta, pluribus in locis, harmonicè consentiendo, mirificè dilatabatur. At magnus Elias, Elisei præsidio fultus, quo se leuari magnoperè sentiebat, vbique locorum visitationis ergò discurrens, in Prophetarum auxilium, ac solatium conspirat (cognoscebat enim se cito, è terris migraturum) illos animat, hosce in spem venturi Messiæ adducere, indefessè studet.

Ordinis diffusio.

Elias Cœnobia visitat.

Sub-

Subinde, Anno 3139. ab orbe condito primis generalibus Comitijs in Carmelo initis, Timorem Dei, cum omni humilitate; prudentiam cùm pietate, in familia sua administranda jungendam docet. *Eliæ adhortatio ad filios suos.*

De progressu sui ordinis, serieq; perpetua prophetat. Deo suorum diuersis itineribus, diuerso cultu, & habitu, diuersis legibus, nominibus, regulis, & institutis, quibus ad vsq; mundi interritum traducendi erant, miro modo pronũciat. Squallores quoque, Carcerum, Martyria, angustias, Persecutiones, Dispertiones, per Montes speluncas, terræ cauernas, ac solitudines, & alia quæ fugati pati debebant, vsq; ad Messiæ tempora plenè quidèm, ac apertè Patriarcha noster in singulorum amplexus ruens, inter lacrimas dulciter vaticinando personabat. Fusius, suauiusq; hæc eadem Iacobus Salianus Tom. 4. sac. Annal. Anno Mundi 3139. *Prophetizat.* *Eliæ charitas in suos.*

Tempore, quo per turbinem Cœlo recipiendus erat Elias, Eliseus Carmelo præficiendus, ab eo, indiuiduus socius, discedebat nunquam, duo Cherubini auro fidei conuestiti, Carmeli propitiatorium sustinentes. Cùm igitur ad Iordanis fluenta ventum est, præ aquarum altitudine transuadare nequibant. Orat Elias; dein explicato, distentoq; pallio aquarum dorso, o rem miram, sistunt præterfluentes vndæ, & arenosum inter vtranq; ripam vadum bellè præmonstrant, securi vt transeant. Iordane, nullo negotio, superato, Eliseo optionem de re quacunq; fecit Elias, à quo duplicem spiritum vehementer efflagitabat. Pagninus. Vt ex tribus partibus, duas Spiritus eius, in ordinis administratione, illi concederet. Abulensis subscribens S. Cipriano lib. 5. Vt duplicem gratiam, miraculorum scilicet, & prophetiæ donum, præstaret S. Isidorus, vt duplicem in miraculorum patratu spiritum possideret. Hinc Petrus Damianus serm. 5. in Nat. S. Ioan. Bapt. Vbi Eliæ duodecim, Elisei verò enumerat 24. miracula. Rupertus Ab. in Amos cap. 4. ait, Elias, qui oratione orauit, vt non plueret, si numeres, octo præclara signa fecit, Eliseus vero sexdecim dupla videlicet q̃titate. Huic subscribit D. Salianus, supra. *In Iordane miraculum.* *Elisei petitio de duplici spiritu.*

Dùm autem nostri Duces, non contra, sed trans Iordanem, e regione Iericho, simul incederent; ecce ventus validus, ab orien- *Raptus Eliæ descriptio.*

oriente, Angelorum ministerio excitatus, qui vehementi, non cessabat efflare, impetu; & statim per crassas quasdam nubes, quasi rutilantes ignes, in modum currus ignei, igneus ille Pater, non impassibilis corpore, sed Dei imperio iussus, gradatim per aeris regionem scandens, ab oculis intuentis, & admirantis Elisei, Auriga noster, & cara nostræ propaginis origo, suauitèr elleuatur. Hic in voluptatis locum, à Deo ipso, initiò plantatum, in Domicilium Adæ, plantis virentem, & aquis inigatum, cum per 16. annos Carmelum nostrum sanctissimè gubernasset, confirmatus in gratia, anno mundi 3139. ante Christum natum 914.

Quot annos ordinem Elias rexit.

Fœlicitèr tandem translatus, & in delitijs asseruatus, in finem vsque mundi ad præcurrẽdum secundum Christi Aduentum perdurabit. O fœlix iter. O beatissimum triumphum. Quorsum tendis carissime Parens? In Cœlum extra Cœlum. Mortalis sine morte. Viuens in mundo, moriturus cùm mundo. Annosus sine tempore. senex sine senio. sine ægritudine sanus, Pastus sine cibo; vel solo ligni vitæ esu, cui naturalis perennandi virtus inerat; cibatus sine potu; sine labore semper merens, Quis hæc non admiraretur? Assurge, & ascende Anima mea. Ad Patrem luge, vt cum Patre ludas. Ardebis Phenix in incombusto rogo. Efflare in tanti Patris sinu, vt in gremio tuæ Matris semper viuas.

Peroratio.

At noua suppetunt; Dùm enim ethereis Patriarcha noster attolleretur sedibus, inter ipsas excurrẽtis currus flammas, Pallium ipse quo indutus rapiebatur, Eliseo intuenti, gratis animi ergò, dono dedit. Non vt in instituto Ordine successurum constitutum iri; sed vt per gratiam gratis datam, duplicatum obtinuisse spiritum, significaret.

Palliũ donat Eliseo

Hinc post eius raptum, sacellum in Carmelo nomini suo erexere deplorantes filij. D. Ioan. 44. cap. 19. & 21. Atq; in eius honorem, nedum Græcorum Ecclesia benè sentiens; sed & Carmelitæ, Paulo V. P. M. cõcedente anno Domini 1609. officio duplici maiori, cum octaua, die memorãdi raptus diẽ 20. Iulij solemniter venerantur. Lubet hic Illustriss. Baronij in annotat. ad Martirolog. sub die 20. Iulij testimonium inserere. In Monte Carmelo S. Eliæ Prophetæ. Agunt & Græci de eodem

Sacellum in Carmelo Eliæ.

Greg. 13. 1574.

dem

dem hac die in Monol. sicq; colunt, vt abstineant à seruilibus operibus, vt apparet, ex Emanuelis Imperatoris Constitutione apud Theodorum Balsam. in Nomocan. Photij tit. 7. ca. 11. Præter ea, quæ in diuinis scripturis, de Elia leguntur. Iosephus etiam de eo scribit lib. 8. Antiq. ca. 3. & sequentibus. Epiphan. de vita, & interitu Prophetarum cap. 5. Metaphras. quem citat Lippomanus Tom. 6. & Sur Tom. 4. de ęde Eliæ nomine Dominicum nuncupata. Extat Epigramā. S. Gregorij Nazianz. in editione Leuinel. Rursùs autèm de Templo Eliæ per Basilium Imperat. restituto meminit Cedrenus in Compendio Historiæ in Basil. Hæc Baron.

Hic in D. N. trāsfiguratione eodem, quo igneo curru assumptus corpore, cùm Moyse apparuit; & Religiosam nostram familiam, cum ipso in finem mundi duraturā suppliciter orans impetrauit. Quod testatum reliquit B. Virgo Maria in maxima illa uisione, fortissimo Christi Martiri Petro Thomæ Carmelitæ, quem venerationis, & veritatis gratia nomino. vt in eius vita luculentèr, & apud Ioan. Paleonid. lib. 2. cap. inde ad Paradisi delitias reuersus, ab eodem Demùm, Hierusalem ad locum, in quo Christus crucifixus salutem nobis attulit. Extremis mundi temporibus, secundi D. N. Iesu Christi Aduentus Procursor moriturus, adueniet. Aug. 20. de Ciuit. Dei ca. 19. & ignis ad instar aduersus Antichristum surget, & Verbum eius, ex Apoc. cap. 10. per tres annos cum dimidio, minus 20. diebus, notat Isid. de Patribus vet. test. quasi facula ardebit, & mira cum Enoch edet miracula in fidelium salutem. *Eliam in Transfiguratione Ordinem commendasse tradūt nostri Promissio B. V. facta D. Petro Thomæ Carmel. Precursor ad iudiciū veniet.*

Querenti verò, quinam in concionibus, & laboribus, extremis illis temporibus, ei comites erunt? soluit. Christoph. Manescalchus in Miscel. tract. 2. cap. 28: Omnium Ordinum Religiosi pro Christo pugnabunt, sed potiores Eliæ discipuli, primò quia Carmelitici instituti Patriarcha, secundò quia ipsa Carmelitica Religio ex promissu B. Virginis, tunc temporis valde florebit, tertiò quia si per vnam mulierem Teresam, in Persas, & Indos, fortitèr modo certat; multo fortiùs aduersùs Antichristum cum Eliæ filijs in arenam descendet. *Quinam Eliam assocciabūt.*

Occidentur vltimò milites Christi Carmelitæ, & martirij palmis decorati, illorum cadauera, in Hierosolimorum Platea, *Mors Elię pretiosa.*

per

per tres dies cum dimidio inhumata, iacebunt. Apoc.cap. 11. quibus terminatis, corpore, & Anima gloriosus ille, candida nube deferente, ad empyreum, triplici redimitus laureola, Eliseo, cæterisq; nostri Carmeli sanctis occurrentibus, in hymnis & Canticis feliciter scandet, Deo in secula seculorum fruiturus. Beda Hom. 9. Greg. Nazianz. in Cant. Hom. 7. Chrisost. lib. 2. de Elia.

Ad Carmelitas. Egredimini ergò Eliæ filij, & vestrum intuemini Ducem, in Diademate, quo coronauit, eum Deus in die triumphantis Carmeli. Nulla est Religio super terram tam grandis, quæ viuentem adhuc, & præsentem, passibilem corpore, & incorruptibilem gratia; suum adspiciat, sicuti nostra Parentem. Elias natus est ante Christi ortum, vixit cum Christo nato, degit post Christum, mortis triumphatoré, pugnaturus in Antichristum, moriturus pro Christo. Date flores, effundite rosas, spargite lilia, plaudite manibus. Canite, exultate, psallite. Agamus Deo gratias, o Carmelitæ.

Quæstio de visione Eliæ. Quibusdam visum est præsentem Parentis nostri statum, in discrimen iurè vocari posse, & subtilitèr inuestigare num diuina modo Elias fruatur essentia? Quibus Theologi nostri nedum, verùm & exteri, tres excogitarunt respondendi modos, cum neq; scriptura sacra, neq; Concilia, neq; Pontifices hactenùs quid tenendum deliberauerint.

Primum Nonnulli Viatorem asserunt. Pererius lib. 7. super Genesim. cap. 5. q. 5. Tom. 1. licet non improbabilem sequentem existimet opinionem. Cum quo alij.

Opiniones. Secundò Quidam non Viatorem, sed comprehensorem affirmant. Ambr. Cathar. de consum. Christi gloria. Procopius Gazeus super Genes. Aug. Eugub. in Gen. cap. 2. Salmer. in Ioan. cap. 21. Barrad. eod. loco. Blasius Viegas in Apoc. cap. 11. com. 5. sect. 4. Christ. Manesal. in Miscel. lib. 2. cap. 21.

Vltimò negant nonnuli esse Viatorem, aut comprehensorem, sed in tertio quodum statu constituunt. Suarez. 3. par. D. Thom. Idem. q. 59. disp. 55. sect. 1. Ion. 2.

Verior opinio. At probabimus forte moderniores, asserentes, EliC, & Viatorem, & Comprehensorem esse. Viator est quoniam mortali corpore degit; & martirij palma coronādus est Comprehensor

for est, quoniam Deum inamissibiliter, & per modum permanentis inspicit. Vide Carmeliticum illud Axioma. Deum, quem vidit Elias possidet. Huius sententiæ Propugnatores, inixi videntur Sanctorum Patrum auctoritatibus, rationibus, congruentijs, & Catholicæ Ecclesiæ propensioni, quæ magis huic videtur fauere opinioni. Imò Ecclesia Græca (illa quæ cum Latina cōsentit) hanc opinionem semper tutata videtur. Vt in 4. Tom. Concil. Florent. videre est: Nam Greg. Hieromonachus, magnus protosyncellus, & à confessionibus summi Pontif. qui postea Patriarcha, & Romæ sepultus miraculis coruscauit; in responsione ad Marcum Ephesium Metropolitam hæreticum, & schismaticum ait: Eliam Dei visione frui, ne cæteris Sanctis minus haberet, qui ferè omnibus anteiuit: nec impeditur carne, qui per totum vitæ curriculū Deū semper vidit. Citatur Hymnus in Græcorum Menol. sub die 20. Iunij. Græcorū Catholicorū opinio.

Propheta Christi præco,
Tu nunquam à sede maiestatis abiungeris.
Et singulis ægrotantibus semper ades.
In Ecclesijs fundens pro omnibus preces.
Orbi terrarum beneficia tribuis.
Et laudibus vbiq; celebraris.

Mos itèm in omnibus puerorum circuncisionibus, apud Hæbreos inualuit, Aulæ in medio, infantis circuncidendi, vnicam, & vacuam, illamq; ornatam eminentiori loco adaptare sedem, Eliam firmitè existimantes, omni circuncisioni, vbiq; locorum factæ, certò sempèr adesse. Quod etsi superstitiosum; Eliæ tamèn, præ cæteris sanctis, insignèm arguit præstantiam. Obseruatio notabilis apud Hæbreos, de Elia.

Hæc ad Dei laudem, strictim collegisse volui. Strictim inquam, ne animus meus nimia rerum copia, & scribendi facultate obrueretur, perfunderetur. Guttulas Eliani fontis dedi, flumina sibi parent alij. Parentem ipsum interim rogatum cūpio, vt ipse mihi omnium de filijs suis, fratribus meis, quoquo modo scribenti, post hanc terrenam peregrinationem, inter candidatos, atq; laureatos suæ gentis alumnos, in Empyreo Cœlorum Campidolio, eius triumphum, eiusq; corollas æterno spectare, imò & obtinere æuo, suis tandem impetrare non dedignetur precibus. Cōclusio.

ELOGIVM

Ad speluncæ limen magni Vatis Eliæ appendendum. D. Iacobi Saliani Iesuitæ Aueniomensis, viri eruditissimi, atq; omnium veteris Testamenti Historicorum facilè principis.

Hanc aliquando speluncam incoluit, Frater, qui præter naturæ ordinem, effectus est Paradisi Colonus, & Immortalitatis in mortali corpore candidatus.

Magnum illud Prophetarũ lumen Elias Thesbites, in veste cilicina, in horrido, ac neglecto capillo, in Prophetico pallio, in melote, pelliciaq; Zona.

Hic ille solum rigabat lacrimis; Has tenebras diuinarum illuminationum copia efficiebat illustres; ipsum denique informe olidumq; antrum, precum suarum balsamo reddebat odoratum.

Hic spiritum feruoris Vates hauriebat, quo decem tribus sacrilegæ impietatis reas, duorum & 40. mensium sterilitate affixit, quo impurissimæ vanitatis Architectos, Magos, Ariolos, Pseudoprophetas præstigiarum conuictos, ad octingentos, & quinquaginta morti dedit. Quo prophanum ipsum Regem in suam perniciem coniuratũ increpuit palàm, & verborũ pondere afflictũ, ad sacrũ, & cineres infimamq; compulit humilitatem.

Hic ille est Elias, qui 40. dierum continentis ieiunij prolusione vsus ad bis mille quingentos, & triginta quinq; annos ingem ad hanc diem, ac perpetem sibi, potusq; abstinentiam protraxit, ad illumq; protrahit diem, quo post rigatã mortalium corda, tot in Ẽuum curriculo, quot olim terram sterili siccitate damnauerat, in cõspectu se dabit omnium importunissimi, cruentissimiq; Tyranni Antichristi, a quo consorte prædicationis Enocho morti datus, post triduum rediuiuus recipietur in Cælum.

Ad illius sectatores Carmelitas

Hic est, qui medios inter sonoros tempestatis fragores, & concussos flagrantesq; in Horeb montes, suauissimæ auræ sybilum aperto vultu pallio attentus excipit. Qui Reges vngit, ac Prophetas vindices iniuriarum Dei, qui corda filiorũ conuertit ad patres, imò ad omnium parentem Deũ, & per medios iniquitatis torrentes, lectos Prophetarum, & Religiosorum in Carmelo, totaq; Chananitide manipulos sui æmulos, atq; imitatores instituti, ad Cælestem vitã mundo ignotam, ac contemptam traducẽdam adduxit, tot seculis suarum precum, quasi facularum ardore calefecit, & ad hanc diem, tot inter rerum, locorum, temporumq; varietates constantes reddidit magni sui Patriarchæ sectatores. Abijt ab hominibus, Iosaphati Regis Iudæ Anno decimo nono. Mundi, ter millesimo cẽtesimo, vnde quadrages. Post Enochi trãslationẽ, bis millesimo cẽtesimo, quinquag secũdo.

VI.

VITA SANCTISSIMI VATIS ELISEI

Secundi nostri Instituti Generalis,

Ex ijs, quæ in sac. Script. lib. 3. Reg. & 4. à D. Ioan. Chrisost. de compunct. cordis. D. August. Tom. 10. serm. 203. D. Ambros. serm. 86. & 87. Petro de Natal. Alph. Villeg. Ioan. Paleon. Diego de Cor. speculo Ord. nostri, & alijs.

Vixit sub Achabo Israelit. Reg. Obijt verò anno mundi *3204.* ante Christum natum *849.* Colitur à Carmel. die *14.* Iunij.

1 AGNALIA spectatæ memoriæ P. N. Elisei præclara adeò, & immortalia, inter mortales vigent, vt Calami nostri luce stylo haud egere, videantur. Ortum ex Patre Sophat, viro diuite, duxit Eliseus: Non quidèm in Galgala, vt Petrus de Natalibus lib. 5. cap. 117. sed in suburbanis Abelmeulæ Vrbis olim insignis, cuidam administrationis gratia, à Salomone traditæ Dynastę, iuxta quam Iosue pugnatum iuit. Iud. cap. 7. D. Hier. de locis Hæbraicis, & Christianus Adricom. in Theatro, in dimidia Tribu Manassæ citrà Iordanem cap. 3. Parentes, & Patria.

2 In præclarissimi huius Vatis Natiuitate Epiphan. de vita, & Interitu Prophetarum cap. 6. cum quo Ioan. Patriarcha Hierosol. cap. 13. de Vitulis illis aureis Ieroboami Regis impijssimi iussu conflatis; siue modò vitulæ fuerint, vt ait Ioseph. Hæb. Tertul. cont. Iud. cap. 1. Sulpit. Seuerus lib. 1. Prodigia in ortu.

sac. Hist. siue Vaccas, vt Osea, cap. 10. Vaccas, inquit, Bethauem coluerunt habitatores Samariæ, earum refert, illas coluerunt perditi viri Samaritæ. Do eiusdem Epiphanij verba. Bos illa aurea in Selom, clamore tàm acuto vociferata est, vt auribus acciperent Hierosolimis; exposuit tùnc prodigium Sacerdos. Hæc, inquit, argumento sunt, Prophetam hodie in lucem esse editum, qui comminuet sculptilia, & confringet, & euertet conflatilia. Hæc ille. Idem Magister in Hist. & Nast. & omnes.

Annus Natiuitatis. 3 Natiuitatis Annum, & Elisei incunabula, silentio præterit scriptura sacra, vbi Religionis ingressus, certò recensuit Annus. Etenim cùm anno Mundi 3127. Mosaici verò 4. Ante Christũ natum 926. de opaco Orebi montis specu Dux noster Elias, per Damascenum desertum, ad Israeliticã gentem, iter dirigeret, in apricis Abelmeulæ agris, Eliseum vnà cùm patre arantem, nactus fuerit, ipsum Dei mandato, in filium, ac successorem, sibi statim asciuit, & pallio humeris eius, religiosæ vocationis ergò imposito, in pusillum propheticum agmen, gratulantèr cooptat. Eliseus verò gaudio refertus, binos mactat Boues, ad cognatis, & amicis epulũ lautè parandum, illosq; concisi aratri, in perpetuæ suæ abrenunciationis signum, igne coquendos curat. Functus hoc pietatis officio, post parentum oscula, vale dicens omnibus, summò manè Monasticam Prophetarum vitam, religiosorum votis plenè imitaturus, Eliam secutus, discedit. 3. Reg. cap. 19. Cumq; Elianis manibus, aquam ad sexennium, in dies profudisset Eliseus, illiq; fidelitèr altissimæ humilitatis officia, ac grati animi signa famulando præstitisset, tempore quo Cœlo Elias quàmprimùm locandus erat, de varijs fundati sui Ordinis euentibus, Eliseum sæpissimè præmonet. Iordanicis tandèm aquis, monastico diuisis pallio, antequã igneus ille, per ignẽ ad æthereos eueheretur Campos, optionem ille fecit petendi; Hic pietatis plenus, duplici petit cumulari spiritu. 4. Reg. cap. 2.

Vocatio ad Religionem.

Abrenunciatio sæcularium rerum.

Officium eius.

Petit duplicem spiritum.

4 Dùm autèm orando cœlicum Eliæ præstolaretur ascensum, ecce, o rem mirandam; inter voluutes flammas, ab eius oculis Eliam visibilitèr rapi. Mœstus suspiciebat iste; lætus euehebatur ille. Lamentatur hic; Ah Pater; Delitiatur ille,

Vidit Eliæ raptum.

... filii: Corporibus extremò diuiduntur, longè intimatæ Animæ. Et turbine tectus Elias, pallium dolentis filij nô immemor apertè illi deijcit, certum veteris amoris sui, & nouum adelatæ prælationis pignus: Triumphali tandem completo, translati Patris spectaculo: Prodigio deinùm generis inauditi ... Eliseus paterna indutus veste, ad curandum concreditum filiorum gregem animi, corporisq; vires, pro Dei gloria sollicitè conuertit. Hinc noui Patris, noua instæ. Hinc præcipuis filijs, præcipuæ leges. Hinc fracto prophetiæ silentio, diuino actus spiritu; cœpit Eliseus mirantibus omnibus, eructare diuina.

...cipit.

Prophetas regit.

Incipit prophetare.

5 Etenim cùm ad Iordanis fluenta, comite filiorum sodalitio venturus esset Eliseus, aquas, accepto rapti Patris pallio percussit; Ictui primo, cursu resistunt; eodem iterato, quasi timore perculsæ, obedientiæ gratia, hinc indè diuisæ, naturalem sistunt cursum. En pulchra in admirando hoc facinore, gemini miraculi repræsentatio: sistunt primùm fluctes à septentrione aquæ, & quæ ad meridiem prouehant, manent: atq; indè exsiccatum, limosum statim apparet fundum. O celebre nostri Parentis prodigium. Hæc duplex percussio, omnem fortè retundit inanis gloriæ stimulum.

Iordanem sistit...


6 Paucis post diebus, è Hierico duarum horarum spatio, à Iordane distante (tradit Adrichom. Topogr. Terræ sanctæ) Prophetarum filios ad inuicèm contestantes, duplicem in Eliseo, quieuisse Eliæ spiritu, obuios, festinosq; habet; quippè qui obedentiæ studio, proni, terram osculando, quæ Monachorum culpam suam confitentium, cæremonia est, dilectũ Parentem reuerenter adorant. Quos ille pijs, in Cœnobij conuersatione, exemplis, & verbis mirificè solatur. Triduo post expleto, ad alia se confert, visenda Collegia.

Obuiāt ei prophetæ Hierecuntini.

7 Cùm autem ad Hierecontinam Vrbem, Palmis olim & rosis satis insignẽ (cui aliquando Palmarũ nomen) diuertere contigisset, amarulentas Ciuiũ rogatu aquas sale dulciores, faciliores'q; ad fecunditatem reddit. 4. Reg. cap. 2. Historiam hanc Adricom. Delphus in Theatro terræ Sanctæ, in Trib. Benia. nu. 63. non illepidè scribit. Fons, ait, Elisei, è Quarentanæ montis radice vberrimum, ac amenissimum generat flu-

Aquas sanat.

uium,



quinam, cuius insalubres ante, & amaras vndas ad Ciuium preces, Hierico lagenam fictilem, salis plenam, aiunt Ioseph. 5. Bellor. cap. 4. Brocar. in Itin. cap. 6. Breindenbachius, & alij in profluentem projciens aquam, sanat, & saluberrimos Pius ille facit. Fontis huius aquas Archelaus Toparcha, Herodis filius plurimos deduxit in riuos, ad Camporum, Pratorum, Palmarum, Cannarum melis, & Hortorum Hierico irrigationem. Apud Galgalam intumescunt adèo, subdit Broc. vt magna impellant molendina; per cuneos postea, hortos, & Prata, vsq; Hierico diffluentes, dùm Iordanem petunt, planitiem, stadijs quidèm septuaginta longam, viginti vero latam, suauitèr humectant, Ioseph. 5. bell. cap. 4. plura de huius fontis virtute, & efficacia, hoc mirum est contestatus, quod propè huius Elisei fontem, ad instar Prunorum arbores succrescunt, spinosæ tamèn, in quibus flores nascuntur, quos Hierecontinas vulgus Rosas mirandi effectus appellat, quæ quidèm natalitia D. N. nocte, paulatim hiant, atq; inde, siccæ licet, & aridæ, in virginei partus testimonium, virore, ac odore refertæ, se folijs explicant, & ab imò recludunt. Hæc Adricom. ex Saligniaco. Tom. 9. cap. 6. E quibus colligamus, licet, quàm longè, ergà Deiparam Virginem deducatur nostri Ordinis deuota propensio. Subindè P. Eliseus Hierico abscedens, in Bethel prærupti montis vrbem, Luzam olim vocatam, se confert.

Rosarum mirabile.

8 Grande facinus, in ipsa profectione. Procax Hierecontina puerorum turba, numero 42. seni viro decaluato Eliseo, ad ludibrium, & iurgium occurrens, petulanter illudebat; sanctè succenditur Pater, & Vrsis, è proxima sylua egressis, spectante sole, vindice Deo, illos omnes miserè dilaniandos tradit; quo peracto, ad suos in Carmelum se transfert. 4. Reg. cap. 2.

Pueros perdit.

9 Eo sanè tèpore, à tribus Regibus bello, in Moabitidum Regem indicto, expeditioneq; iam facta. 4. Reg. c. 3. dùm per exsiccata nemora, instructa militum acies incederet, atq; nimia aquarũ penuria regius præmeretur exercitus, sancti viri Elisei, attitulati funditoris aquæ super Eliæ manus, suadente scutario, confugium necessarium esse, statim Reges ipsi, celeri, humiliq; gressũ, ad auxiliariũ Patrem, pedestres se recipiũt;

Regijs copijs aquas parat.

Quos,

Quos Eliseus magnum gratiarum specimen præbens, hilari suscipit facie, & illorum cognita necessitate, propheticam illicò præmittit orationem, qua ritè peracta, irriguæ hinc indè erumpunt aquæ, & arentium extinguitur sitis, illisq; de Moabitis, diuino afflatus Numine, antequā pugnatum irent, gloriosam promittit victoriam.

10. At elogium illud; Qui fundebat aquam super manus Eliæ, illustratione eget. Quidam maximum humanitatis, ac humilitatis exemplum, factum hoc credunt, cùm famulitij more Parentis manibus aquam, Eliseus discipulus, & successor profundere haud dedignatus sit; Rabini apud Liranum. 4. Reg. c. 18. quod cùm Elias in sacrificio ad ignem cælitus obtinēdum, quattuor aquę Hydrias, ter super holocausti frusta iusserit effundendas, nec Aręcanalia triginta cubitorum in qualibet parte implerentur, statim Eliseus super Eliæ manus porrectas, aquam illisus versare cæpit; & en mirandum dictu, digiti manus, Pilæ ad instar decem Canalium ità copiosas distillarunt aquas, vt fossę extemplò mirificè inundauerint. Egò verò in ea sum sententia, vt hoc putem argumento, nobis aperiri, eos, qui præesse alijs volunt, primùm exempli caussa, inseruire, oportere. Iuxta Christi Domini dictum. Nō veni ministrari, sed ministrare. Ità qui habenas ordinis post Eliam recturus erat, seruitij ꝓfusionis aquæ officio, vacare, studebat.

Declaratur illud fundebat aquam super man. Eliæ.

11. Iam ad Historiam calamus. Cùm enim Syriæ Regi Benedado certò nunciatum fuisset, bellicum iusiurandum, in Ioram Regem Israelitarum occulta sugillatione machinatū, ab Eliseo tandèm apertum, & Israelitico Regi manifestatum fuisse; ei tanquā reo Capitis Rex Benedad ira succenditur; expeditos mittit Vernaculos, vt captū Eliseum, obscuro mancipar'ēt noxiorū carceri, pęna lęsæ maiestatis afficiendū. Verùm periere expeditorum industriæ; etenim Eliseo, quem cęco mācipandum carceri volebant, insperata cæcitatis caligine percussi, noctem, solis lucem existimantes, orbitate leguti, in Samariam præeunte, mirantibus, ac ridentibus populis perducti fuere. Hac pius Pater temeritatis pœna contentus, insidiosis illis deceptis, tandèm oratione, visum restituit. 4. Reg. cap. 6. & vacui ad propria reddeunt.

Excœcat milites.

Deridet illos.

12 Sy-

12 Syrius Rex interim re percæpta, nouo excandescit furore, & nouam militum expeditionem faciens, iubet secundò

Defenditur, & hostes fugat. seruus, vt captum eant Eliseum. At Regiæ expectationi exitus minimè respondere: E regione enim hastatorũ impetu, & nimio armorum sonitu, ilicet super Samariæ montem, in illos, portentorum monstris, animosa acies, per gyrum vallata irruit, quam cum spectassent, panico perculsi pauore de fuga protinus excogitarunt. Eliseus Deo gratias agit, qui Reges Israelis, & Iudæ ab imminentibus liberarit malis.

13 Hic specimen crudelitatis insero. Samariam tandem Rex Syriæ copijs obsedit armatis, illamq; dira adeò vexauit immanitate; vt ne fame miseræ interirent mulieres, inedia

Obsidio Samariæ. pressæ, Natorum carnibus sint exaturatæ. In hac enim lugenda Clade, dirisq; velitationibus Columbarum stercoraria, & Asinorum capita, iuxta Elisei vaticinium, pluris venundari licebat. Eliseum interim Rex mandat, occidi, nec valet; cùm per Angelum enim illustratus speculatorẽ cognouisset, clauso cubiculi ostiolo, Hosti negat ingressum. Rex autem pœniten-

Placat Regẽ Syriæ. tia ductus, & Eliseum ad se vocari iubet, & deseuiente temeritatis furore, eundem verbis compellat amicis: cui gratissimus Pater futuram, maximamq; rerum vaticinatus est vbertatem; At instabilem Principem de medio tandem, subita mors aufert.

14 Anno mundi 3140. Elisenæ verò administrationis secundo, geminata patrasse miracula Patrem nostrum, non dubitamus. Mulier quædam virum suum alieno ære pressum, vitaq; functum, inconsolabilitèr deflens, Elisei clementiam summis, ac importunis precibus solicitare, non desinebat; cui Pius ille, non pauca mutuò, accipe vasa, & exiguum quod ha-

Olei miraculum. bes Olei infunde, illaq; cùm expleuisset (mirabile dictu) misericordiæ liquor, ita excreuit, vt creditoribus eius pretio satis abundè fuerit: quod supererat autem alimentum, ad eius vitæ vsum, in posterum fuit. Hoc primum mirabile. Alterum. Dum Suna, quæ & Sula Prophetarum Collegia inuisurus trãsiret Eliseus, magna quædam Sunamitis mulier, viro assentiẽte, ipsum honorifico, recipit hospitio, Natis dùm caret, infœcundaq; manet, ab Eliseo iteratis contendit precationibus,

vt prolem, concedente Deo, à viro suo suscipere valeat; obtinuit; etenim sequenti anno 3141. filium ædit, qui trimus ad Patrem domestico tempore messis ductu, egressus, feruido solis æstu percussus, acerbo Parentum dolore animam agit. Nimiò acta cruciatu Mater, vehementèr conqueritur, in lacrimas abeunt oculi, suspiria ab imo pectore ducit; spe ducta Carmeli iugū extemplò conscendit, & repentinā filij mortem pio nuntiat Prophetæ, hic pietate victus Giezeum socium, prophetico armatum baculo, ad eijciendam fortè infantuli mortē, protinùs mittit, ac irrita missione, Eliseus ipse ad Pueri cubiculum conuolat, Ostioq; super eum clauso orās, ac oscitans, filium ipsum, carne incalescente (o miram Dei omnipotentiam) à mortis Orco reuocat, ipsumq; viuum ploranti restituit Genitrici. 4. Reg. cap. 4. Carmelum subindè repetit. Salianus oculatissimus. Pueri mortui suscitatio.

15 Memorabilium tāti Patris commemoratio, noua eiusdem præconia facere cogit. Anno M. 3144. ingruente minata fame, inclytus Pater, vt Prophetarum Collegia, vniuersali ferè extincta ciborum pauperie, confirmaret, sese Galgalam, maximo Collegiatorum applausu, contulit; eiq; de more, ab hospitum curatoribus refectionis mensa apponitur, pro obsonio, hortensibus iām deficientibus herbis, amarulentus colloquintidæ incognitus cibus, vna cum reliquis collegiatis, bono paratur animo, eo vix degustato, mortem conclamant omnes in Ollam: At imperterritus Pater, infecta in ciborum vas farinula, amarorem dèicit, & miraculo perniciem emendat. Obsoniū dulce reddit.

16 Eodem quoque anno, cùm vir de Baalsalisa ciuitate, in tribu Ephraim, in Saarenæ regionis cāpestribus, vicenos primitiarum panes, in Pera deferret, illo penuriæ tempore, insinuante Deo, sequacibus ad mensuram diuidi, iubet: en mirum aliud, Panis ille, dùm diuiditur augetur, dùm partitur adeò multiplicat, vt in deserto loco, viri centum, mirantibus filijs, mira recreentur satietate. 4. Reg. supra. Panē multiplicat.

17 Porrò dùm Eliseus Prophetarū Collegia paterna curat administratione, & cursu lustrat infatigabili, homines egregiè cordati, ex omni loco ad ipsum religionis ergò cōfluunt; Verū cùm frequēti illorum multitudini angustus esset, ad habitan-

dum locus, Monachos iubet, in syluis ad Iordanicas ripas, pro cellulis construendis, lignatum ire, interim securis ferrum, in torrentem aquæ profundum, difugiēs casu decidit: exclamat ille, heu mi Domine mutuò accepi, nec vnde reddam, habeo: At pius Pater misericordia motus, loco indicato, lignum illicò præcidit manibus, quo in aquam iniecto, vbi lapsa securis, ecce miracula duo, inquit Salianus, alterum, quod iuxtà ferri foramen manubrium incidit, eoq; se vltrò induit: Alterum, quod ferri pondus, manubrium aquis supernatare fecit. Vnde Tertul. contra Manich. lib. 3.

Ferrū natare facit.

Demersam fluuio, releuauit virga securim.

18 Iàm annus 3149. vniuersalis verò famis decurrebat sextus; cùm Eliseus Damascum venit. 4. Reg. cap. 8. non vt Benedadū aduersa leuaret valetudine (cuius paulò antè quadraginta Camelorum munus, tùm ob professam ordinis pauperiem, tùm ad simoniacam euitandam labem, ne fortè filijs offendiculo esset, fortitèr repudiauerat) sed vt iuxtà prædecessoris Eliæ vaticinium, ante 24. annos promissum ad Hazaelem in Regem Syriæ vngendum pergit.

Vngit Regē Syriæ.

19 Fame iàm tandèm, volente Deo, propulsata, integrari cępit populorū maiestas. Naaman Dux ille insignis Assiriorū exercitus, atra percussus Elephantiasi, cùm viri Dei, miraculorum excitaretur fama, ad Eliseum salutis obtinendæ gratia, à proprio mittitur Rege; litteris Israelitico Regi datis vehementèr ipsum sanitati donari postulat, Rex horret, & initam cōtra se occasionem existimat, vestimēta angore scidit, dolet; Dùm autē animo intimè cruciaretur, en ad eiusdē Regis solatiū, Eliseus noster Naaman sibi destinari rogat. Cūq; ad sacra, illaq; pauperrima Prophetarum limina, magna equorum copia, curruūq; pompa, superbus in lepra, idololatra ille peruenisset; eidem per puerū suum talia nunciari, iubet. VADE, ET LAVARE septies, in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua. Is ęgrè fert Nuntium, Syriaca existimāns flumina virtute pręstantiora; de discessu cogitat; suorum tamen consilio, Iordanicis illis aquis, se septies ad præceptū lauat, & illicò, O rem diuinam, mundiciei caro leprosi viri restituitur. Gratus animo, pro recepta sanitate, munera mittit, cùm gratiarum

Naaman à lepra mundat.

actio-

actione: At Pater, qui simoniam odio prosequebatur, dona recusat. E contrà Giezi auaritia tactus, à donatore Syro, oblata, recusataq; à liberaliori dona, clanculo mendacijs repetit, & obtenta domi altè reponit. Verùm simoniacus auaritiæ labe intus plenus, foris itèm Naami lepra laborare visus est. 4. Reg. cap. 5. Giezium lepra percutit.

20 Frequentioribus interim Israeliticum Regnum agitabatur tumultuationibus, visuq; ac memoria fugiendis: Quorum impetū cùm dissimulatione ferre, nequiret Eliseus, quēdam è Prophetarum grege delectum, in Ramoth. Galaad ad Iehu in Regem vngendū, auctoritate ei facta, direxit: Certum Achabi Domus ruinarum, & Iezabelis omnium malorum fontis, dissipationis præsagium, certus ille Nūtius, certò non habetur. Ionam asserunt nostri. Ioannes 44. Epiph. de vitis Prophetarum. D. Hieron. in Ionæ prolog. alium à Iona Cæti affirmantes. Iehu in Regē vngit.

21 Verùm præuncti Regis inconstantia admonet me, ne simulatam eius Religionem taceam. Is adepta Regni Corona, etsi pro Dei gloria, ad vniuersam Achabi Regiam familiam (ità cum Saliano) perdendam arma sumpserat, Baalitas euerterat Aras, statuas confregerat, succenderat lucos, Templa oppidatim, in purgatissimos conuerterat vsus, & idololatras pseudosacerdotes vnanimi prostrauerat Cæde; quibus & laudis, & præmij plurimùm à Deo accepit. Nihilominus auitam vitulorum idololatriam, de medio minimè sustulit: imò sectator illius factus, præcedentium Regum mores imitatus, vero Dei cultui, ac sinceræ religioni, impij schismates superstitionem, miscere, studet. Hinc Eliseus noster mentis aciem in hæc miseranda calamitatum tempora intendens, cùm plura attentè ciuilia conspectasset bella, innumerabilesq; in Deum, sacerdotes, Prophetas, populosq; enumerasset ingrati animi notas semetipsum, vsq; ad sui vultus suffusionem conturbauit; necnon cum filijs, cordis teneritudine tactus, amarè flere sæpissimè visus est vir Deo carus. Dolore lassatus robustior efficitur fide. Citò Præcones legis fideles ad Principes, populosq; à Deo cadentes resipiscentiæ causa mittit, vt non obliti sui, ad Cœlorum, terrarumq; Dominum præstò reuerterentur, Iehu idololatria. Dolet Eliseus.

tur, quippè qui etsi amaritudine odij protestantes, illos audire pertinacissimè, negabāt; pluries tamèn in ipsos, diuina inuocantes Numina acritèr arguebant, dulcitèr obsecrabant, Dei zelo, patientia, & Doctrina illorum animas ei vt lucrifacerent, ducti.

22 Meritis igitùr tantis pius Pater Eliseus clarus, paribus quoquè ornamentis in senectute bona decorandus, æternum suę vocationis tempus aduentasse, cognoscit, & qui sanitatem alios donabat, in morbum incidit. Aegrotat Eliseus, ità Rabini in Ceder olam, cap. 19. infirmitate, qua & mortuus est. Dùm ergò mortis languoribus Eliseus acritèr diuexaretur, Ioas Israelitarū Rex ipsum cōuenit, & vehemēti dolore actus, amicum coram eo, amarè deflet. In humili autèm decumbens strato, Regem super regium arcū, regias iubet, apponere manus; quibus Eliseus suas quoq; læto motu, superponit, vt pro Deo agere, inuat. Fenestram dein aperiri, & sagittam extra ad orientem, in signum salutis dixit eijciendam; iterumq; terram, eundem percutere, rogat; qui tertiò contentus ictu, dolore virum Dei afficit. etenìm si pluries percussisset, pluries de Syris itèm victoriam repotasset. Hæc ad exitum vitæ.

Aegrotat Eliseus.

Ioas Eliseum visitat.

Victoriā ei spōdit.

23 Vulgato mortifero sancti viri morbo totus Carmelus morienti Patri mœstus confestim adest. Lugent alij, orant alij, vbiq; locorum clamores, vbiq; fletus. Rechabita ille assecla fidelis, discipulus in omnibus, magistro suo vno dempto coniugio, similis adest. Inibi Amos Propheta, de hæbreorum Republ. benemeritus, Regis Amasiæ frater, vnà cùm ingenti prophetarum cohorte, vt ex Hæbreorum Chronico. Senex Parens post multa eaq; dulcia inter mortuis vocibus monita dabat filijs, quibus & benedictionem à Deo supplex impetrat; sæpius ad memoriam reuocabat Religiosæ vitæ, æterno in seruiendum æuo; nullam subdens, pro Dei gloria, reformidandam calamitatem, cùm nullum in humanis sit laborum certamen, cui aliquid prorsùs, non contingat aduersi. omnium enim felicitatum decimas fortunæ concedendas esse, & ab vno Deo expectanda interminata bona. In hæc plura de Messiæ, Deiparæq; Matris futuris temporibus extremò dixit. Vates noster moriens. Cœlo tandèm inhians natu-

Occurrūt prophetę, & alij.

Monet suos.

Moritur Eliseus.

ræ concessit. Et Animam è corporis ergastulo fugientem, mortalibus eripiens, & immortali Deo reddens, placidissimo illam efflauit ore; Obijt, eheu, orientis præsidium, Carmelitarum decus, orbis terrarum lumen. Saliani verba repeto. Cùm annos sexaginta sex Prophetarum ordinem, ab Elia institutum sanctissimè gubernasset. Anno M. 3204. Eliseus quieuit, in pace. Hæc ille.

24 Ad funus modo, afflicta recordatio propera. Etenim astantium faciebus omnium, in diuersa mutatis, in luctum oculi dissoluebantur; Personabāt claustra, cōclamabant Cellulæ, fletibus, & eiulatibus replebantur viæ, vna erat omnium fugitiua salus. Iustis prophetico more solutis, sacrum venerandi vatis pignus, perenne Carmeli decus, amarè lugentes, lassatis humeris, piè orbati detulerunt filij, & Samariæ in Palestina, olim munitissimæ Regiæ, ab Herode Ascalonita, in Augusti Cæsaris honorem conditæ, Græcè Sebasten, Latinè Augusta, dictæ, ab Hierosolymis diei itinere distantis, mira populorum frequētia, in suburbano Prophetarum Cœnobio, in sepulchro nouo, sacrum Elisei Parētis nostri corpus, summis humatum est honoribus. Consule Adrichomium in Tribu Effraim. nu. 8. Elisei funus.

25 Sequenti autem Anno 3205. quemadmodum Eliseus in vita sua monstra fecit, ita & in morte mirabilia operatus est. Memorandum enim prodigium illud suscitati mortui, in demortui Elisei sepulchrum proiecti, subsequutum non dubitamus. Cuius admirandi facti exitus, mortuum prophetasse corpus eius, in confesso est apud omnes. Suscitati nomen, Saliani testimonio, Sellum erat. Diù resuscitatus vitam egit. Mortuus Elis. mortuum suscitat.

26 Nunc speciosissima suppetunt. Parentalibus pio more celebratis, sacra nostrorum Cōgregatio, Abdiam insignem Vatem, in Protectorem, Priorem, ac Generalem magistrum, vniuersali Patrum Cōsensu sibi delegit. Hic cū ad quinquennium propheticum sanctissimè gubernasset gregem, anno M. 3209. ante Christi ortum 844. vita functus in Cœlum euolauit, & sacrum eius Corpus, Elisei tumulo, vti successor, & tertius ordinis Generalis benemeritus honorificè conditum est. Quinam autem Abdias, ex Illustriss. Bellarm. de script. Abdias succedit Eliseo.

Eccles. & in Tripart. Carmelit. Annalibus meis habes.

27 Hæc memoratu digna. Cùm Ioannes Baptista Domini nostri Præcursoris, Herodem Regem adulterum pluries de incestuoso arguisset scelere, cremum carcere commutauit, inquit Pet. Chrisol. serm. 174. & fortitèr dato capite, in Machera oppido munitiss. Regum delitio, ait Beda Homil. de Decol. S.Ioan. Bapt. gloria & honore coronatus, migrauit ad Dominum. Accedentes aut Sebasta discipuli eius, truncum magistri corpus asportarunt, & in monumento collocarunt. At in quo monumento? vtiq; Elisei, Abdiæquè patrum nostrorum, in Ciuitate Sebastæ Samariæ Metropoli. Pretiosissima hæc ibi pignora, communi quidèm sepulchro, vrnis tamē distinctis, ad vsq; Iuliani Apostatæ impijssimi Imperatoris calamitosa tempora, intacta, summaquè cum pietate venerata, & custodita quieuere in pace. Do Martyrologij Romani verba. Decimo octauo Kal. Iulij Samariæ in Palestina S. Elisei Prophetæ, cuius sepulchrum Dæmones perhorrescere. S.Hier. scribit. vbi & Abdias propheta quiescit. Et Tertio decimo Kal. Decemb. Samariæ S. Abdiæ prophetæ. in Vsualdi martyrol. hæc alia. Decimo octauo Kal. Iulij Elisei prophetæ, qui apud Samariam Palestinæ, vt scribit B.Hier. conditus est: vbi & Abdias propheta quiescit.

D. Ioan. Bapt. sepelitur cū Eliseo, & Abdia.

28 D. autem Hier. Epist. 27. ad Eustochium Virginem Tom. 1. Atq; indè diuertens vidit duodecim Patriarcharum sepulchra, & Sebasten, idest Samariam, quæ in honorem Augusti, ab Herode græco sermone Augusta est nominata, ibi siti sunt Eliseus, & Abdias prophetæ, &, quo maior intèr natos mulierum non fuit Ioannes Baptista. Et Abdiam explanans, sepulchrū eius, inquit, vsq; hodie cum Mausolæo, Elisei prophetæ, & Baptistæ Ioannis in Sebaste venerationi habetur, quę olìm Samaria dicebatur. Tum in epistola, qua Marcellam ad Palestinam inuitat petendam Ioannis Baptistæ Cineres, non solùm, eò tempore in Samaria seruatos, sed etiam à fidelibus veneratos commonstrat. Locum autèm, qui horum sacra prophetarum ossa tenebat, celebrem apud Sebasten. D.Hieronymi ætate, & eò aduentantibus peregrinis, venerationi fuisse, in epitaphio Paulæ aperit ipse. Nam cum Romanarum illa

D. Hieronymi testim.

nobilissima simulq; sanctissima vidua coram adesset monumento, in quo vnà cum D. Ioanne Bapt. Prophetæ sancti Eliseus, & Abdias conditi asseruabantur contremuit, tot consternata mirabilibus, quæ per sanctos illos, diuina virtus potentèr in dies operabatur. Cernebat enìm, Hieronymi verbis vtor, varijs Dæmones mugire cruciatibus, & ante sepulchra sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisq; pede fœminis, vestes defluere in faciem, quo circa Paula omnium miserabatur, & propter singulos effusis lacrimis, Christi clementiam deprecabatur.

29 Succedétibus postea ærumnosis Iuliani Apostatæ temporibus, anno videlicet Christi 365. temerario ausu impijssimi eius ministri monuméto aperto, sanctorum corpora flammis absumenda extraxerunt. **Cremantur ossa sanctorum.**

30 Theodoreti quidèm Historia Eccl. lib. 3. cap. 6. in hæc verba. Sebastæ item, quæ est vrbis ditioni gentis subiecta, Ioannis Bapt. tumulum aperuerunt, ossa tradunt igni edenda, & eorum cineres passim dispergunt. **Testimonia Theodoreti.**

31 Niceph. quoque Eccles. Hist. lib. 10. cap. 13. cùm à Greçe superstitionis professorib. vbiq; talia aduersus Christianos patrarétur, tùm illud quoq; maximè indignum, atq; horrendùm, Sebastæ in Palestina est admissum; ossa namquè Elisei prophetæ, & Ioannis Bapt. (vterq; enim sepulchrum ibi suum habuit) loculis suis, extracta, & irrationalium animantium ossibus (o immanem audaciam) mixta, atq; igni tradita, in cineres redacta, atq; in aerem disiecta sunt. **Volaterrani.**

32 Raphael Volaterr. Geograph. lib. 11. fol. mihi 245. nu. 40. ex Iosephi hæbrei, & Valfridij Strabonis testim. ait. Iosephus, itemq; Strabo dicunt. Herodem Ascalonitam, Samariam Vrbem, cognominasse Sebastem, in honorem Augusti. Hæc Præsule caret, subiecta Abbati Templi Dominici. apud hanc Ioannis Bapt. & Elisei, & Abdiæ prophetarũ sepulchra hodie visuntur.

33 De sacris horum SS. Prophetarum reliquijs, hæc pauca breui. Historiola. Huius sanctorum triumuirati cineres sta-

timè à Christi fidelibus summo studio, summaq; pietate recollectæ, Hierosolymitani Templi Sacerdotibus ad custodiam fideliter sunt cõsignatæ: Indè Smirnam in Lycia translatæ à Ianuensibus anno Domini 1098. missis militum copijs, Vrbano 2. regnante, terræ sanctæ recuperādæ gratia, per præclarissimum virũ Guillelmum Embriacum strenuum militum ducem inuentæ, & conquisitæ, Ianuam summa omnium ordinũ lætitia delatæ fuerunt; & in Cathedrali S. Laurentij aureis, & argenteis Arcis collocatæ, in præsentem quoquè diem asseruatæ venerantur. Hæc Odoardus Ganducius Ianuensis, in tractatu de conuersione gentium, & Ianuensium, Italico conscripta sermone fol. mihi 28. & 29. Eadẽ moderniores omnes.

Cineres apud Ianuenses.

34 De Capite verò sanctissimi P. ELISEI non est cur ambigamus, Rauennæ enim asseruari grauissimi viri; atq; in Ecclesia S. Apollinaris piè coli tradunt, Hieronymus Rubeus in Hist. Rauen. lib. 4. fol. mihi 216. Ioannes Paleonid. lib. 2. Asolani verba in Annotat. ad Vsuardum 4. Kal. Septemb. affero. Sancti Elisei prophetæ, cuius sacrum corpus etiam mortuum, mortui resurrectione peculiariter gloriosum, Rauennæ translatum honore condigno honoratur.

Caput sancti Elisei Rauennæ.

35 De eodem memoranda tradunt, inquit Illustriss. Baronius die 14. Iunij in Annotat. Beda Vsuard. Addo, & Latinorum cæteri, cùm Græcis in Menologiò. De eius sepulchro Samariæ posito, dequè miraculis ibi fieri solitis. S. Hier. epist. 27. & in Abdiam cap. 1. Epiph. de vit. & inter. prophet. cap. 6. Ignotus auctor apud Isidorum de vita, & morte sanct. cap. 36. Niceph. lib. 10. cap. 13. Simon Metaphrast. in Artemio die 20. Octob. qui & recitat de Eliseo encomiũ Basilij Seleuciæ. De Elisei verò reliquiarum translatione facta Alexandriæ agit Cedrenus, in Compend. Anno septimo Leonis magni Imperat. Petrus de Natalib. & alij.

Alia testimonia ad idem.

36 Demùm de Abdia propheta Tertio ordinis nostri magistro Generali, plura apud Græcos, in Menologio, præter ea, quæ in sacra leguntur scriptura, Epiph. de vita, & inter. Prophet. cap. 15. Isid. cap. 43. Dorotheus in Synop. de sepulchro, & miraculis eiusd. D. Hier. epist. 27. & in Abdiam. Illustriss. Bellar. de script. Eccl. & Franc. Rib. in min. prophet.

37 Gra-


37 Gratulemur ergò Diuo Ioāni Baptistæ, qui cum in spiritum & Eliæ virtute venerit, imò cū ipse Elias fuerit. Luc. 2. obtinuit viuens à filijs Eliæ, in Ducem eligi, & ab Eliæ successoribus Eliseo, & Abdia ordinis nostri Prioribus Generalibus, vno consociari sepulchro. — Cōgratu: lat. ad D. Io. Bapt.

38 Gratulemur Ianuensibus, quibus datum est Cinerum Elisei, & Abdiæ ducum Carmelitarum sepulchrum custodire; Ipsosq; cum D. Ioanne Bapt. ad Italorum Ianuā custodiendam, apud Deum Protectores habere. — Ad Ianuēses.

39 Gratulemur tandèm Rauennatibus, qui cùm tot sanctis Archiepiscopis, Episcopis, ac insignibus Patribus fulgeant, etiam Elisei capite venerando, Carmeli gloria, exornentur. Rogemus, vt Triumuiratus iste, & sacra & corporea illa diuinarum Personarum Triade benedictionem, veniam, pacem, & Cœlestia bona nobis impetrent. — Ad Rauēnates.

SINCERO LECTORI.

LVbuit ad gustum, post Epitaphium ad Sepulchrum S. Elisei, & dissertationem festorum Sanctorum Eliæ & Elisei, Theses speciosas, quas in honorem Sanctissimi Patris Nostri Eliæ Prophetæ maximi, clarissimi viri Romæ, & Bononiæ, maximo cum Astantium applausu, publicè de superiorum assensu, tutati sunt, in lucem reuocare, & ob oculos tuos religiosè ponere; Ne te desiderare permittam, quod in hoc scribendi genere facere putem; Et vt nostri Carmeli nitor, nostrorūq; vetustus puræ antiquitatis candor, in hominum memorijs, pro Dei gloria, atq; Beatiss. Virg. Mariæ nostræ Carmelitanæ familiæ Dominæ, ac singularis Reginæ, perpetuò conseruetur.



AD SEPVLCHRVM Sanctißimi P. N. Elisei Prophetæ Carmelitæ EPITAPHION.

Hic situs est magni Præceptoris, maior si fas est dicere discipulus Eliseus, qui humili loco in Abelmeula natus, ab aratri tractatione, ad nobilem animorum curam, ad Prophetæ scientiam, ac dignitatem, ad prodigiorum effectionem euocatus, impios bellis, obsidionibus, septenni fame, cedibusq́; castigat: Qui feras ad lacerationem puerorum in vindictam Parentum vocat, turpisq́ lucri cupiditate sordidos fœdissima, perenniq́ lepra contaminat. Hic est, qui ad vnam Prophetæ voculam, aut Pallij iniectionem ad Dei famulatum incaluit, & Patri, matriq́ valedicens, omnia in Prolusionem Euāgelicæ paupertatis abdicauit à se, atq́ contempsit. Hic est, qui Religiosæ paupertatis thesauro diues, egentes, oberatasq́ viduas inopes Prophetarū cohortes, adeoq́ copiosos militum exercitus, desertis in locis siti enectos, diuina benignitate locupletat, qui innumerabiliū Carmeli Religiosorum Parens, atq́ propogator ea semina annis pene 80. iecit, quæ superueniens Euangelij gratia eduxit, excoluit, & ad debitam maturitatem perduxit. Qui vt populi sui clades prauidit, ità eiusdem salutem, ac libertatem moriens feliciter parturiuit. Vixitq́ annorum C. atq́ eò amplius in religiosa disciplina 80. sex Regum temporibus, Achabi, Ochoziæ, Iorami, Iehu, Ioachaz, Ioas annis sex, & 60. Prophetiæ munere functus, eoq́ vna cum vita, perfunctus est.

Anno Ioasi 10. Amasiæ 8. ante Christi ortum 849.



ELIAE, ET ELISEI
SINGVLARIS DISSERTATIO.

ADeste animo, Pij, & eruditi viri, quibus hæc vna dissertatio, acri est comprobanda iudicio, & quæ de summis Parentum meorum honoribus, ac priuilegijs, pro modulo scribo, vos filiali date pietati. Nouum, & inauditum, in Ecclesia Romana visum est aliquibus, sanctorum Vatum Patrum nostrorum Eliæ, & Elisei sacratissima festa, annua recurrente celebritate, sub duplici maiori, cum octaua solemni, apud Carmelitas, ritu concelebrari vetusto. Ambigēdi autèm tres illis rationes. Prima, quia Vates illi sanctissimi Christi Aduentum longè præcesserunt; Secunda, quoniam genere hebrei. Vltimò, quia alter ipsorum, nondum è viuis sublatus, in Paradiso degit, martyrij palma, stato tēpore, consumandus, imò immortalitate, vt Aquila renouandus; à quibus omnibus, in solemnibus sanctorum Noui testamenti abhorrere videtur Ecclesia Romana.

Introductio quæstionis.

Rationes dubitādi.

Verùm si sacra horum celebritas, recta Iudicij lance libretur, ipsam quidèm Patres nostros, tùm Græcos, tùm Latinos, ab hominum memoria amplexatos fuisse, facilè reperiemus. Tria per ordinem huius quæsiti præstabunt dilucidationem. Præuia quædam fundamenta, Conclusiones, & Obiectorum solutiones.

Quæstionis status.

FVNDAMENTA QVÆSTIONIS.

Fundamentum Primum. Sanctorum solemnia, duplici versantur descrimine; Quædā priuata. Quædam publica. Priuata Sanctorū solemnia; sunt illa, quę in Metropolitanis per cōprouincialia, & Synodalia Concilia, vel in Religionibus, & Monasterijs ipsis, tantùm de Episcoporum assensu, à populis vniuersali Religione, venerari permittūtur. Publica verò dicuntur illa, quibus sancti nedum in Pagis, Ciuitatibus, Prouincijs,

Sanct. solemnia duplicia.

cijs, & Regnis, [illegible] in communi omnium Catholicorum cætu per Romanorum Pontificũ declarationem, beatificationem, atq; solemnem canonizationem, in sanctorum album veniunt tanquàm illi, qui certa fide, post exantlatos labores, tandem ad metam perducti æterna felicitate, æterno æuo perfruuntur, & in terris septem honoribus prosequuntur. Primò in publico sanctorũ Catalogo reponuntur. Secundò, inuocantur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertiò, Templa, & aræ in eorũ memoriam dicantur Deo. Quartò, sacrificia tàm Eucharistiæ, quã laudum, & precũ, in honorem eorum offeruntur Deo publicè. Quintò, dies festi in eorum memoriã celebrantur. Sextò, eorũ pinguntur imagines. Septimò, eorum asseruãtur Reliquiæ in aureis Thecis. Primò quidèm modo; olim Episcoporum erat Canonizare; Ità Thomas Vualdensis lib. de sacram. tit. 14. c. 122. & apud Illustriss. Bellarm. De sanct. Beat. lib. 1. cap. 86. Vnde Cyprianus lib. 3. epist. 6. Iubet ad se scribi, cùm aliquis Martyr de hac vita exit, vt statim possit eius memoriam sacrificijs celebrare, & singulis annis post diem eius natalem colere. Et patet ex multis sanctis, qui vbi innotescunt aliquo in loco, cæteris alijs ignorantur. Et hoc pacto ab initio nedum sanctos Patres nostros Eliam, & Eliseum dicimus canonizatos, sed & alios multos in infantili Ecclesia Christi. At quod olìm pleno iure concedebatur, & Episcopis, & Religiosorum superioribus, qui potestatem in suo ordine, quasi Episcopalem habent, modo omnino vetitũ est, per Alex. 3. Innocent. 3. & Vrbanum 8. Ità, vt nullus possit pro sancto coli, sinè Romani Pontificis approbatione. Eadem Bellarm. l. C.

Canoniz. SS. septē continet honores.

Cuius sit canonizare.

Secundum. Sanctorum à Christi fidelibus speciali deuotionis cultu veneratorum, Alij nominatìm in Catalogo, seu Romano Martyrologio, Gregorij 13. æternæ memoriæ Principis iussu restituto, sunt descripti: Alij, quorum Animæ in Cęlo gloriosè lætantur, sed in communi sanctorum Martyrologio, desideratur nomina. quare P. Philippus Ferrarius, de sanctorum studio benemeritus, in nouo sanctorũ Catalogo innumeros sanctos congessit, iuxta Greg. 13. diploma anno 1584. videlicet, si quos alios habuerint sanctos in suis Ecclesijs, aut

Quinam sancti venerandi.

locis celebrari solitos, eos ne in hunc librum inserant, sed separatim descriptos habeant. Vtroq; modo describũtur Elias, & Eliseus.

Tertium. Veteris testamenti sanctos, de quorum constantia, virtutibus, laboribus, legis obseruantia, implicitaq; venturi Messiæ fide, sacra testatur script. vt in Eccles. cap. 44. 45. 46. 47. 48. & alibi Ecclesia Romana munificẽtissimè amplectitur, & in illorum seriè, qui pro Christi fide, post Baptismũ, ad vsq; sanguinis effusionem constantèr decertarunt, recipere non est dedignata. Cuiusmodi sunt, Abraam, Isaac, Iacob, Ioseph, &c. Elias, & Eliseus. Quos canonizat Eccl. Roman.

Quartum. Canonizatio nihil aliud est, quam publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate, & gloria, alicuius hominis iam defuncti, vel translati in statum confirmatæ gratiæ, à qua recedere nunquam possit. Vna cum iudicio, ac sententia, circa honores numero septem illi dandos. Bellarm. supra cap. 7. Canonizatio quid.

Vltimum. Nota ex D. Thom. P. 2. art. 2. ad 4. quod quamuis lex vetus, sola enim non sufficeret ad salutem consequendam, aliud aderat auxilium, à Deo hominibus simul cum lege, per quod saluari poterant .s. mediatoris fides, per quam iustificati sunt antiqui Patres, sicut nos etiam iustificamur, & sic Deus non deficiebat hominibus, quãdo daret eis salutis auxilium. Formalia D. Thomæ. Hæc de primo. Quom. legis obseruat. saluabantur.

CONCLVSIO PRIMA.

Prima. Diuorum Eliæ & Elisei solemnia, etsi genere hebrei, & ante Christi aduẽtum vixerint iurè tamèn à Carmelitis, & Grecis, qui cum Latinis sentiunt, Templis, aris, & alijs honoribus, duliæ veneratione, per vniuersum ordinem de superiorum assensu piè celebrantur. Concl. 1.

Probatur primò exemplo. An nõ Machabei genere hebrei? & tamèn in Ecclesia Romana illorum memoria Kal. sextilis vbiq; locorum, & Romæ potissimum, grandi fideliũ deuotione, atq; frequentia, etiam nunc ornatur, & colitur, vt apud D. Leonẽ Papã videre est, serm. de Machab. Et Anniuersarium Ratio 1.

ha-

habent Dedicationis Ecclesiæ commemorationem. Imò Eudoxia Valentiniani Imperatoris vxor, anno 438. Templum Machabæicum erexit in titulum. Baron. in Annot. ad Martyr. Ergò si Machabæis solemnia Christianorum côceduntur, optimo iure eadem sanctis Eliæ & Elisei non sunt deneganda; cùm non sit maior ratio de vno, quam de alio. ergo &c.

Corollariè, idem cõfirm. exemplo SS. Abraami, Isaachi, Iacobi, Iosephi, Samuelis, Isaiæ, Ieremiæ, Danielis, atq; aliorum, quos summis honoribus vniuersalis Ecclesia veneratur. vt in 3. & 4. fundamento.

Ratio 2. Probatur secundò. Quoniam sancti veteris testamenti, qui sub Mosaica lege degerunt iustificati dicuntur, & Christianorum sanctorum honoribus digni reputantur. Probatur, quoniam etsì non fuerint iustificati per legem Moysis, per Euangelicam tamèn iustificati dicuntur, quæ tametsi præsens non extiterit, tamèn virtus illius, per anticipationem quandam, ad eos vsq; porrigebatur per fidem in venturum Christum, qui per sua merita, tunc quidèm nondum exhibita, sed suo tempore exhibenda, conferebat illis gratiam iustificâtem. Mart. Becanus in Analog. veteris, ac noui testam. de lege Mosaica cap. 5. ex D. Thom. vt in vlt. fundamento. ergo &c.

Ratio 3. Probatur tertiò. Ex Tertul. lib. de carnis resurrect. Nostri tuentur, D. Eliam in Matris vtero, ab originali labe, mundatum fuisse; quod deducitur item, ex Macharij responsione ad Monachos, & Græcorum opinione rectè sentientium. Ergo tam grandi priuilegio, &c.

Ratio 4. Probatur 4. A simili etenim, quemadmodum D. Ioannes Bapt. honoratur, & ab Ecclesia colitur, tanquam præcursor Christi, in primo Aduentu: Ita Elias noster honorandus est, & colendus, quoniam primò Præcursor fuit Natiuitatis Beatiss. Virg. vt fusiùs alibi, & Præcursor futurus erit, in vltimo Christi aduentu. Quare notatu dignum censeo, idèo præcursorem Natiuitatis B. Mariæ Virginis Eliã appellari, quoniam sicuti B. Virgo in materni vteri conclauo concepta, nouem mensium spatio, more fœtantium delituit, ita nouennam illam Mensium Elias noster à fundata nostra Religione, per nouennam Annorum centuriam, & vaticinante præcucurrit

spi-

spiritu, & consurgentis nubeculæ mysterio præindicauit illā. Ergo Christianorum honoribus dignus &c.

Confirmatur per maximam D. Eliæ, cùm D. Ioan. Bapt. expressam cōsonantiam. In spiritu enim venerat, & virtute Eliæ, Ioannes Bapt. imò Ioannem ipsum Eliam dixit Christus. Lucæ 3. vt apud Petrum Canisium de corrupt. verb. Dei cap. 1. Ergo pares honoribus, & cultu. Confirmatio ad idem.

Prob. 5. Elias in multis typum Christi gessit, vt longioribus prosequitur D. Iacob. Salianus Tom. 4. an. M. 3139. Ergò propter excellentias suas Elias, etsi hæbreus, & ante Christi ortum, venerandus est. Ratio 5.

Prob. 6. Tot fuere Eliæ & Elisei insignia, magnitudinis, & fortitudinis exempla pro diuina lege tuenda, tantaq; zeli diuini honoris constantia, vt Christiani quodammodo possent appellitari: etenim vbi Christianorum nomen, per Christum postea diuulgatum est, ipsi præclarissimi viri factis antecesserunt. Vti de Machab. D. August. scribit epist. 1. in Ioan. cap. 2. ergo. Ratio 6.

Prob. 7. Elias & Eliseus adeò miraculis illustres fuerunt, vt apud Deum pluri potentiarij in Angelis, in Cœlo, in elementis, in viuis, & mortuis, inuenirentur. Illorum admiranda facinora, fusè, in lib. 3. & 4. Reg. in Eccl. cap. 48. apud D. Iacob. cap. 5. & in Euangelio pluribus in locis. Ergo Christianorum honoribus sunt venerandi. Ratio 7.

Vltimò. Qui Monachis omnibus, monachatus iura & normam dedit, & vt præcipuus Pater, in honorem B. Virg. Mariæ Religionem Carmelitarum, diuino architectata spiritu, æuo suo, composuit; carus Deo, Angelis, & hominibus, licet ambo genere hæbrei, & ante Christum ortum, vixerint iure à Carmelitis, Templis, aris, & annuis celebritatibus, Duliæ cultu, per vniuersum orbem possunt, superiorū assensu venerari. Ratio vlt.

SECVNDA CONCLVSIO.

Licet sancti Elias, & Eliseus non sint publicè canonizati, illorum tamen festum annuum, publicis honoribus de superiorum concessione, à Fratribus nostris iurè venerari possunt. Hæc conclusio patet, ex primo, & secundo fundamento vide. Concl. II.

TER-

TERTIA CONCLVSIO.

Concl. 3. Etsi præcipuum tempus, quo sanctorum Eliæ & Elisei sacratissima festa, initia sumpserint, penitus ignoretur: vetustissimi tamen extant Auctores, quorum testimonio, illorum Aræ, & Templa, & sacrificia, & festa, parum post Ecclesiæ Christi cunabula, constituta videntur.

Prob. conclusionis. Facillimè probatur hæc conclusio. Si quidem D. Eliæ festum, nedum S. Greg. Nazianzenum, qui floruit anno D. 379. & ante ipsum, sanctum Optatum Mileuitanum, qui anno 365. in humanis erat, laudatores habet insignes; Verùm in Græcorum Menologio longè ante laudabili memoria recensetur die 20. Iulij, & apud Vsuardum die 17. Iunij. De eiusdem memorando cultu, apud fideles, extat Emanuelis, siue Manuelis Comneni Grecorum Imperatoris constitutio, qua vniuersalis D. Eliæ cultus sub 20. Iulij, vna cum abstinentia seruilium operum, omnibus Christi fidelibus strictè indicitur. Theod. Balsam. in Nomocan. Phoc. Tit. 7. cap. 11. ex annot. Illustriss. Baronij ad Martyrolog. 13. Kal. Augusti. Quantus posteà in D. Eliam fidelium amor fuerit & cultus, indicat Templum, cui titulus Dominicum, venerando Nomini eius, à priscis illis Patribus nostris in Carmelo sacrum. Et quamuis illius Templi fundationem, & euersionem Historia silentio premat: Cedrenus tamen in Compend. Hist. in Basil. illius meminit restitutionis; è quibus liquidò constat, non semel, sed iterum ædificatum, magna populorum frequentia, Elianum illud fuisse Templum. ergo &c.

QVARTA CONCLVSIO.

Concl. 4. Sanctorum Eliæ & Elisei sacra solemnia liberali Romanorum Pontificum pietate nouissimis hisce temporibus, priuata quidem canonizatione, ac Concessione, iurè, ac liberè, annua recurrente festiuitate, concelebrari à Carmelitis possunt.

Prob. conclusio. Prob. conclusio. Festa, quæ summorum Pontificum pietate, populis Christianis, in Monasterijs Parœcijs, Diœcesibus, Prouincijs, & Regnis de benemerentibus Ecclesiæ Catholicæ

pas-

passim conceduntur (vt de Beatificatione B. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Florentinæ Ordinis nostri Carmelitici, ab Vrbano 8. Principe sacro Romæ facta, hodie maxima lætitia accepi) liberè coli, ac publicis honoribus venerari tenemur: At talia sunt Parētum nostrorum Eliæ & Elisei festa; etenim quæ de Ordinis nostri sanctis, ab immemorabilibus nostri instituti generalibus Comitijs, Apostolica auctoritate celebratis, indita fuerant, per vniuersum Ordinem, tandèm Paulus 5. Pontifex colendæ memoriæ, vt ex decreto DD. sacræ Congregationis Cardinalium sub anno 1609. munificentissimè concessit, & perpetuò communiuit. Quod & Gregorius 13. & Sixtus 5. alijq; prædecessores, hoc eodem priuilegio Ordinem nostrum præ cæteris exornarunt, vt in vetustis, & modernioribus Breuiarijs nostris, ex Pontificijs litteris apertè colligitur. Concessio festorum SS. Eliæ & Elisei.

OBIECTORVM SOLVTIONES.

Ex ijs, quæ in fundamentis, & conclusionum probationibus, præmisimus, obiecta supra facilimè, & nullo negotio diluuntur. Obiector. solut. sup.

QVÆSTIVNCVLA VNICA.

Tantum in hac quæstione negotium maximè facessere, illud videtur. Quod si quis vrgeret D. Eliam, è viuis nondum sublatū, neq; inter diuos, qui finali beatitate fruentes, à clara Dei visione nunquam deficere, possunt, anima, & corpore acclusum esse; & ex consequenti, in album Sanctorum noui testamenti; minimè reponendum. Quomodo inquam respondendum? satisfacio. Elias vtiq; inter viuos adhuc degit; sed supra viuos excellentiori quodam modo candidatus. ait Tertull. de resurrect. carnis, cap. 8. vita viuit. meretur apud Deum viator confirmatus in gratia, à qua flecti minimè potest. in Deo summa quiete viuit, ac sublimi contemplatione eleuatus. Nùm intuitiua, ac faciali dignatus visione; in vita D. Eliæ varias sententias retulimus. Et quamuis De visione & fruitione Eliæ.

us laurea martyrij ad maiorem Dei gratiam, & gloriam adquirendam sit coronandus, à feliciſſimo ſuo ſtatu anima non ſeparabitur, vt de D.Stephano, qui lapidum ictibus, dum premeretur Ieſum ſtantem adhuc videbat ad gloriam. Vnde de D. Elia apud noſtros axioma illud. QVEM VIDET POSSIDET. Tu vide Blaſium à Viega in Apoc. cap. 11. ſect. 4. Honofr. Maneſcalchum de Antichriſto. Nicolaum Sararium in 3. Reg. & alios.

Ergo repetamus oportet feſtum SS. Eliæ & Eliſei noſtri ordinis fundatorum & Ducum, inter ſanctos noui teſtamenti annuente Pontifice Romano, iurè coli, ac concelebrari à Carmelitis. Illos interim aſſiduè precemur, vt continuata nobis ſubſidia præſtent; atq; patrocinantes à Deo pro noſtra pace, & ſalute, auxilia, in huius vitæ pugna, impetrent, donec Antichriſtus per Eliam, & ſocios, tempore conſtituto, victores deſtruatur.



ASSERTIONES THEOLOGICÆ

De Elia vnico Carmelitarum Patriarcha.

A M. F. Francisco de Paz Salmat. Romæ dispu.t.

IN ESSE NATVRALI.

1 ELiæ anima, quæ neque ab homine, neq; ab angelo producibilis erat, à solo Deo immediatè per cretionem producta est, quæ in naturæ dignitate) Christi Domini, ac Deiparæ Virginis animabus exceptis) *a* nulli cedit.

2 Corpus eius non ab *b* Eleazaro, sed à *c* Sabacha fuit in instanti productum non *d* impassibile, sed *e* mortale, vera actione generatiua realiter à corruptione conseruatione, à præuiaq; alteratione distincta.

3 Vnio neq; accidens est, neq; substantia, neq; purè spiritualis, aut corporea, sed sola materiæ, & formæ causalitas; quia ità intimè, ac immediatè connectuntur, vt absq; alio vinculo, aut nexu, *f* perfectissima eius humanitas coalescat.

4 Essentia est esse animal rationale, qui eadem *g* carne, eisdemque corruptibilibus *h* membris, quibus anno *i* ante Christum 932. assumptus est, vsq; ad Antichristi tempora est *l* duraturus, qui neq; *m* ægrotabit, neq; *n* senectute marcescet in immortalitatis (per peccatum) ammissæ *o* indicium.

5 Potētiarum omnium genera ab eius essentia procedunt. Vegetatiuæ .s. sensitiuæ, secundum locum motiuæ; & intellectiuæ, inter se, & ab essentia realiter discriminantur, circa quas triplex causalitatis numerus exercet, essentia efficientis .s. materialis, & finalis.

6 Inter quas & originis, & perfectionis Primatum tenet pasibilis intellectus, qui & actiua potentia est, & à memoria realiter distinguitur à practico vero, & speculatiuo, inferiori portione, ac superiori, solum formaliter, cuius obiectum est ens in omni sua latitudine.

a Aug. in quest. vet. & no. test. q. 26.
b P. Dami. de cont. facerd. ep. 12. c. 2.
c S. Doroth. in fin. de vit. Prophetar.
d Hier. ad Pamach ep. 61.
e Aug. de peccatorū merit. c. 3.
f Idē lib. de Patrib. vet. test.
g Beda in c. 9. Luc.
h Aug. lib. 2. de gratia Christi c. 28.
i Erar. Carth. fasc tēp. à Mundi 4300.
l Hier. ad Pan. ep. 61.
m Tertul de ref. car. c. 8.
n Aug. de gratia Christi cap. 23.
o Cl. Alex. ap. Suar. 3 p. q. 59. ar. 6. d. 55.

7 Voluntas realiter ab intellectu distincta, habet pro formali obiecto bonum ab intellectu apprehensum quæ licet in actibus solum imperatis possit violentiam pati, minimè tamen eum passa est, nequè latus curru igneo à *a* Deo per aera, nec etiam destinatus *b* martyr ab Antichristo *c* occidendus.

a Io. Chrisost. lib. 2. serm. de S. Elia
b Beda, hom. in cap 9. Luc
c Tert. lib de carn. resurr. c. 6.

8 Liberum arbitrium non est potẽtia ab intellectu, & voluntate distincta, non solum circa media, sed quodãmodo circa finem ipsum versatur, quod licet sit potentia ad peccandum, neq; *e* peccatum commisit, nec *e* mortale committet, nec si committeret esset quoquo pacto in Deum reijciendum.

9 In cæteris potentijs, proprijs actibus tanquam veris, physicis, ac efficiẽtibus caussis, suos habitus produxit, qui nec otio per se, nec alio actu contrario possunt aut corrumpi, aut remitti, sed tantum aduerso habitu.

10 Forma albi Pallij, *d* Sacci, *d* superhumeralis, & *d* Zonæ primæq; *d* Regulæ monasticæ, quã Deo *d* inspirãte *d* primordialiter instituit, *e* essẽtialiter apud Carmelitas *f* incessanter perseuerat, vnde illud, Prophetas facis successores, post te de omnibus Carmelitis ad *g* literam intelligendum est.

d S. Io. Patriar. ad Caprass. per totum
e Triuem. de laude Carm. c. 2.
f Sixt. IIII. in Bull. dat. Romæ a. 1477.
g Ex decreto Acad. Cantab. an. 1364. approbat. à Grego. 11.

11 Figura Verbi incarnati de toto rigore Iustitiæ Patri satisfacientis pro peccatis, fuit incubatio eius super puerum, animaq; eius, & potentiæ vestigium gerunt trinitatis, vnius .s. indiuisibilis essentiæ, triumq; personarum realiter distinctarum, quarum secunda .s. Verbum, procedit per intellectum, vera generatione, secus verò Spiritus Sanctus per voluntatem.

12 Locus, in quo precipuè *h* habitauit, & vbi se *h* mirabiliorem exhibuit, fuit mons *h* Carmelus, non Carmel Nabal in *h* tribu Iuda, sed Carmelus mons maris in *i* tribu Isachar, in quo tota monastici instituti fundamenta *l* strauit, qui licet sit contra Iordanem non inde curru igneo translatus est, sed trans Iordanem è *m* regione Iericho.

h Io. 44. ad Capr. c. 19. 20. & 21.
i Basilius in ep. ad Chilonem.
l Nazianz. in orat. Basilij Magni
m Abulē. 4. Reg. c. 1. & 2.

13 Tem-

13 Tempore *a* Ioram, Regis Iuda, anno à creatione mundi *b* 43co. & ante Christum *b* 932. curru igneo igneus ille propheta est eleuatus in cœlū, auriga *b* Israel, & origo *b* Carmelitanæ religionis, cuius sedecim ante annis *c* prima aperuit fundamenta, quam fore duraturam non solum in capite, sed etiam in mēbris vsq; in finem mundi piè *d* creditur, & speratur ex Deiparæ Virg. *e* promissionibus.


14 Nomen proprium est Elias, cuius literalis interpretatio est *f* Deus Dominus. Qui non fuit *f* Phinees filius Eleazari, *f* neq; binomius, quamuis à sanctis Patribus honorificentissimis cognominibus *g* Præcursoris, *h* Apostoli, *h* Euangelistæ, *i* Doctoris, *i* Martyris & alijs celebretur, quæ potiùs elogia quam propria Personæ nomina dicenda sunt.

15 Sanguis eius ex paterno genere Stirpis *l* Sacerdotalis, & ex materno ex *m* Regali prosapia originem ducit *n* Leuita, & summus etiam *o* Sacerdos extitit, vtpotè, qui *p* publicè, & *q* communiter licitè *r* offerebat sacrificia: qui in occisione Prophetarum Baal non *s* deliquit, imò fidei propugnator acerrimus *t* extitit.

16 Patria eius fuerūt *u* Thesbæ, nō *u* Græcorum, aut *u* Aegyptiorum, sed *u* Hebræorum, vnde nō *u* Thebeus, neq; *u* Thebanus, sed *u* Thesbites appellatus est; fuitq; de habitatoribus *u* Galaat in sortibus duarū tribuum & dimidiæ vltra Iordanem ad *u* orientem, non in sorte *u* Manasses, sed in parte sortis *u* Gaad.

a Carth. in fasc. temp. ante Christū 932.
b Io. 44 ad Capras. c. 20.
c Baconit. ante 2 schient.
d Maccerius, & Fauen. in vit. S. P. Thom.
e P. Damian de cont. sacer. ep. 12. c 2.
f Dorotheus de morte prophetarum
g Maluenda de Antichristo lib. 9 c. 5. plures.
h Io. Chris. lib. 2. serm. de Elia.
i Beda hc. sup. cap. 9. Luc.
l Epiph. de vit. proph.
m Epiph lib secundo, & ex 3. Reg. 4. Pineda in Monar. 1. p. lib. 3 cap. 26 §. 3 & Cantap. hipot lib. 3 c. 4.
n Epiph lib de vit. proph.
o Isid. de Patr. vet. test.

p Io. Chris. hō. 57 in Matth.
q Balbin. epist ad Anton. Imp.
r Isid. de Patr. vet. te.
s Tertul. lib. de carn. resurr. c. 8.
t Doroth mart de vita proph.
t Abul. sup. c. 17. lib 3. Reg.
u Io. Bacon super Reg. Carmelitarum.



IN ESSE SVPERNATVRALI.

a Aug. in qq. vet. & no test. q. 20.

ELiæ anima, actu æterno imperatiuo Diuini intellectus prædestinata, & ad gloriam nullis præuisis, aut scientia media cognitis meritis. Electa ad ea gratiæ munia fuit destinata, vt neque *a* Baptistæ in gratuitis sit inferior.

b Io. Patr. ad Caprass. c. 34.
c Isid. lib. offic. c. 43.
d Epiph. de vit. proph.
e S. Doroth. de vit. proph.

2 Corpus eius ab æterno fuit in Carmelum (hoc est in *b* circumcisionis scientiam & castitatis *c* primiceriũ) præsignatum, quod *d* viri illi *d* cãdidati, seu *e* albicantes *e* angeli in eius ortu apparentes indicarunt.

3 Vnio non fuit peccatum eius originale, licet ex ea resultet priuatio illa, in qua essentialiter consistit, ab Adamo per generationem in illum transfusa & ei propria, ac voluntaria, à qua tamèn ante *f* natiuitatem in vtero *f* mundatus est.

f Tertul. lib. de car. resur. c. 8.

4 Essentia gratiæ, quia fuit & sanctificatus, & *f* cõfirmatus, est esse formale participium diuinæ naturę, vt in se est, in animæ essentia immediatè residés, & latiùs sumpta in habitualem, actualem, & gratis datam diuiditur, quibus omnibus licet esset *f* illustratus, illud tamèn de duplici spiritu Eliseo, cum pallio relicto de solis *g* gratis datis intelligendum est.

g S. Doroth. de morte proph.
h Io. Chris. ho. 57. in Matth.
i Ciril. Alex. cathe. 16. de Spir. Sancto.
l Io. 44. ad Caprass. c. 1. & 2.
m Sixtus 4. & alij vsq; ad Paulum 5. inclus.

5 Potentiarum omniũ supernaturalium, quas *h* habuit genera, donaq; Spiritus *i* Sancti inter se, & à gratia realiter differentes, à gratiæ essentia procedunt, ab eiusq; monastico instituto *l* Carmelitæ, quibus continuata successio hereditaria sine *m* temeritate negari non potest.

n Iustin. mart. q. 89.

6 Inter quas excellentissima est charitas, qua Dei honorẽ zelauit, fides verò origine prior eius subiectũ est intellectus, obiectũ formale prima veritas reuelans, cui non derogat, quod in Oreb claièn viderit diuinam essentiam.

7 Volũtas, in qua formaliter residet libertas subiectum est charitatis & à qua ratio perfecti voluntarij à

prin-

principio intrinseco procedit; cuius libertatis exercitium potest haberi sine vllo formali actu, non tamen essentia voti, quæ in vero actu promissorio suorum votorum consistit.

8 Liberum arbitrium non fuit per originale peccatum extinctum, licet ad benè operãdum gratuito indigeat auxilio ex se efficaci & physicè prædeterminante, non solùm extrinseca Dei prædiffinitione, sed motione etiam intrinseca, quia mediante in dies exercet opera a meritoria gloriæ.

9 In cæteris potentijs, pugnam habuit ex vitioso obiecto; ex quibus omnibus victor gloriosus *b* euasit, cum neq; *c* desperatione sub Iunipero, *c* audacia contra Achab, *c* timore Iesabel, aut *c* ira in prophetas Baal fuerit vel leuiter *d* percussus.

10 Forma monasticæ *e* disciplinæ sub obseruantia trium essentialium *e* votorum nõ est nouum inuentum in *e* Ecclesia, sed ab eo primordialiter *f* emanauit, & ad hæc vsq; tempora perseuerat, *g* imitatione in omni Ecclesiæ *g* monachatu, hereditaria *h* successione in *h* Carmelitis.

11 Figura nubeculæ paruæ ei *i* ostensæ; Virginem Deiparam *i* nasciturã, virginitatis in nouo testamento, *l* primiceriam, monasticiq; sui instituti *m* Protectricem præsignabat, in cuius honorem *n* Carmelitæ primum *n* orbis B. M. Virg. *n* Sacellum in *o* Carmelo in fevnionis Eliæ loco post Deiparæ assumptionem erexère, ad hæc vsq; tempora *p* perseuerans.

12 Locus, in quo vel *q* sine vllo cibo, vel solo esu ligni *q* vitæ ab anno *r* 932. ante Christum vsq; ad Antichristi *r* tempora sine *s* ægritudine, aut *s* senio conseruatur *s* viator, est Paradisus *t* Adæ, qui in Thabor etiã in transfiguratione *u* proprio, ac *x* vero corpore *x* curru igneo apparuit pro sui ordinis duratione *y* orans, indeq; iterum ad Paradisum *z* remeauit; indè Hierusalem *z* ad locum, in quo Christus Crucifixus *z* est, in fine mundi *z* venturus.

13 Tem-

a Apoc. 11. apud Vieg comment. 5. sect 5. plures.
b Io. Chris lib. serm de S. Elia.
c Isid. de Patr. vet. test.
d Tertul. lib. de carn. resur c. 8.
e Apud Vubaldens. doc. to. 1. lib. 3. art. 1. & 2.
f Cassian. lib. 1. c. 2. & lib. 2. c. 15.
g Hier. ad Paulinũ, & Rusticũ.
h Sixt. 4. in Bulla dum attenta an 1477. & Gregor. 13. in Bulla vt laud. a. 1577.
i Io. 44. ad Caprass. c 33.
l Beda hom. super Missus est.
m Io. ad Capr. c 33. vsq, 36.
n Ioseph lib. n. sect. mil. c. 12. 17.
o Io. 44. ad Caprass c 36.
p In Itinerarijs iunior Terræ S.
q August lib de peccat mer. c. 3.
r Er. Carth. fasc. temp. an. mundi 4300.
s Tert li. de car. resur. c. 8.
t Iustin. Mart. ad q orthod. q. 75. 76. & 85.
u Hier. super c. 17. Matt.
x Origẽ. Luc. 9.
y Io. Bacon. ante 2. sentent.
z Aug 20. de Ciuit c 29.

a Hid. de Patr. vet. testam. ex Apoc. 11.
b Trit. Abb. Spā. de laud Carm. c 2.
c Sophron. in prato c 45.
d Philo. lib. qd liber sit Probus.
e Io 44 ad Capraſſ. à cap. 11. ad 36.
f S. Doroth. de vit & mor. prophet.
g Beda hom. in c 9. Lucæ.
h Greg. Niſſ. In Cant. hom. 7.
i Io. Chriſ lib. 2. ſer. de S. Elia.
l Tertul. de car. reſur. c. 8.
m Io 44. ad Capraſſ. c. 19. & 21.
n Grego 13. in Bulla vt Breuiarij, & alij plures Pont.
o Chriſoſt. trib. ſerm. habitis in ead feſtiu Eliæ.
p Sixt 4. Romæ an 1477. & alij vſq; ad Paul. 5.

13 Tempore Antichriſti ignitum eius prædicationis verbū quaſi facula ardebit per 3. annos *a* cum dimidio minus 20. *a* diebus, cadauerq; eius in platea Hieruſalem per tres dies cū dimidio inſepultū *a* manebit, poſt quos *a* reſurget glorioſo corpore agili diaphano, & ſubtile in nubeq; *a* lucida cęlum viſibiliter aſcendet impaſsibilis.

14 Nomen Carmelitarum à monte *b* Carmelo ortū habuiſſe certum eſt, quo *b* ſemper à temporibus Eliç ad hæc vſq; tempora ſunt gauiſi, licet aliquando etiam Eliotæ, *c* Eliſeni, *d* vel *d* Eſſeni, *e* Recabitæ, filij *e* Prophetarum, & *e* monachi sūt appellati, ſicut etiam modò Dominicani, Prædicatores, & Franciſcani minores iuſtiſſimis de cauſis ſimul appellantur.

15 Sāguis eius *f* Hieroſolymis pro Chriſto *f* ab antichriſto *f* effundetur, quo triplex ei aureola, *g* Martyris, *h* Virginis, & *i* Doctoris propinabitur, cui in gratia *l* confirmato poſt raptum *m* Carmelitæ *m* ſacellum ſe *m* vnion appellatum *m* erexère, & adhuc *n* viuentem authoritate Apoſtolica tanquam *n* canonizatum, cum tota Eccleſia *o* græca venerantur.

16 Patria ad quam tendit, eſt cœleſtis beatitudo nō obiectiua ſolum, ſed formalis, quæ in clara Dei viſione conſiſtit quamquam ex meritis, & gratia certò ſperat habiturum, in qua ex vi eiuſdem viſionis *p* vberes fructus videbit, quos in omni *p* ſtatu, & tēpore *p* inceſſanter Carmeliticus ordo *p* produxit producit, *p* & in *p* futurum producturum indubitantèr ſperamus.



ee

COTICVLA ELIAE ET ADAMI ASSERTIONES

A R.P. Lect. Angelo Roberto de Laurentis Bonon. disp.

Circa Paradisum.

1 PAradisus voluptatis, quem à principio plãtauit Deus in Eden. 2. verè terrestris est locus. 3. plantis veris frugiferisq; plenus. 4. flumine irrignus. 5. ibi positus non formatus Adam. 6. ibi producta Eua. 7. eo translatus Henoc. 8. Eliæ demum futurus domicilium diuinitus cõseruatur.

In Arbore vitæ.

9 Arbor vitæ vera est, & naturalis. 10. cæterisq; ab omnibus dissimilis. 11. cuius ex frequentato æsu vita potest perenizari. 12. ob quandam naturalem sibi insitam virtutem.

In arbore scientiæ boni, & mali.

13 Arbor scientiæ boni, & mali corporea est. 14. à quadam fortasse nostrarum non dissimilis. 15. cuius æsu experimentalis acquirebatur cognitio boni, & mali. 16. ac propterea à Deo Adæ prohibita.

Ad ingressum Paradisi.

17 Ignea Omnipotẽtis ira. 18. ærumnis subiectus hinc eicitur Protoplastus Humani generis parens. 19. in quo nascimur filij iræ; abiecerat. n. diuini præcepti onus. 20. Igneo curru inuctus, non ex impassibili corpore; sed Dei imperio. 21. Carmelitici Ordinis Institutor, & Rector huc inducitur. 22. qui intercedẽs lenit iracundiam Dñi; consiliorum. n. (legis nedũ) onera susceperat; vnde de illo: Currus Israel, & Auriga eius 4. Reg. 2.

In medio Paradisi.

HIC

ADAM	ELIAS.
23 In gratia creatus ab ea miserabiliter peccãdo excidit	24 gratiã adeptus in ea mirabiliter cõfirmat impeccab.
25 fallẽtis Diaboli malè cautus incidit technas	26 dolosi Antichristi mundo toti manifestabit insidias
27 cum posset nõ mori necessitati se mortis implicuit	28 cum non posset non mori necessitatem mortis effugit

29 omnibus cæteris peccatoribus grauius peccauit, Eua excepta

30 Reliquos oẽs Sanctos magnitudine meritorum facilè superaturus est, Maria exc.

31 In sudore vultus sui pane vescitur hinc eiectus corporali à Deo minata morte moriturus

32 de ligno vitæ sine labore reficitur ad arcendam mortem ex senio contingentem

33 tunica pelliceâ vestitur in deperditæ innocentiæ signum,

34 & ad cęli, sub quo deinceps victurus erat intemperiem vitandam.

35 Vir pilosus, & zona pelliceâ accinctus renibus in sanctitatis amictum

36 non .n. aeris inclementiam timet.

37 illusus est cũ ei dicit Dñs ironicè: ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est

38 verissimè dici potest factus quasi vnus ex Diuinis.

39 in corpore mysteria Incarnationis cognouit sensibus per ecstasim ligatis

40 Christũ in trãsfiguratione proprio corpore, & oculis corporeis clarè conspexit

41 oculos corporeos post lapsum aperuit ad misera, clausit intellectuales ad felicia

42 Carneos clausit oculos post raptũ ad misera, mẽtis illuminatos habuit ad Diuina

43 extitit ad Patriam tantum anhelans purus viator

44 mũdi peregrinus, cęliq; colonus extat simul VIATOR & COMPREHENSOR.

45 Si Deum vidit per modum trãseuntis tantũmodo vidit

46 Deum dum videt p modum inspicit permanentis

47 vita functus in terram, de qua sumptus fuerat reuersus est

48 martyrio moriturus nõ videbit corruptionẽ; post triduum .n. ad instar Christi resurget, & in nube in cœlum ascendet.

49 Salus denique Adæ (saluus licet) à quibusdam cum Hęreticis, tum Catholicis negatur.

50 Eliæ Sãctimonia, cũ à Græcis, tũ à Latinis, sed ab ipsis Hebręis creditur; Testamẽti .n. vtriusq; sãctitatem gerit.

In Elia diademate.

Quis potest similiter sic gloriari tibi. Eccl. 48.

VITA
S. DIONYSII PAPAE ET MART. CARMELITAE.

Ex his, quæ apud Petrum de Natal. Platinam, Trithemium, Baron. Alphonsum Ciaconium, Ioan. Paleonidorum, & alios successiuè sunt enarrata.

Vixit ad Annum Domini 272. sub Claudio Imperat. sepultus Romæ in Cœmeterio Calixti die 26. Decemb. Colitur à Carmel. translatus in diem 19. Ianuarij.



1 ACTA sanctiss. viri Christi Martyris inuictissimi Dionisij Papæ Carmelitarum familiæ iubaris eximij, certis quibusdā veluti lineis, compēdiosa lectione apud veteres scriptores variè repræsentata reperi. Quare longo annorum tractu interpellante, opere pretium duxi meliorum fide, assiduoque historiarum labore præmisso splendidam plurimorum relatu sancti Patris Dionysij vitam planiorem hoc ordine, aliquo modo reddere. *Vita D. Dionysij qualis.*

2 Incunabula sancti Patris nostri obscurritatis tātum præ se ferunt, quantum difficultatis illorum habet inuestigatio. Huius nec patrium solum, nec parentum originem, nec prouinciam ipsam, clarissimis viris Damaso Pont. Max. lib. de Rom. Pontificibus cap. 26. Platinæ, & alijs vnquam datum est aperire: Vndè excelso, aut humili æditus loco, veterum monumenta dubia præteriere. Alphonsus Ciaconius lib. de Sum. Pont. Dionysium nostrum regnicolam, ex Turriæ Calabriæ vrbe, olim magna græcia, generosum ducere gētilitium, *Onus D. Dionysij noctis ad instar.*

Varia de cius patria.

abundè testatur. E nostris verò Petrus Lucius Belga, in Carmel. Bibliot. meliori quidem nota, e finitima Syriæ prouincia clarum parentibus ortum duxisse, constantissimè suadere, conatur. At cecutire sæpè in noctis vmbris contingit.

Eiusdem professio.

3 Verum quæ tanti Patris natalitia temporum velamina adumbrant, eadem Professionis luce collustrant. In claustris enim, D. Dionysium studio monachalium iura amplexum fuisse constanter clari asseuerant scriptores. D. Hier. de script. Eccl. Euseb. in Chron. & Hist. lib. 2. cap. 24. Niceph. D. Aug. Epist. 165. optat. lib. 2. contra Parm. Petrus de Natalibus. Fasciculus temporum Trithem. de laud. Carm. suppl. Chron. Viuard. Plat. Ciaconus, Baron. Sebast. Var. Frāc. Ioannetus, & alij plures. Onuphrij Panuini verba, lib. de Rom. Pont. sub anno Christi 258. hic inserere iubet fol. mihi 10. S. Dionysius Græcus Monachus Impp. Cęsarib. Valeriano, Gallieno, Valeriano iuniore, & Marco Aurelio, Claudio, Pijs, Felicibus, Augustis, sedit Annos 9. mēs. 4. dies 5. Creatus 11. Kal. Sept. ordinationes duas mēse Decēb. fecit Episc. 7. Presbyteros 12. & Diaconos 6. occisus fuit 7. Kal. Ian. Anno 269. & in Cęmeterio Calixti sepultus Imperatore Cæsare, Marco Aurelio, Claudio P.F. Augusto 11. & Paterno 11. Coss. vacauit sedes dies 5. Hæc Panuinus.

Onuphrij testim.

4 Græcus autē hic Monachus ab Eremiticis nostri instituti Claustris euocatus ad altissimam Romani Pontificis maiestatem euectus fuit. Hoc factum nostri omnes rotundo, vt aiunt, conclamant ore. Paleonid. lib. 2. cap. 4. his verbis. Dionysius Papa, huius nominis primus, ex Monacho nostræ Religionis, pro Christo Martyr effectus est; vixit Anno 260. Didacus de Coria, Baptista Hispaniolus. Petrus Lucius Belga, Iosephus Falconius, Franc. Voersius, Valerius Ximenez. quorum rationibus externi quoque, veritate impellente, subscribere coguntur. Idèm longioribus in euisdem vindicatione præstare, non grauabitur: quidquid enim sanctorum litteris mandatur, id commendari omnium eruditorum lectione decet.

Dionysiū Papam ex nostris, q agnoscāt.

5 Nùnc sancti Pōtificis acta sole clariora aggredior. Etenim hereditaria quadam nostrorum Monachorum doctrina, pru-

prudentia; & sanctitate excellentissimi Animi ornamentis fulgens, post sanctum Sixtum secundum Christi gloriosissimum Martyrem ad pontificatus apicem magnus, & admirabilis euectus totius Romanæ Ecclesiæ, clarum ex præcitatis Auctoribus Baronio, & alijs vndecim Annis sāctissimè rexit; immaculateq; gubernauit; Primum hunc eundem fuisse Monachum, qui è claustris vocatus Pontificali cæpit fulgere dignitate, non paucos asseuerantes vidimus. Hinc quoque Maximum Ostiensem Episcopum consecrauit. Acta D. Laurentij propè finem testatur. Quod verò Anno 261. Idibus Septembris Valeriano, & Galieno septimum Imperij Annum agentibus contigisse, minimè dubitamus.

Succedit Pontific. S. Sixti.

Dion. r. è Monachii Pontifex.

6 Hic Pontifex creatus, referente Coriolano, cultum diuinum auxit, & amplificauit. Presbyteris Ecclesias, & Cemeteria, in vrbe statìm diuisit, Parochias, & Diœceses foras distribuit, quo quisq; finibus suis, limitibusuè contentus esset, quæ antea, etsì distributa sine scripto, per ipsum autem, id scripto firmatum fuit, ne quisq; alterius administrationi se ingerere, auderet.

Acta Pontificia.

7 Sub tāto Pontifice Anno 263. multorum Episcoporum Concilium Romæ concelebrari iussit, in causa Dionysij Alexandrini, qui per hæc tempora obortam, & propagatam hæresim Sabellianam, qua diuinarum Personarum distinctionem miserè confundebat, prædicare, enunciareq; satagebat. Quare Pontificalibus monitus litteris, suam declarauit sententiam, & apud ortodoxos purgatus, Pontifici Dionysio publicè adhærere, consensit; Athanasio, Basilio, & Gregorio Neocesariēsi, eius partes tutātibus, ab Imperatore absolutus fuit.

Cōcilium Congreg.

8 Anno Quarto Pontificatus Dionysij Nepotem Episcopum Egyptium in hæresim erumpentem repressit, & Dionysij Episcopi Alexandrini ope, tum scriptis, tum viuæ vocis oratione compressit, & penitus fugauit.

Hæreticū deprimit.

9 Antiochiæ Anno 268. Synodum septuaginta Episcoporū aduersus Pauli Samosateni Episcopi Antiocheni hæresim in sanctissimam Trinitatem, verbi incarnationem, & B. Virginis puritatem debachantem, vti ab ineunte ætate Beatiss. Virgini inter claustra nostra addictus erat; ita eius partes acer-

B. Mariæ Virginit. oppugnat.

acerrimè tutatus est; Itèm 272. Anno eodem mandante Dionysio Pontifice, iam senio confecto, alia coacta fuit Synodus, in qua publicè damnatus, & Episcopatu priuatus fuit.

S. Zamam Epis. Bononiã instituit.

10 Hic sanctus Pontifex Zamã primũ Bononię Episcopum ordinatione creauit, qui sede in suburbijs posita, Christi fidem propagare cœpit. Ex Tabulis Archiep. Bonon. sub Illustriss. Gabriele Card. Palæotto. At Illustriss. Baronij monitum trado in prætermissis.

Inter Episcopos à Dionysio Papa ordinatos, & ad diuersarum Ecclesiarum regimen institutos, certum est ordinasse quoque Zaman Episcopum, eundemq; Bononiensi Ecclesiæ præfecisse: qui in indice Episcoporum Bononiensium primus ordine numeratur. Sed mea sententia, quod incendio Diocletiani combusta sint antiqua Ecclesiastica monumenta, nullius alterius Bononiensis Episcopi mentio habetur, qui Zamam præcesserit, sed ipse primus, cuius certa, testataque memoria est, ordine collocatur: cum nequaquam mihi persuaderi possit, nobilissimam Italię Ciuitatem ingenti semper populo refertam, tribus fermè seculis, à Christi aduentu dilapsis caruisse Ecclesiã, & qui ei præficeretur, Episcopo; cum cõstet nonnullas alias Italiæ Ciuitates, dignitate, & frequentia populi lõge impares, iam pridẽ fuisse Episcopalibus sedibus illustratas. At de ijs modo satis. In eod. lib. de Rom. Pont. post illa, quæ nuper sunt recitata, hæc in fine de Dion. habet.

Ordinat. habet.

11 Ordinationes duas mense Decẽbris habuit: Episcopos per diuersa loca numero septem, Presbyteros numero duodecim, & Diaconos sex creauit. Dierum tandem plenus, & miris fulgens operationibus, Anno sui Pontificatus vndecimo, sanctissimus Pater Dionysius Septimo Kal. Ian. sub Claudio Imperatore innumeris exantlatis laboribus, vt ex Synodica Concilij Antiocheni Epistola, fortiter dato capite, qui pro Deipara Virginitate pugnauit. Anno 272. Virgo immaculatus martyrio est coronatus. Onuph. Panuinius de Rom. Pont. in Dionys. & lugente Carmelo, in Cęmeterio Calixti, via Appia, tertio ab vrbe miliario, Pontifex gloriosiss. sepelitur. Qui humilimæ Claustri fortunæ confidens, in maximam Olympi magnitudinem euectus Deo fruitur, Cælum quæ sinu illum fouet.

Martyrio cælũ petit.

S. Dio-

S. Dionysius Papa Vindicatus pro Carmelitis.

Sanctissimi P. Dionysij Papæ venerandæ Memoriæ Monasticen, à qua videlicet ante regale Pontificatus diademá educatus familia, in qua religiosorum. Elaboratus officina, cognoscere cupienti, sequêtibus quæstiunculis, quasi per capita, ab Illustrioribus rerum sacrarum, ac humanarum selecta, scriptoribus (Deipara Virgine Maria tutante) aperire quàm breuitèr constitui. Etenìm in re tàm graui, eò iustius veritatis amore incendor, & difficultatis huius dilucidationi satago; Quò temporum edacitate multa nostri ordinis perijsse, videntur, & perdita obscuritate ipsa vera, mendatia creduntur. Ità è tenebris D. Dionysio Papa vindicato, eius posteritatis amantes à longè huius inquisitionis labore abstinebunt. Vindicatio proponitur. Ratio vindicandi.

QVESTIVNCVLA PRIMA.

Quid Monachi nomen, quot modis sumptum Oppugnatores, ac defensores.

Prolusio ad propositam veritatem indagandam, est primùm quid Monachi nomen inuestigare. Frequentissimum enim est apud omnes Patres cùm Græcos, tùm Latinos, & si non vnus explicandi modus, Monachi nomen. Monachus Greca vox est, solitariũ vel virum singularem indicãs 16. Quæst. 1. Vnde D. Dionysius Cap. 6. Eccles. Hierarch. Monachos dicit, qui rebus diuisibilibus relictis, Monadi, Idest, Diuinitati soli placere contendunt. Quid Monachi nomen.

Monachi nomine, quo ad priuilegiũ Canonis intelliguntur omnes vtriusque sexus. Qui Religionis habitum in Monasterio receperunt, etiam si sint conuersi laici. Megalius in Institutionibus peregrinis P. 2. V. Monachus. Et hac quidèm nominis appellatione, Dionysius Papa sanctus Monachus appellatur. Qui nam Monachi dicantur.

Quot modis verò dictum Monachi nomen aperio. Vel

enim

Monachi nomen multiplex

enim laxè, vel presè, aut pressius sumitur. Laxè. Iuxta sacrorum Canonum Oecumanicorum Cōciliorum, ac S.Rom. Ecclesiæ Patrum loquendi modum, omnibus Religiosis intra claustra degentibus, siue votorum vinculo adstrictis perpetuò, siuè non, optimè accommodatur. Quarè hac denominatione, & Prophetæ, & Eremitæ, & Cænobicæ, & Anachoretæ, & moderniores omnes, siuè Basiliani, siuè Benedictini, siuè Dominicani, Franciscani, Eremitani, & Carmelitæ omnes plenè fruuntur.

Laxè quinam.

Presè qui Monach.

Presè Monachus est, qui ab Apostolis viuendi formulam accepit, & cum alijs vita communi viuens, Deo, sub votorum pauperpatis, Castitatis, & Obedientiæ solemni quidèm sponsione sese perpetuò vouet. Et hoc modo Therapeutes .i. cultores Dei, de quibus D. Dionysius supra, Ascetes .i. Pugiles, seu exercitores virtutum, de quibus. D.Basius in regulis. Tehetis .i. suplices, & Dei Laudatores, de quibus Philo lib. de supplicibus; nomine Monachi Gaudent siuè sint Eremitæ, Cænobitæ qui in Cænobijs, & Monasterijs viuant, siuè Anachoretæ, qui in solitudinibus post Monasterium de superiorum licentia vitam ducant. Hi omnes presè dicuntur Monachi.

Varia Monachorū nomina.

Pressus qui Monacho.

Vltimò pressius, iuxtà quorundam appellationem Monachi hoc tempore dicuntur omnes, S. Basilij & D. Hieronymi in oriente omnes Benedictini, siuè Albi, siuè Nigri in Occidente. Præmonstratenses, Cluniacenses, Cartusienses, Camaldulenses, & alij qui non sunt Canonici Regulares; Isti enim aperte negant vocari Monachos, nisi impropriè, vt videre est apud P.Gabrielem Pennotum in Hist. Tripartita, & Philippum Nouarienſem pluribus in locis.

Canonici reg negāt se dici Monachos.

Monachatus pars nobilis Ecclesiæ.

Iàm tandèm ad Monachatus Osores, & propugnatores calamum Conuerto. Est enim Monachatus Catholicæ Ecclesiæ pars adeò præstans, adeò magna, & excellens, vt eius causam cum Ecclesiæ causa omnino coniunctam esse non dubitemus. Vndè quemadmodum nullus vnquàm impius fuit Catholicæ Ecclesiæ hostis, quibellum vituperationis, maledicentiarum, & insectationum eodem tempore Monachis seuerè non indixerit omnibus. De Donatistis anno 358. de Aria-

Vitnperatores Monasticę vita.

rianis, anno 315. de modernioribus itèm Vuiclefistis, Hussitis, Caluinistis, Luteranis, Melanctonibus, & huius farinæ alijs, miserandis Monachorum exprobratoribus, nihil attinet, dicere; Quos constat esse impietatis seminaria; Ità prouidente Deo, nullus vnquàm temporis apex præterijt, quò viri summa pietate fulgentes, Monachos in veritatis sinu, & caritatis amplexu, non fouerint, à monstrisq; illis execrandis tandèm non liberauerint. Cur ita? Nisi propter maximum, quod cum Ecclesia Dei habet vinculum monachorum status. Vtiquè cum Bellarmino scribere lubet. Rari omninò, exceptis Sanctis Martyribus, in Sanctorum numerum relati leguntur, qui ex Monasterijs nō prodierint monasticis.

Vituperatores monasticæ vitæ.

Sancti olim e Monasterijs.

De hoc scripserunt argumento Monachorum propugnatores accerrimi D. Hier. passìm multis in locis; Ruffinus lib. Hist. 11. cap. 3. Concronus eidem. D. Hier. sub anno 390. D. Ioannes Chrisostomus in tribus libris contra vituperatores monasticæ vitę, anno 398. D. Aug. cōtra Pitilianum, eius contemporaneum hæreticum, anno 420. Ioannes Cassianus de institutione Cœnobit. Albertus Mag. in defensorio Mendicantium. D. Thomas in Opusc. 19. B. Bonauentura in Apolog. pauperum. Thomas Vuald. Carm. lib. 3. & 4. de Doctr. fidei, & de sacram. tit. 9. Albertus Pighius controuers. 14. Alphonsus à Castro, & alij quos Illustriss. Bellarm. lib. de monachis felici congerit Calamo. In re igitur nostra dicimus, D. Dionysium Papam, non iuxtà primam, aut tertiam, sed iuxtà secundam acceptionem Monachum fuisse, vt infra enucleabitur.

Scriptores monasticæ vitę.

D. Dionysius qua acceptione monachus.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quo tempore, atque Auctore, Monastices.

NIhil in hac quæstione ambigui. Etenìm ab Ecclesiæ Catholicæ cunabulis nullum vnquàm tēporis momentum defluxit, quod Monasticum non assotiaretur vestigium. Consentiunt D. Hieronymus de Viris Illustribus, in Philone. Cassianus de Institutis renuntiantium. Eusebius lib. 2. Hist.

Monachatus sēper Ecclesiam associatur.

cap. 16. Et primus omnium Dionysius Areopag. de Eccle. Hierar. cap. 6. florens post Christum natum, anno 72. & in actis Apostolorum cap. 4. sub nomine Religiosorum, cum quibus moderniores omnes. Vnde Ecclesia Christi, Iobi illud cap. 31. rectè vsurpare potest; Ab infantia creuit mecum Religio; virtus .s. quo Deo debitum exhibemus cultum, & de Vtero meo, egressa est mecum religiosa monachorum familia.

De Monachatu hæreticorum menda.

Hinc absurda Hæreticorum mendacia, vrgente verò, penitùs cachino explodenda. Falsò Magdeburgenses, Cent. 4. cap. 6. & alibi post tertium à Christo seculum monasticen floruisse scribunt. Siquidèm Philo Apostolorum concronus de monachis Essenis librũ edidit & D. Dionysius Areopag. anno Christi 72. in humanis agens de monachis in Eccles. Hierarch. cap. 6. plura tradit. Iosephus quoq; Hebręus de supplicibus sub Vespasiano librum scripsit: Quare liquidò cõstat monachorum statum longè antè tertium seculum in Ecclesia militante cœpisse.

Quo ad Auctorem verò falsò itèm Magdeburgenses lib. c. falsò Philippus Melancth. in Apolog. falsò Caluinus, & reliqui sectarij; Monasticæ vitæ Paulum, Antonium, Macharium, & alios mendaciter auctores fingunt. Falsum quoque astruũt, dùm originem, ac Monachatus causas assignare volũtarias conãtur. De quibus longioribus Illustriss. Bellarm. tũ in prȩfatione, tũ in tractatu de monachis. Quod si indiuidualiter Monasticȩ ꝓfessionis ab initio inuestigetur Auctor, duplici occurrũt Carmelitȩ Responso. Alterũ si in veteri lege fiat inquisitio, Eliam Vatem, nostrũ & Patrem Monachorum auctorem semper sunt Venerati; iuxtà D. Hieronymi sentẽtiã (Epistola ad Rusticum) in hæc verba; Filij Prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas propè fluenta Iordanis, & turbis Vrbium derelictis, polenta, & herbis agrestibus victitabant. Et Epistola 13. ad Paulinũ, ait, Noster princeps Elias, noster pater Eliseus, nostri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi Tabernacula propè fluenta Iordanis. Ioannes quoq; 44. Hierosol. Patriarcha

De auctore monasticæ vitæ vera responsio.

libro

libro de gestis veterum monachorum. Nicephorus lib. 11. Eccl. Hist. Cap. 18. Molanus die 13. Ianuarij. Thomas Vuald. Hier. Platus, & alij multi consentiunt: Vnde Rupertus Abbas grauiss. auctor in Cant. Cant. lib. 1. inquit: Hæc dixit, & hæc fecit ille primus auctor, & institutor eorum, qui dicti sunt Filij prophetarum, quos fuisse monachos in veteri testamento consentit auctoritas Patrum venerabilium: Si autèm in noua lege de Monachorum Auctoré fiat inuestigatio, respondent Carmelitæ, Ioannem Baptistam Monachorum auctorem primum fuisse; quia cum præuia Christi fide, è nostris plures ad Christum allexerit; ipsi quoque, Christo consiliante; Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Matt. cap. 19. formulam viuendi ad Apostolicę consuetudinis normam, Monachatum in Ecclesiam inuexerunt; Prolixam Auctorum Seriem dedita opera omitto. Tantum Chrisostomi verba, Homil. 1. in Marcum refero, sicuti Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic monachorum princeps Ioãnes Baptista est. & Homil. de D. Ioan. Baptista, Idèm. Hac facta suppositione ad alia transitum facio. Secũdum respõsum.

QVESTIVNCVLA III.
Quinam in Ecclesia primi Monachi?

FIrmata monachorum origine, attentius peruestigandũ occurrit, Quinam primęui in Ecclesia Monachi? Quæstio satis desiderata. Si quidèm nullæ adhuc obuiant præclarissimorum scriptorũ Lucernæ, cæcas huius quæsiti tenebras collustrantes. Nàm quærenti, cuius ordinis & instituti primi monachi? An videlicet D. Pauli, Antonij, Hilarionis, Basilij, & huiusmodi? Nullus petitioni huic hactenus satisfecit. Soli Carmelitæ occurrunt dicentes, primos monachos Carmeli montis heremitas Essenos fuisse. Quod non sinè diuinæ Prouidentiæ concursu contigisse acclamant omnes, vt illorum ope, secretum tot seculorum spacijs latens, & stato tempore aperiendum, ad interruptam illorum successionem in Ecclesia tandèm dilucidaretur. Hinc firma Patrum nostrorum sententia. PRIMI. IN Ecclesia Monachi,

Quinam primi Monachi.

Elisęni siue esseni primi monachi.

CARMELITÆ. Propositio hæc, hac Appendicis lima modificāda: Quod scilicet nostri, in ipsa Ecclesiæ infantilitate cōmuni Carmelitarū vocabulo minimè appellabantur; sed vel Essenorum, vel Religiosorum Prophetici ordinis, vel Monachorum, siue Cœnobitarum, aut Anachoretarum speciosissimis quidèm titulis, in tenera illa ętate, denominabātur. Aduertentia memoriæ tenaciter commendanda, pro retundendis Aduersariorum telis.

Carmelitæ à principio esseni, & alijs nominibus appellati.

Propositionem quæsito respondentem dedimus. Nunc ipsam veritatis luce confirmemus. Duo de viginti domesticos rerum nostrarum Historicos habemus scriptores, quorum irrefragabili testimonio, Monachos primos in Ecclesia, ex Carmelitico nostro instituto fuisse, apertè comprobatum ostenditur. Illos breui Synopsi recensere lubet, vt qui volunt illos petant.

Historici Carmelitæ.

Primus est D. Ioannes 44. Hierosolimorum Patriarcha, in libro cui titulus, De institutione primorum monachorum ad Caprasium montis Carmeli priorem, floruit an. D. 400. Secundus, D. Cyrillus olìm nostræ familiæ Prior Generalis, in Epistolis Ordinis, claruit an. D. 1200. Tertius, Guilelmus de Sāmuco in Chronica de Multiplicatione sui ordinis, & in declaratione suæ regulæ, scripsit an. D. 1280. Quartus, Sibertus Becca, Gheldrius, in considerationibus super ordinis regulam, floruit an. D. 1310. Quintus, Philippus Riboti de gestis Fratrum Carmelitarum, claruit an. 1320. Sextus, Ioannes Grossus patria Tholosates, Prior Generalis, in viridario sui ordinis, scripsit an. 1424. Septimus, Ioannes Bacconus Anglus vir laudatæ memoriæ in compendio iuriū Carmel. vix. an. 1345. & in quolibet. Octauus, Robertus Ormesserius lib. ad Carmel. flor. an. 1382. Nonus, Thomas Vualdensis Hęreticorum malleus, in doctrinale, pluribus in locis, scribebat an. 1430. Decimus, Baptista Mantuanus, Ordinis Generalis, in Apologia pro Carmel. flor. an. 1494. Vndecimus, Ioannes Paleonidorus Bactauus, lib. de Principio, & processu Carmel. clar. an. 1495. Duodecimus, Thomas Scropus Anglus Episcopus Dremoriensis, de Carmelitarum Ordinis primordijs, & dignitate; Itèm de eodem or-

di-

dine ad Eugenium Pontificem, ſcripſit an. 1436. Tertiuſdecimus, Diegus de Coria Hiſpanus, in Dilucidario lib. 1. & 2. vix. an. 1596. Quartuſdecimus, Ioſephus Falconius Italus Placentinus, in Cron. Carmel. flor. 1597. Quintuſdecimus, Petrus Lucius Belga, in compẽdio Carmel. flor. 1597. Sextuſdecimus, Franciſcus Voerſius Pedemontanus, in Vita Henrici Siluij, an. 1614. Decimuſſeptimus, Thomas à Ieſu diſcalceatus Carmel. in Comment. ſuper regulam primiti. anno 1598. Decimusoctauus, Hieronymus Gratianus, in Diſciplina regulari ad Carmel. flor. an. 1600. Decimus nonus, Valerius Ximenez Hiſpanus, in ſtimulo, & Hiſtoria Carmel. an. 1604. Vigeſimus, Franciſcus Paz Hiſpanus in Aſſertionibus Romæ propugnatis an. 1613. Vigeſimusprimus, Camillus de Auxilijs, in sũmario Carmelitico an. 1601. Vigeſimusſecũdus, Touſſaintus Foucher Gallus, anno 1624. Vigeſimustertius, Angelus Robertus Laurentus, in Coticula Adami, & Eliæ. Qui omnes ore vno, calamoq; vno propoſitam firmiter tuentur veritatem.

Ab externis itèm præclara prodiere monumenta noſtram hanc veriſſimam ſententiam comprobantia. Horum breuiſſimam ſeriem hìc inſero, Vt de rebus noſtris cupidis præſtò occurrant. Ioſephus Antiochenus de perfecta militia primitiuæ Eccleſiæ cap. 12. & 72. Ioannes Trithemius de laudibus ordinis Carmel. & de Viris Illuſtribus eiuſdem ordinis. Hieronymus Platus de Bono ſtatu religionis lib. 2. cap. 22. Errardus in faſciculo temporum varijs in locis. Iacobus Heremitanus in ſupplemẽto Chron. Arnoldus Vuion in lib. ligni Vitæ, Guillelmus Tyrrus in continuatione belli Sacri. Iudocus Clictoueus Portuenſis oratione pro Carmel. Paulus morigia de Carmel. Carolus Tapius de Carmelitis, Ioannes Ptiſeus Anglus Canon. Antuerp. de Illuſtribus Angliæ ſcriptoribus. Ioannes de Carthagena in commemoratione B. Mariæ de monte Carmelo. Bartholomæus Caſſaneus tit. 4. concl. 70. Ioãnes Azorius in moralibus inſtitutionibus lib. de Relig. Frãc. Suarez de Religione Petrus Dorlãd. Carthuſ. in vita S. Annæ. Polydorus Virgil. de inuent. Rerũ lib. 7. Aſcenſius Badius in Commentarijs Ba-

Externi ſcriptores pro Carmelitis.

pt-

pt. Mant. Sigibertus Gemblacensis in Chron. Hierosolim. Ioannes de Pineda 3. p. Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Chronica Romana, apud Thomam discalceatum. Armachanus Archiepiscopus Hibernus in sermone de Conceptione. Iacobus Salianus in Annalibus mundi Tom. 4. in Elia. At tædium, vt effugiam alios omitto Auctores. Ij enim omnes, nostrarum antiquitatũ in primæuam illam Ecclesiæ ætatem, vnisonum musicæ chorum, & laudabilitèr, & sufficienter conspirantem constituunt.

Ommissa deniq; tum domesticorum, tũ externorum scriptorum caterua, primæuum in Ecclesia nostrum Monachismum, approbantes, prosequor eiusdem veritatis historicum filum, si quidèm priores, qui ad Ioannem Baptistam, in deserto commorantem, prædicationis tempore, concessere, disciplinæ eius addiscendæ gratia, è nostra quidèm familia indubiè processerunt. Tunc temporis enim; Exibat, scribit D. Lucas cap. 3. ad eum Hierosolima, & omnis Iudea, & omnis regio circa Iordanẽ, & baptizabantur ab eo in Iordane, inter quos, nostros dicimus adijsse religiosos. Vnde D. Ioan. Hierosol. Patriar. 44. in libro ad Caprasium cap. 29. inquit. Propterquod Religiosi filij prophetarum montis Carmeli, & alij, in tabernaculis, propè Iordanis fluenta, & in ceteris terræ promissionis habitantes, fuerunt tunc à S. Ioãne, duce eorũ, sicut & alij de populo baptizati, vt facilius præparati essent, ad vnigenitum Dei filium, inter homines conuersantem cognoscendum. Quare D. Hieronymus in vita S. Pauli primi Eremitæ Tom. 1. fol. mihi 106. inquit, intèr multos sępè addubitatum est, à quo potissimum Monachorum eremus habitari cæpta sit. Quidam hoc altius repetentes, à B. Elia, & Ioanne principiũ sumpsisse autumãt: & paulò infra, quosdam affirmasse Antonium alios Paulum Thæbeum vulgò primum Eremitam, recitat. At quoniam dubitationem de primo Eremi habitatore mouet D. Hieronymus. Nos verò è contra, primos monachos inquirimus, idèo lubet cum alijs sanctis Patribus & nostris asserere primos in Ecclesia monachos, è nostra filiorum prophetarum familia proculdubiò D. Ioãnis Baptismo initiatos prodijsse.

Primi ad Ioannem conuersi.

Testimonia ad idẽ.

D. Hier. explicatur

Hoc

Hoc idem apertè liquet; Quoniã veterum est SS. Patrum assertum, vt videre est apud Heribertum Rosuueydum Vltraiectinum Soc. Iesu, in Annot. ad vitam D. Pauli primi Eremitæ, de mente D. Basilij, maximam cum Carmelitis intercessisse necessitudinem D. Ioannis Baptistæ: imò è paterna domo recedens in Carmeli solitudine commoratum esse. Do verba D. Basilij Epistola ad Chilonem. Hic MONS celeber Carmelus, in quo Elias demoratus perplacuit Deo &c. Hic sita eremus est, in qua B. Ioannes esitans locustas formulam pœnitentiæ hominibus perficiundæ, sua prædicatione præscripsit, & euulgauit, vnde D. Lucas cap. 3. Puer autem crescebat, & confortabatur, & erat in desertis locis. Et quod magis vrget, est D. Ioãnis Chrisostomi auctoritas homil. 69. in Matt. qua vestiũ vsum, inter primæuos illos monachos ad Eliæ, Elisei, & Ioannis Bapt. exemplum fuisse, demonstratur.

D. Ioannis Bapt. cum Carmelitis familiaritas

D. Ioan. Baptist. in Carmelo habitauit.

Accipite Bernard. ad fratres de monte Dei. Antiqua hereditas Ecclesiæ Dei, est à tempore prophetarum demonstrata. Iamq; nouæ gratiæ sole exorto. In Ioanne Bapt. instaurata, & renouata, & ab ipso Domino Iesu Christo familiarissimè celebrata, & ab eius discipulis ipso præsente concupita. Clarius Philippus Hieropolitanus super illud Ioannis: miserunt Iudæi &c. ait, referente Paleon. lib. 2. cap. 1. Miserũt Iudæi ab Hierosolimis Sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem Baptistam habitantem cum Carmelitis, confratribus suis in heremo propè Iordanis fluenta. Vnde Sozomenus lib. 1. cap. 12. respiciens filios Eliæ, sub Ioannis disciplina Monachos effectos, inquit. Hanc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant (ij autem quidam sunt nostri Patres) instituit Propheta Elias, & Ioannes Baptista. Idem apud Nicephorum lib. 8. cap. 39.

Scitum est, opinor, si ad hanc rem, quam loquor, quod alibi lectitaui huc literis reuocare non grauabitur. Hoc autem est viros illos, qui monasticen, sub D. Ioannis Bapt. disciplina, ab oue, vt aiunt, profiteri, cæperunt; filios fuisse prophetici ordinis, alio, se acutiori nomine, succedentibus temporibus, Essenos, siue Esseos, communi vocabulo

Esseni potius Elisæi.

nun-

nuncupatos: cùm ELISENI ab Elia, & Eliseo potiùs denominandi fuissent. Quod acceptum referimus R. P. Henriquez Tom. 2. lib. 12. cap. 5. in glossa, in littera B. apud P. Thomam à Iesu discalceatum Carmel. in Comment. nostræ Regulæ, fol. mihi 30. Ij inquam viri ab Elia, & Eliseo continuata serie, vsq; ad Ioannem Bapt. processerunt, à quo prædicante monachismum primò acceperunt. De ipsis præclarè Philo Iudæorum disertissimus lib. de vita contemplatiua, siue de supplicibus, hoc.n. illustri elogio priscos illos nostros patres, à continuata orationum supplicatione, cohonestandos censuit. Idem in lib. cui Titulus. Quod liber sit probus.

Primi sub D. Ioann. Monachi.

At hoc idem fortè clarius, si memorāda Illustrissimi Baronij verba, in testem adduxero. Anno enim Christi 64. n. 9. & 10. inquit. Quis prohibet dicere eosdem Essenos (quos Elisenos ipsi vocamus) Apostolorum prædicatione conuersos inter Christianos professos esse? Nam si quod Naturæ insitum est, habentium simbolum, sit facilis communicatio; quomodo non magis ex his quam aliarum sectarum iudæis Christiana religio potuit propagari? Equidem omnes sectas, quæ erant in Palestina Christum Dominum aliquando, auersatos fuisse, nempè Phariseos, Sadduceos, Herodianos, & Samaritas, euangelica attestatione exploratum habetur, de Essenis verò, quod aliquando, vel Domino, vel eius Apostolis, atq; discipulis, vel minimum negotium fecerint, nusquam legitur. Hæc Cardinalis ille, Ex quibus apertissimè deducitur, veteres Patres nostros Essenos, siue Elisenos initio nascentis Ecclesiæ per Ioannem Bapt. Monasticen induisse.

Ad idem testim Baronij.

Conclusio clara de essenis.

Et vt omne propulsetur dissidium in re nostra, ex eodem Baronio ibidem, aduertendum duxi. Non omnes Esseos Christi fidem sectatos fuisse; nàm ex ijs complures, post Ioannis, Christi, & Apostolorum prædicationem in sua remansisse perfidia, testatur Philastrius de hæresi: vnde discriminatur Essei, de quibus Iosephus, ab Esseis quos Philo laudat. Etenim Essei à Philone laudati, erant Alexandrei, Essei verò quos Iosephus memorat, erant genere Iudæi, & isti

De essenis distinctio

item

item diuisi erant, nam alij mitiores, & ij iudaizabāt, alij perfectiores, & ij veri Essei, fideles videlicet, & Monachi primi, nostri instituti.

At irrefragabile eiusdem Baronij testimonium adduco, anno 188. in calce. Is enim de scriptis D. Dionysij Areop. disputans, respondensq; obiectioni quorundam negantium ritus, cæremonias Ecclesiasticas, ac Monasticas institutiones ab auctore assertas, ac sæpius inculcatas, non fuisse in Ecclesia Dionysij Areopagitæ temporibus, ait. Hoc quam falsum sit, cōsulat prudens lector, quæ primo annalium tom. dicta sunt, vbi de diuersis Ecclesiasticis ritibus egimus, & cum de Essenis fusius pertractata est controuersia: inueniet satis perspicuè demonstratum, Ecclesiasticas Cæremonias, ex Apostolorum fontibus, in Ecclesiam dimanasse, Vitamq; Monasticam, in Essenis (quos fuisse Christianos aperte docuimus) prodijsse, sed primitus in Ioannem exordium sumpsisse, adeò vt non sit opus in his diutius immorari. Quid clarius de nostris Elisenis, seu Essenis in Ecclesia primitiua? Quid clarius de nostro monachatu, in primæuo illo tempore? ita iura veritatis ampliora omni antiquitate, nec possunt vlla præscriptione lædi, nec innumera testium multitudine obrui, atq; labefactari. Vide Baronium ad verbum Tom. 2. Annal. An. Christi 109. fol. mihi 140. Aliud Barō. testimō.

Verum hæc de Essenis distinctio, clarior ab Illustriss. Bellarm. lib. de Monachis cap. 5. traditur, dum ait. Fuerunt tria essenorum genera, eiusdem fere nominis, nimirum Esseni Samaritani, de quibus Epiphan. hæresi 10. Ita Esseni Iudei, de quibus idem Epiph. hæresi 19. Quos ipse Ossenos, idest sanctos vocat. Deniq; Esseni Christiani, ex Iudeis conuersi ad fidem, quos Epiphan. Esseos, vel Iesseos, hæresi 29. vocat, nos verò Elisenos, ex quo apparet Iosephum, nostros Monachos Essenos, seu Elisenos, cum Iudaizantibus confudisse. Superest igitur repetendum, & memoriæ sæpius inculcandum, quod cum in Ioannis prædicatione, inumeri ad Christi fidem peruenerint, primos, qui Monasticen sunt professi, Essenos fideles, siue Elisenos nostræ gētis Carmeli montis, viros fuisse, quippè qui à Christo Domino eruditi, ab De essenis clarior distinct Bellarmini. Idem sæpè inculcandum.

Apostolis baptizati ipsorum cooperatores effecti, alij in Carmeli Cœnobijs, & in locis eremis Eremitæ degentes, alij post cœnobia in Syluis Anachoretarum more, Deo inseruire semper & Deiparæ Virgini studuerunt.

QVÆSTIVNCVLA IV.

De multiplicitate ac diffusione nostri Monastici status.

Diffusorum Monachorum diffusio proponitur.

DE Nomine, Tempore, Auctore, & Monastici nostri status Prioritate hactenus. Nunc ad multiplicitatem, & nostræ gentis dilatationem animum conuerto: & illud consideratione dignum, quod prædicante Ioanne, inquit Lucas cap. 3. exibant ad eum agmina virorum, ac mulierum, e quibus multiplicatus est numerus discipulorum eius, quos statim pro Euangelica Instructione ad Christum misit. Alij sequaces de numero 72. alij simpliciter cùm Apostolis ipsis sequebantur, testes signorumq; faciebat. Misso demum Spiritu sancto, post Christi ascensum, quemadmodum multi de populo, in dies ab Apostolis baptismo regenerati erant; ità charitatis vinculo, ad inuicē nectebātur, vt toti Ecclesiç, esset cor vnum, & anima vna. Horum verò fidelium, quasi nouæ plantationes, cùm liberis, & vxoribus domi perseuerare, decreuerunt quidam: Nonnulli religiosiorem vitam decernentes, in sortem Domini, clericorum vsu, delecti fuerant: Patres demum nostri strictiorem ad huc ingressi viam, sub Christi Domini Consilijs, & Apostolorum præceptis, solemnioribus Religiosorum votis, cœlibes in Claustris, ducem imitantes, sese Deo perpetuò dicarunt. Hæc apertè D. Hieron. de viris Illustribus, Philo, Cassianus de institutione renunciantium, Euseb. lib. 2. Hist. ca. 16. & Apostolorum discipulus Dionysius Areop. de Eccl. Hierarch. cap. 6.

Ecclesia nascens.

Monachismi ortus in Ecclesia

Testimonia adidit.

Attende Dionysium Carthus. in opusc. insigniorib. lib. 2. cap. 6. Porrò dum fidelibus vndiq; multiplicatis vita illorum communis ab vniuersitate credentium, non posset seruari, cœperunt nōnulli, viuentibus adhuc gloriosis, & sanctis Apostolis, vitam illam cōmunem inter se seorsum resumere, renouare, & cum multis additionibus iuxta Euangelica Christi

sti consilia, continuare, viuentes in omnimoda castitate, paupertate, obedientia, cum dira, ac ardua corporis afflictatione, magnis vigilijs, ieiunijs, abstinentijs, & disciplinis. Quemadmodum Philo lib. de viris illustribus. Porro taliter côuersantes, ab ipsis Apostolis, & apostolicis viris nominati sunt Monachi, quasi custodes vnius, & vni summo bono iugiter intenti. Ab alijs vero dicti sunt famuli Dei propter assiduum, & eminenter deuotum purumq; famulatum Deo, diu noctuq; exhibitum. Et quamuis neq; Christum, neque Apostolos vouisse, legamus, quia Christo, qua Deus, & côprehensor, non competebat votis ligari; in dubium tamen est Christum Dominum pro bonorum renunciatione consilia dedisse: & Apostolos de facto omnia reliquisse bona, & cum proposito, saltèm implicito, non retrocedendi, Christum sequutos esse. Ita August. apud D. Thom. in 4. dist. 38. cap. 22. q. 88.

LEGENTI CANDIDO.

AT mentem huc aduoces, Lector oro. Nàm factum est, vt nostri Prophetarum filij, olìm Eliseni, vulgo subinde Esseni, paulo post nomine, diuinitus quidem mutato, ad Essenorum infidelium distinctionem, communi vocabulo, vel Therapeutæ, vt D. Dionysius, & Philo, vel MONACHI, tantum, vt D. Hieron. Sophronius, Palladius, in vitis Patrum, & alij. Vel EREMITÆ tantum, vt Historicorum multi, vel, MONACHI EREMITÆ simul, vt in Prato spirituali, & vitis patrum, vel VIRI RELIGIOSI, vt in Actis Apostolorũ cap. 2. Vel DE ORDINE Prophetarum, vt in vita S. Spiridonis, vel Ascetę, aut Asceterij, vt apud Eusebiũ, & Baronium, pro vt vnicuiq; Iubebat, patrio seruato idiomate, denominabantur. Therapeutæ. i. cultores Dei. MONACHI, ab vnius Dei cultu; EREMITÆ, ab eremo CARMELI montis; VIRI RELIGIOSI, ob miram Religionis obseruantiam, DE ORDINE Prophetarum, propter interruptam Patrum nostrorum successionem: Addas insuper. Quod qui in Eremi Carmeli montis Cęnobio degebant, Cęnobi-

Nostri Patres varijs nominib. appellati.

nobitæ appellabantur. Qui verò à Cœnobio ad solitudinem transibant Anachoretæ, vel Eremitæ nominabantur. Ascetæ i. pugiles & exercitatores. vnde Asceterium idem est hac Monasterium.

Instabis; qui fieri potest, vt cum vnus substantialiter sit Carmelitarum Ordo, vnaq; illorum interrupta series tot varijs, diuersisq; denominationib. ab antiquis Græcis scriptoribus denominaretur? Respondeo, tribus rationibus. Primò propter Græcorum discensiones, & Orientalium scriptorum sectas; quæ varijs hæresibus atq; schismatibus plurimum laborarunt; vnde Greci historici ferè omnes cautè legendi veniunt. etenim.

Græci Historici prouidè legendi.

1. Eusebius Pamphilius Episcopus Cæsareæ Palest. fuit Arrianus.

2. Ruffinus presbyter Aquileiensis fuit origenista.

3. Euagrius Ponticus fuit Princeps Pelagianorum.

4. Socrates scholasticus Nouatianus.

5. Sozomenes Salaminus fuit etiam Nouatianus.

6. Theodoretus quondam Nestorij, & Theodori Mopsuesteni, fautor fuit.

7. Palladius Galata fuit origonista, & Pelagianus.

8. Ioannes Cassianus fuit Pelagianus.

9. Nicephorus Callistus, non æquo animo erga Eccl. latinã. Ij omnes ad inuicem sępè digladiantes, & dissentientes, quod vni placebat, alteri displicebat. Vnde qui non constabant fide, & dissentiebant opinione, varia quoque nomina, variaq; scripta, pro libito circa ordinem nostrũ excogitarũt.

Secunda ratio quia nonnulli ab illis laudantur, qui falsis opinionibus impleti fuerunt, vti S. Hieronymus contra Pelagianos in Epistola ad Ctesiphontem probat.

Vltimò, quia nempe, vt Georgius Granefelt Carthus. de imaginibus antiquorum Eremitarum in annot. ca. 6. orientale Imperium, à tempore Constantini Magni vsq; ad vltimam defectionem continuis quasi scaturijt hæresi archis: ibi enim orti sunt Arriani, Macedoniani, Nestoriani, Eutichyani, Originistæ, Monothelitæ, Iconoclastes, Photiani, & alij, quare satis clarè liquet, vnde orta sit apud græcos scriptores

tanta scribendi varietas, & nostrorum Monachorum non una denominatio.

Iam præmissa, sub Christo, regenerati nostri Instituti, necessariò præcognoscenda varia hominum distinctione; opus est eiusdem nostræ familiæ multiplicationem, atque multiplicandi causas aliquo modo insinuare. Vix vitæ lauacro gens nostra mundabatur, vix Apostolicis sese præceptis adstrinxerat, vix Religiosa claustralium vota vouerat; quando factus est, ad nostri sodalitij ædes, populorum vtriusque sexus, & omnium ordinum, frequens concursus, alij rerum nouarum studio, alij sanctitatis fama, alij Euangelicarum Concionum lepore, alij admirando facinoris stupore acti. Cùm itaq; omnes Iudæorum vrbes ingens nouorum hominum rumor peruasisset, vno omnium sermone nostrum vbiq; celebrabatur nomen. Hinc Eusebius Cæsariens. lib. 10. Eccl. Hist. Apud Antiochiam floridissima Congregatur Ecclesia, in qua etiam fuerunt prophetici ordinis viri quam plurimi, cum quibus Paulus, & Barnabas. Et Acti. ca. 13. erant autem in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas. Ioseph leuites Cyprius, & Symon, qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenens. & Manaen, qui erat Herodis collectaneus, & Saulus.

Nostri sodalitatis fama diffunduntur.

Sed clarius hoc idem, ex Illustriss. Baronij verbis accipito; Anno .n. Christi 301. agēs de diruptis Ecclesijs sub Maximiano cognomento Galerio in oriente, quæ iussæ sunt penitus æquari solo, ait. Nec (quod diximus superius) quemquam moueat, si in eis de Asceterijs siue Monasterijs mentio habeatur (Nota) quod errore decepti multi putant, non nisi à temporibus Constantini, fuisse eiusmodi res, & nomen inuentum; nam præter illa quæ superius dicta sunt, cum de Essenis (nos Elisenis) actum est, & quæ de existentibus temporibus Apostolorum collegijs virginum testificatione Ignatij, à nobis etiam paulo ante citati narrauimus: si de his dubits, Eusebio fidem adhibet. Equidem ipse (vt suis locis dicemus) hac eadem persecutione vrgente, nonnullos ex Ascetis passos esse martyrium tradit; planè si Ascetæ erant, oportuit Ascetaria quoque fuisse, quibus ij continerentur, vnde

Illustre de nostra diffusione Baronij testim.

& no-

& nomen quoque fuerint consequuti, quod si virorum, multò magis sanè sacratum virginum erant, quas timor facilis lapsus, & virgineus pudor magis includi debere suadent. Sed de ijs alibi pluribus. Hæc Card. Baronius. Quibus apparet virorum ac mulierum nostri instituti tempore Apostolorum cętus cum diffusione extitisse, sub Asceterij nomine.

Duæ causæ dilatationis nostrorum. Prima causa.

Nunc duæ huius concursus causæ. Altera, quoniam assiduo orationis, atq; contemplationis studio, Christi bonus odor erant nostri Patres, cuius diffusione interni populorum sensus mirificè delectabantur. Vnde Romana Chronica, apud Paleonidorum. Prædicationis Domini nostri Iesu Christi tempore, Eremitæ de Monte Carmeli Hierusalem accesserunt, quorum quidam illorum anno septimo à passione Domini, vsq; ad tempus Titi, & Vespasiani Imperatorum apud Hierusalem, in Porta aurea religiosè consederunt. Alij verò B. Petri Apostoli Antiochiæ Cathedrati temporibus, in circunquaq; regione adiacente, & diuersis locis, catholica pro fide substiterunt. Hæc ibi. Altera verò, quotidiana beneficiorum ac miraculorum indigentibus facta multitudo. Vnde Charitatis nexu etiam infidelium corda illis subnectebantur. Alludit Sigibertus Gemblacensis in Historia Hierosol. Cum Carmelitæ in sancta pęnitentia perseuerassent, à tempore sanctorum Eliæ, & Elisei prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt. Qui religiosi fidem Catholicam confitentes, in Christo baptizati sunt. Deinde perseuerantes in doctrina Apostolorum, habentes gratiam ad omnem plebē, veritatis euangelicæ nuncij fideles, & religionis Christianæ legitimi confessores, legitimè effecti sunt. Hæc ille.

Secunda causa.

Quinam à Carmeli vinea prędiere.

At maiora manent. Ex hac Carmeli propagine, notat Paleonid. lib. 2. c. 1. D. prodijt Andreas, qui postea ad Apostolatum vocatus, Iesum sequutus est. Ex hac itèm, qui à D. Ioanne missi fuerant, vt interrogarent Iesum, Tu es qui venturus es. Ex hac viri illi pietate prædití, qui D. Ioannis corpus in Carcere truncum transferentes in Elisei, & Abdiæ sepulchro honorificè sepelierunt. Ex hac amicissimi illi religiosi, quos SS. Anna, & Ioachim in Carmelo sæpius, visitationis

tionis

ctionis gratia, conueniebant; & ad quorum aspectum B. Mariam Vig. adhuc puellam parentes deferebant, inquit Petrus Dorlād. Carthus. in vita S. Annæ; Ex hac innumeri quæ Christi cunabula reuerentur adorauerunt. Ex hac quamplures inter 72. discipulos connumerati, Syllas, Marcialis, Agabus, Sostenes, Apollo, & alij, qui cū quingētis fratribus in Christi resurrectione admixti erant. Ex hac demum innumeri Apostolorum coadiutores. Vnde Iosephus Antiochenus in spec. perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesię ca. 12. & 72. inquit. Perfectorum militum Christi, Apostolorum coadiutores surrexerunt viri strenuissimi solitarij contemplationi dediti, sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes per Galileam, Samariam, & Palestinam fidem Christi constantissimè sparserunt; Quiq; in Virginis Mariæ honore, in Carmeli Montis decliuio fabricantes oratorium saluatoris Matri specialissimè seruierunt: Hæc ille. Vltimò reformati breuiarij lectiones, in commemoratione solemni B. Virg. Mariæ à Pontificibus Rom. approbatæ, eadem clarius, & fusius in secundo Nocturno.

Testim. irrefragabile.

Cùm sacra Penthecostes die Apostolis Cęlitus afflati varijs linguis loquerentur, & inuocato Augustissimo Iesu nomine mira multa patrarent. Viri plurimi, qui vestigijs sanctorum prophetarum Eliæ, ac Elisei institerant, & Ioannis Baptistæ præconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atq; probata, Euangelicam fidem confestim amplexati sunt; ac peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem (cuius colloquijs, & familiaritate feliciter frui poterant) adeò venerari cæperunt, vt prius omnium, in eo Montis Carmeli loco vbi Elias olim, ascendentem nebulam Virginis typo insignem conspexerat eidem purissimę Virgini Sacellum construxerunt.

QVÆSTIVNCVLA VI.

An substantialis, & interrupta nostri Instituti series assignabilis?

Nostrorū Patrū continuata series præponitur, & probatur.

IMò. In Ecclesiæ primordijs ad D. Dionysium vsq; & supra; continuatam nostrorum habemus seriem, vt in Tripar-

partitis annalibus meis fusius. Interim sincerè lector, breuem nostrorum Synopem Baronianũ Annorum Calculum per omnia sequentem, velut in gustum trado; ex præclarissimo viro Diego de Cotia Hispano, in Dilucidario lib. 1. c. 13. Paleonidoro, & alijs.

Anni Christi 30. 31. 32. & 33.

Origo Monastica inculcatur.

Tenellos Ioannis discipulos, de quibus hactenus, cùm ad Christum sæpè mitterentur ab eo, in sua Iesum liberalissimè recepisse non dubitamus, quosdam sacerdotali donauit dignitate, quosdam inter 72. connumerauit discipulos, quosdam verò tantum suarum sequaces operationum, & testes voluit, vt supra, & in præallegato opere fuse traditur. Quos ità receptos monasticam docuit perfectionem. Hieron. Platus de bono statu Relig. lib. 2. cap. 20. Baron. ipse Tom. 1.

Anno Christi 34.

Acta nostrorũ tempore Christi.

Cruci suffixo pro redemptione nostra Iesu Nazareno Dei filio, noui gregis antiqua soboles, acritèr lugentes condoluere: imò, quasi ad animi solatium dati, Virginem idem demortui filij Matrem, quam à fascijs ipsis, facie probè tenebant, quod notat Petrus Dorland. in vita S. Annæ cap. 1. solari, minimè desiere; tumulato Christo amarè planxere; ipsi resurgenti consurexere; dum Cœlum scandit, Cœlum cum Galileis suspiciunt, & sacra Pentecostes die, in Cenaculo ipso, sanctificati fuere. Ex Act. Apostolorum nostra monumenta.

An. 35.

Fortitudo Patrũ nostrorum.

Vbi magna illa persecutio, quæ post lapidatum Stephanum, Ecclesiam Hierosolimis congregatam, adeò dirè vexauit, & omnes Christi discipulos, per Iudeæ atq; Samariæ regiones fugauit; Nostri Patres vna cum Apostolis, volente Deo, fortitèr restiterunt. ex Act. cap. 8. Historici nostri.

An. 44.

Diuisio Nostrorũ.

Sequuta hoc anno, ex Baron. Apostolorum diuisione, per vniuersum orbem, nostrum quoque Propheticum Institutum, religiosam quandam diuisionem passum confitemur; etenim Apostolorum quidam coadiutores effecti, per Sama-

mariam, Iudæam, Palestinam, & alibi Euangelicum eructare verbum instituerunt, Ioseph Antioch. supra. Quidam Monasteria erigentes Monachatum efformauerunt. Quidam in Carmeli Cliuio. Quidam ad Iordanicas solitudines cum Angelis psalentes, manibus operantes, tanquā mundo mortui Eremitarum more, vel Cenobiticam, vel Anachoreticam ducentes vitam perpetuò se Deo consecrarunt. Paleonid. Corea, & alij.

An. 45.

Non dubitamus hoc tempore D. Marcum, cuius laus est in Euangelio, quasdam nobis ædificasse cellulas in Iudea, antequam D. Petro indiuiduus adiungeretur Comes in Romana profectione, quemadmodum ab vrbe reuersus idem per vniuersum Aegyptū indefesse Monachis nostris præstitit: Historiæ nostræ, & omnes aliæ sub Monachorum nomine.

D. Marci auxilia nostri collata

An. 51.

Post Hierosolimitanum Concilium, de quo in Actis Apostolorum cap. 15. hoc anno celebratum, cui tantum Petrus, Paulus, Ioannes, Iacobus, & Barnabas amplissimi Patres interfuerunt; cùm per vniuersas orbis prouincias, reliqui Apostolorum distributi, in Euangelio laborarent. Baron. hoc anno, æquum est credere ex ijs quæ nostri tradunt, Comitia quoq; generalia Prophetici ordinis, ab Elisenis seu, Catholicis Essenis, pro constabiliendo Monastico nostro statu, in Carmelo Congregata fuisse, in quibus amplissimos Patres Gamalielem, Martialem, Enochum, Nathanaelem, Sylam, Agabum, Apollum, Ermagoram, & alios consedisse, inuit zelantiss. Pater Ioannes Paleon. in Trimeresto lib. 2. cap. 1. Diegus de Coria supra, & alij communibus suffragijs electus fuit P. Agabus in Patrem administratorem, siue Priorem generalem, quippe qui Ordinem Prophetarū per ann. 13. Monasticis institutis sanctissime vt infra rexit.

Cōcilium primū in Ecclesia.

Comitia nostra prima.

AGABVS

Generalis Carmelit. primus anno Christi 51.

Hic ille de quo S. Lucas in Actis Apostolorum cap. 11. & 21. Beda, Vsuardus, Addo, & Petrus de Natalibus

Acta D. Agabi generalis primi.

referunt, ex ordine fuisse Prophetarum, ità Ioannes Lorinus in comm. Act. Apostolorum cap. 11. versu 28. Agabus nuncius tribulationis, Beda; vel locusta. Alij apud Lorinum interpretantur. Patria Antiochenus, ex Petro de Natalibus lib. 3. cap. 119. Disciplina inter Prophetas eruditus, & conuersus ad Dominum factus est vnus ex 72. discipulis Christi, habet Dorotheus in synopsi, & Euseb. in Chronico lib. 2. cap. 3. Actorum verba refero. In his diebus superuenerunt ab Hierosolimis Prophetę Antiochiam: & surgens vnus ex eis, nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Hic enim missus fuit cum alijs à Concilio Hierosol. Antiochiam, & cum de eodem cap. 21. celebrata Pentecoste, iterũ à Iudęa, idest à Cæsarea, quæ finitima est Carmeli discedens, superuenit, vt Paulo prædiceret vincula Hierosolimitana. Verba Actorũ sunt. Et cum moraremur per dies aliquot superuenit quidã à Iudęa Propheta nomine Agab⁹. Vnde verisimile est, inquit Lorinus c. 11. v. 27. diuino instinctu, Prophetas hos contendisse Antiochiam ad subsidium Fratrum, qui erant in Iudæa. Vel etiam missos ab Apostolis ad illustrandam magis, confirmandamq; Neophitam ex Gentilibus numerosam Ecclesiam. Hæc ille. Petrus Dorland. Carthus. apud Landulphum de vita Christi, in vita S. Annæ cap. 6. Et Laurentius Masellus Iesuita, in vita S. Mariæ Virg. Baptista Mant. Coria, Gratianus, & alij referunt. Quod cum hic Agabus primo Beatissimam spectasset Virginem, casto virginis amore captus euentum magica scisci tatus arte, nihil scire potuit, præterquam magnum in virgine latere sacramentum, quo circa repulsam passus, ad Carmelum se contulit, vbi sanctam vitam vixit, vsq; ad Apostolorum prædicationem, qua illis (vt eorum attestantur actus) coniunctus est. Generalis tandem creatus Beatiss. Virgini Templum in Carmelo primus omnium construxit. Breuiarium reformatum, Ioannes de Carthag. supra Bapt. Mant. in 2. Parthen. Diegus de Coria, & alij. Rexit ordinem annos 13. Petro Pontifice, Moritur Antiochiæ, sepultus apud nostros. Imperante Nerone anno octauo.

Agabi ethimon.

Vnus ex 72. disc.

Missus ad Cõcilium Hierosol. Antioch.

Prophetauit prophetarum filius.

Agabi amor ineptus.

Pœnitentia ductus.

ENOCHVS
Generalis Carmelitarum secundus anno Christi 64.

Parentalibus primi Patris expeditis, & pretiosiss. Deo oblatis ad altare, religiosorum more Dapibus, noua in Carmelo Comitia, eodē Christi 64. anno, cum Spir. S. solemni inuocatione, indicta congregataq; non dubitamus. In his quidem vno omnium ascensu, in ordinis nostri generalem Patrem electus fuit sanctiss. Pater Enoch, cuius admiranda acta, ex ijs quæ sparsim colligere licuit, sequentia dabunt. Secunda nostrorū Comitia. Enoch electus.

Enoch patria Amathi. Est autem Amathus Castrum, ait Ioseph 13. Antiq cap. 19. & L. bellorum ca. 3. 6. 12. omnium quæ ad Iordanis ripas maximum, & munitiss. ab Alex. I annes postea expugnatum & expilatum. Villa erat temporibus D. Hieron. de locis hæbraicis A. apud Christianum Adrichomium in dimidio Tribus Manasse. Honesto oritur gentilitio. Hic ætate tenellus, Samuelis ad instar, in Carmeli iugum adductus, Religiosissimis Carmelitis, tunc Elisenis, vel Essenis nuncupatis læto animo à Parentibus ipsis oblatus est. Amictus familiæ nostræ habitu prophetico, cum Virginitatis dono, omnium virtutum splendoribus exornatus, perpetuò refulsit. Plura Ioannes Paleonidorus lib. 2. ca. 2. Diegus de Coria, & nostrates omnes. Orationibus & legis diuinæ studio adeò dicatus erat, vt doctrina ętatem, ætatisq; suæ Coetaneos omnes facilè superauerit. Hinc omnibus rector sufficitur, & Monasterij habenæ liberè conceduntur. Eius Patria. In Carmelū ductus. Virgo pperpetuus. Studia.

Is Dei spiritu ductus, ad Iordanis crepidinem, Ioannis Baptistæ vocem per Deserta Clamantem audire, meretur. Audit inquam ipsum de Christo dicētem; Ecce Agnus Dei, ecce q. t. p. m. Præconi adhęret; adhærentq; statim cum eo Sylas, Marcialis, Saturninus, Fronteus, Nathanael, & alij, quorum nomina in libro vitæ. Etsi apud Euangelistas nulla prædictorum commemoratio, nostri tamen Enochi socios, & filios, eosdem nostræ familiæ semper cognouerunt, vt ex nostris Historijs compertum habetur. Ioannis discipulus factus Christum Euangelicæ eruditionis gratia, paulò post adit: A D. Ioānem Bap. Conuersus. Socij eius. Accedit ad Christum.

adit: A quo in discipulorum numero cooptatus, septimum obtinet locum. Mysterium reperit, Paleonid. supra. Sicut Enoch primus, nunc Elia in Cælo socius, septimus ab Adam, in linea Seth ad numeratur, ita Enoch secundus, in discipulorum Christi numero, septimam habet sedem.

Nota.

Creatus Episcopus.

Hinc Nicopolis Ecclesia, in minori Armenia post Christi in Cœlum ascensum Episcopali donatus est dignitate, tribus dumtaxat Annis sanctissimè perfuit; quo quidem temporis spatio Elisenis Fratribus nostris, ad se vocatis, celebre construit Monasterium.

Verum cum sub his temporibus, B. Marcus Euangelista, iussu Petri Apostoli quem in Romana profectione interpretandi gratia associauerat, comes fidelis, Christi Euāgelium, eodem Petro dictante, scriptis publicasset, in regressu, notat Ioannes de la Haye Societ. Iesu in Apparatu Euangelico ca. 55. Marcum Euangelistam, per manuum impositionem à D. Petro ordinatum, & ad Acquileienses in Italia, Alexandrinos in Aegypto, Lybios, & Pentapoleos destinatum fuisse: Anacl. Papa 3. Gelasius Papa ca. 5. Roman. Eccl. Greg. Papa lib. 5. registri cap. 160. & Epist. 60. Quibus in locis, inquit Theophilactus Argum. 4. in Marcum. cum Dei verbum Euangelizare cæpisset, & Ecclesiam Alexandrinam fide constituisset, omnes qui meridianam mundi partem habitabant illustrauit. Ex quo factum est in hac missione, vt Enoch nostrum sanctitatis fama non vulgarem, operarium, ad se statim euocaret, Paleonid. lib. 2. cap. 2. Coria, Ximenes, & alij.

D. Marco adhæret.

Quare Philo Iudæorum disertiss. Papias quoq; Episc. Hierosl. & veterum alij scribunt. Ad tantam vitæ perfectionem Christianos, quos conuerterat adduxisse, vt Apostolicam vitam Ecclesiæ primitiuæ sectantes, omnes communiter viuerent, nec proprij quisquam possideret. Monasticum item ordinē primus Aegyptijs tradidit, & sacræ nostræ ꝓfessionis Regula multis instituit; vnde in Aegypto postea, tot cōsurrexerunt Monachorū Cœnobia, & infinitæ excreuerunt cellulæ; Adeò vt illud vitæ genus nostrorū Elisenorum, rectius nostrorum Carmelitarum admirabile prædicemus: sed lau-

Noster Monachatus per D. Marcum in Aegyptum aduectus, & institutus.

dato-

datores habet Philonem hæbræum, teste Eusebio lib. 2. Hist. cap. 15. & 16. & D. Hieroni. de script. Eccles. in Marco, & Dionysium Areopag. de Eccl. Hierarch. cap. 6. & Dionysium Carthus. in Dionysium ipsum Areop. in opuscu. insignioribus lib. 2. cap. 6. & in Commentarijs Eccl. Hierar. l. c.

Dum autem hæc ità versarentur, eodem anno, quo B. Marcus à gentilibus, ab Altari raptatus per vrbem, & loca Bucoli, pro Domino effuso sanguine, ad Dominum euolauit; nostra Comitia generalia, ob lamentabilem Agabi venerandæ memoriæ primi sub lege Christi Patris, è vita discessum, die proxima Penthecostes habenda, conuocata fuere; in quibus nostri instituti clauum Beato ENOCHO regendum vnanimiter Spiritu sancto inuocato consignarunt. Renuit fortiter vir Dei, propter Ecclesiæ Nicopolitanæ, cui erat sponsus absentiam. At Dei Amore vinctus, filiorumq; charitate coactus, regiminis onus, oneri imponere non recusauit. — *Agabi mors pretiosa.*

Quaterno Annorum curriculo, mira rexit ordinem sanctitate. Et tantus in Animarum cura fuit, tantumq; zelatus est pro Domino Deo, vt Sixtus 4. Pontifex max. in quadam indulgentiarum Ordini nostro facta concessione, ipsum eum nostri instituti fundatoribus nominatim recenseat dicens. Sanctorum Eliæ & Elisei, & Enoch, necnon & aliorum sanctorum patrum, qui Montem sanctum Carmeli, iux. Eliæ fontem, inhabitarunt, successionem hæreditariam tenentes. At silentio prætereo, quæ calamus ipsæ in Tripartitis Carmelitarum annalibus, Deo propitio, & Virgine precante, in dies moliri conatur. Enoch diem clausit extremum nõ 64. vt quidam, sed 68. anno ex Baroniano Calculo. — *Regiminis eius memoria.*

BASILIDES

Tertius Carmeli Generalis Anno Domini 68.

DE Basilide pauca; sed magnifica suppetunt. Iam in tã Carmeli familia nostri omnes ipsum reuerentur; Patrium solum, gentilitium, & Monachatus eius temporũ iniuria suppressit. Vnum hoc liquet, Virum virtutibus prædi- — *Basilidi Patria & Parentes ignorantur.*

tum,

tum, & mira inter omnes sanctitate fulgentem ad apicem Carmeli, optimo iure euectum fuisse. Res ità. Anno Domini 68. cùm è viuis in Cęlum sublatus esset sanctiss. Enoch, eidem communibus suffragijs, in Carmelo ipso suffectus est magnus Basilides. Hic cùm tertio officij sui Anno Carmelum sanctissimè regeret, Romanorum copias iubente Nerone, sub Titi Vespasiani filij ductu, ad terræ sanctæ vastitatem, obsidionem, ac Hierosolimorum destructionem, maximo animi dolore appropinquari, paratas intellexit. Annus erat 71. à Christo nato. Vrgebat rumor infestissimus, & spes ipsa fugiebat, vt imploratum diuinum haberet confugium, & iram sedaret diuinam, Monachis filijs, orationes tum publicas, tum priuatas, ieiunia, & claustralium disciplinas, sępissimè, vt par est credere, vrente charitate, indidit, inculcauit. Conuolant tandē flantibus placidis ventis per mediterranea æquora Naues, ordinatissimo pulsu; ventum est ad maritima ora. Accurrunt ciues vicinarum vrbium, decurrit vndiq; timida virorum, ac fœminarum plebs ipsa clamosa; litora personant, & spes confunditur metu; Ioppicum primum generosoq; inuadunt impetu Portum, & tenēt. Appellunt litus, Tito imperante, reliquæ Naues, & incedente Prætoria, clangentibus tubis, millites, bellandi ardore, flammigera parabant, præmebantq; Romanorum arma. E Naui Dux Titus, armata militum cohorte stipatus, egreditur intrepidus Princeps. Vix tenet pede Palestinæ tellus, in litore ipso, Dijs litandum dicit, vt bellorum euentus dextero cederent Marte. CARMELVM illicò è regione propinquum Chorographi commonstrant, in quo venerandum Xystum, & Aram Reginæ Mariæ dicatam, clarorumq; hominum Cęnobium sanctitatis fama perillustre, atq; veterum Prophetarum vetustam propaginem adesse, suadent. Religionis nouitate allectus, incognitos Christianæ professionis viros, vt facie teneat, statìm Carmeli iugū petit cum suis. Obuiat Basilides Dei sacerdos sanctus, pusilo sequente, sui instituti grege, humilis Idololatram Principem flexo genu salutat: & sacrum Deo, Deiparæq; Virgini Templum, reuerētèr pro dignitate, commendatum facit. Conscendūt omnes. Dùm

Creatur generalis.

Titi Hierosolymorum obsidio:

Titus ad Carmelū properat.

Obuiat Basilides.

autem sacra attentè lustrat homo gentilis loca, diuino quodam inuaditur venerationis timore, iubet sacrificia, more gentilium dari, vt ab oraculo responsa impetraret; At incomptus locus, incommoda Ara, incongrua omnia, virgine operante, videbantur illi, quare negauit fortissimo Marti in ara Pacis ignes sacros succendi. Non recusauit tamen Basilidem Christianum Sacerdotem, & Monasticæ professionis virum, in conspectu suo, assistentibus suis incruentum Missæ sacrificium Deo Cœli, pro futuro bello offerri.

Offert in Altare sacrificia.

Hoc idem, paulò diuersum Cornelius Tacitus in Vespasiano. Est inquit Iudæam inter Syriamq; Carmelus, ita vocant montem, Deumq; nec simulacrum Deo, aut Templum sic tradidere maiores, aram tantum, & reuerentiam illic sacrificante Vespasiano, cum spes occulta versaretur animo, Basilides Sacerdos inspectis extis, quicquid est (inquit) Vespasiane quod paras seu domum extruere, seu prolare agros, siue ampliare seruitia, datur tibi magna sedes, ingentes terminos, multum hominum, hæc Cornel. Quibus, eo quod affirmare videtur, Basilidem nostrum sacerdotem Dijs gentium, in sacra Carmeli Ara, tanquam Ethnicum, & infidelem pro Tito litasse; tanquam absonum veritati eius dictum refellimus. Nisi cum Tito, alius adesset Basilides gentilis: Quod gratis conceditur ad tollendam æquiuocationem. Primò, quia Cornelius Tacitus nō præsens vidit, sed relatione scribit. Secundò, quia huius euentus rei, multum temporis ante Cornelium præcesserat. Nam Titi depredatio sequuta est, ex Baronio, anno Christi 72. Cornelius autem scripsit anno 110. post Christum natum. Tertiò, quoniam cum esset Gentilis, gentilitatis audacia, & Romanorum imperio vsus est. Quartò, quoniam si Religiosi Christiani Carmelum tunc temporis, inhabitabant, qui fieri potest, vt in Christianorum Ara sacrificia gentiles permisissent? Alius est Basilides noster, alius Titi.

Cornelius Tacitus paulò varius.

Declaratur Cornelij locus.

Hinc Petri Apollonij Collatij textus de Hierosolimitano excidio lib. 4. ab inuido (ni fallor) corruptus calamo legitur.

Amathaidemq; locutus

Vera tibi vatem, & Corneli oracula disces.

Apollonii Collatij textus restituitur.

NOta Lector perite. Quis hic Cornelius? Non sanè sacerdos Vespasiani consultor, ille enim Basilides, ex Tacito. Sit locum igitur corruptum restituit Thomas Dempsterus Scotus, in notis lib. 4. Benedicti Accolti, de Bello sacro numero 15.

Vera tibi vatem, & Carmeli oracula disces.

Basilides noster quomodo sacrificauit.

Quae veritati consonum apparet. Basilidem nostrum ducem & Sacerdotem Deo Cœli Beatiss. Virgini in Carmeli Ara, pro Idololatra Duce verè sacrificasse, vt quicquid in Dei honorem cederet, contingeret.

Suetoni⁹ interpretatus.

Tranquillus itèm Suetonius anno 120. florens litteris in Vespasianum, inquit. Apud Iudæam Carmeli Dei oraculum consulentem, ita confirmauere sortes, vt quicquid Vespasianus cogitaret, volueretq; animo, quamtulibet magnum id esse prouenturum pollicerentur. Quæ omnia, vt optimè notat, Diegus de Coria noster, & de orationibus, & sacrificijs, & alijs religiosis functionibus, à Basilide viro sancto, & Cęteris Carmeli Eremitis Monachis nostris Deo, Deiparæq; Virgini factis, pro fortunato belli euentu, explicari debent.

Basilidis mors.

De Basilide autem hæc tantum scripsisse sufficiant. Nil aliud hactenus reperire potui apud auctores. E viuis decessit anno Christi 72. in tanta enim Hierosolimitanæ Ciuitatis, & terræ sanctæ oppressione, maximo tactus cruciatu cordis petijt animæ suæ mori; cum igitur ordinem nostrũ quatuor annis religiosissimè gubernasset, inter bellicos infidelium tumores obdormiuit in Domino, sepultus in Carmelo.

De Basilide hæretico.

Notabis lector, quẽdam alium vixisse Basilidem Alexādrinũ hæreticum, Saturnini Antiocheni, & Carpocratis socium sub his temporib. quem latè Baron. impugnat. & Euseb. hist. lib. 4. cap. 7. Tom. 2. anno 120. sub Ælio Adriano Imperat. vnde Basilides noster vixit anno 71. moritur eodem anno. Monachus professione, & sanctitate insignis.

Eu-

E V O D I V S

Quartus Carmelitarum Generalis Anno Christi 73.

SAnctum Euodium nostrum, à tribus notis describit Nicephorus Calixtus lib. 2. cap. 3: Quod diuinus. Quod discipulus Apostolorum successor. Quod sapientia eminentior. Illius memoranda scriptoris verba referre non piget. Porrò, inquit, diuinus Euodius. En sanctitatis Elogium; Qui & ipse Apostolorum successor fuit. En altera nota. In Commentarijs suis, Ecce nouissima. Sequentia, ex fragmenti Epistola, quam lumen inscripsit; Hæc quoq; potuit Christus, inquiens, manibus ipse suis, Petrum tantummodo baptizauit. Petrus porrò Andream, & filios Zebedei; Ij deinceps reliquos Apostolos. Septuaginta autem illos Petrus, & Ioannes Theologus dictus baptizarunt. Adijcit is prætereà hęc alia. A Baptismo vsq; ad passionem Christi, intercessisse annos tres: à Passione verò, Resurrectione, & Ascensione, eius in Cœlos, vsq; ad lapidationem Stephani, annos septem. A Stephani deinde martyrio, vsq; dum Paulum luce circumfunditur menses sex. Inde vsq; ad sanctæ Dei Genitricis decessum annos tres. Cæterum tempus omne, à Christi Natiuitate, vsq; ad Dei Genitricis migrationem, annos fuisse dicit 44. & alia quæ videre potes apud ipsum loco cit.

S. Euodius ex tribus laudatissimus.

Ex Martyrologio verò Romano. Pridie Nonis Maij adhuc alia tria. Primum, quod Episcopus Antiochiæ. Secundum, quòd ordinatus à S. Petro Apostolo. Vltimò, quod glorioso martyrio vitam finiuit. En Martyrologij verba. Antiochiæ sancti Euodij, qui (vt beatus Ignatius ad Antiochenses scribit) primus ibidem à S. Petro Apostolo ordinatus Episcopus, glorioso Martyrio vitam finiuit. Eadem ferè Vsuardus, Maurolycus, Beda, & Latini omnes. Græci quoq; in Martirologio ad septimum idus Septem. Baronius in Martyr. & Vincentius Beluac. in speculo maiori lib. 9. cap. 91.

Laus eiusdem ex Martyrologio Rō.

Venio ad B. Ignatij Martyris Epistolam ad Philadelphos, in qua de illius Virginitate talia. Memor sum sanctitatis ve-

De virginitate ipse laudatur.

stræ sicut Eliæ, Iesu Naue, sicut Melchisedech, sicut Elisei, sicut Hieremiæ, sicut Ioannis Baptistæ, sicut dilectissimi discipuli, sicut Timothei, sicut Titi, sicut Euodij, sicut Clementis vel eorum, qui in castitate de vita exierunt. Quod ab Apostolis ordinatus Antistes. In Epistola ad Antiochenses hæc alia. Mementote dignè beatissimi Euodij pastoris vestri: qui primus vobis ab Apostolis Antistes ordinatus est.

Laus ex nostris scriptoribus. Nunc ad Historicos nostros. Nostri quidem scriptores Paleonid. lib. 2. cap. 2. & Diegus de Coria lib. 1. cap. 10. in Euodio, & lib. 7. cap. 8. Valérius Ximenes, in stimulo, & alij omnes, sanctissimum Patrem Euodium tanquam Carmelitarum Generalem, & Carmeli rectorem reuerenter agnoscunt. At hanc nostratum sententiam, hac limitandam censura credo; ne quisquam nos mendacij iure incuset. Ambiguum est num Euodius in ordine nostro, & quomodo. Aperio.

S. Euodius quomodo Carmelita probatur. Mos apud nostros, priscis illis, nouæ Ecclesiæ temporibus inueterauit, vt occasione data, Generales Administratores, ac Ord. Rectores, duplicis generis nostrum sæpius retinuisse institutum. In primo quidem genere, iji reponuntur, qui legitimo suffragiorum concursu, in publicis Comitijs Spiritu sancto inuocato, ad summum euehebantur ordinis apicem. In secundo verò, ij, quibus, vel bellorum turbinibus, vel pestilentia grassante, Patrum Congregatione præpedita, nostri Ordinis Protectio, & vniuersale merū, & mixtum regimen bona fide côcredebatur; Et ij erāt Episcopi, vel Archiepiscopi proximioris Ciuitatis. Modo in re nostra. Asserunt nostri Euodium sanctissimum Ordinem nostrum diù gubernasse. Tu limita. Data occasione. Nàm vrgentibus sub Tito bellorum calamitatibus, & militum Romanorum incursionibus, prædationibus, incendijs, homicidijs, nullus fuit, Basilide vita functo, per aliquot annorum curricula, nostræ Congregationi locus: Quare ad Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum Euodium, virum Sanctissimum nostris diuertendum, & ipsi ordinis regimen pleno consignare iure. Hac diligenter obseruata censura, quæ à nostris bona fide scriptis sunt tradita, nullo negotio percipiuntur. Hinc apparet sanctissimum Euodium Rectorem nostrum Monasterium,

De generalib' nostris distinctio obseruanda.

Censura.

Euodius quomodo Generalis.

gra-

gratitudinis ergò, Deiparæ Virgini dicatum, non longè ab Antiochena Ciuitate, in syluæ, seu solitudine Montis Neroij, seu in Montanis nigris, notat Paleonid, supra à fundamentis erexisse, nostrisq; Eremitis Monachis liberalissimè donasse, & gubernasse. S. Euod. Monasterium donat.

Hunc summatim Beatissimi Euodij vitæ synopem, ex his, quæ apud scriptores exhaurire potui, digestam propono. S. Euodij vita breuiter.

Sanctus Pater noster Euodius, ex oriente veluti sol, quidam effulgens, occidentem etiam suo illustrauit splendore. Hic patria Antiochensis. DIVINVS ob assiduam diuinarum rerum contemplationem appellatus. Multis sapientiæ præditus fulgoribus. Commentaria rerum Apostolicarum ædidit doctissima, vt ex Epistola, cui titulus lumen. Etsi illius tantum fragmenta leguntur, cum reliqua temporum iniuria periere. Hic perpetuam coluit ob Deiparæ amorem Virginitatem; vnde virgo beatissimus ab omnibus acclamatur. Hic à D. Petro Apostolo Sacerdotali decoratus dignitate; Ab Apostolis, renuncianti Petro, Antiochenæ Ecclesiæ suffectus est Episcopus. Hic Pastor egregius, & vigilans commissas sibi oues, tanta rexit dexteritate, tantoq; fidei ardore pauit vt inter Iudæos, & Gentiles, Charitatis, & fidelitatis nexus diceretur. Hic quæcunq; in loca pedem inferebat, ijs ex locis bella, seditiones, & ciuium tumultus euanescebant. Quibus permoti nostri Eremitæ Monachi in Carmelo, in æquissima illa tempestate, qua armorum tumultuationibus, tota depopulata remansit Palestina, ad eius confugium, tanquam ad Anchoram sacram, sub auspicijs, Beatissimæ Mariæ Virginis, præsto conuolarunt; vt in bello pacè eius ope adinuenirent. Quos pius ille Pater inter amoris sui vlnas amplectens, vniuersale nostri ordinis Regimen suscipere non est dedignatus. Monasterio insigni illos donauit, victum & vestitum illic inhabitantibus abundè suppeditauit: & quæ dei, animarumq; erant in dies summo nostrorum profectu, sanctis afferebat collationibus. Quo factum est, vt nostræ Religionis Protector, Pater, & Generalis custos, communi vocabulo appellaretur. Tandem qui pro sua in nos humanitate, à gentilium immanitate, gregem

Patria Antiochenus. Diuinus appel. Comment. edidit. Virgo perpetuo. Sacerdos à D. Petro Apostolo. Ecclesiæ Antioch. Episcopus. Virtus. Illi se Carmelitæ tradunt. Gratitudo illius.

[illegible] florentibus gentilibus martyrij palma floruit, [illegible]. Quo autem martyrij genere, non reperio. Peruenit, ait [illegible] ad Martirol. pridie nonis Maij. [illegible] imperium: Nostri verò vsq; ad annum primum Domitiani sæuissimi Imperatoris vitam egisse [illegible]. Anno videlicet Christi 82.

Tempus mortis S. Euodij.

IGNATIVS

Quintus Carmelitarum Generalis Anno 83.

Protestatio in vita S. Ignatij.

CVicunq; hanc D. Ignatij Martiris vitam, [illegible] exaratam, vt vsui nostro esset, peruenire contigerit, ipsum in Christo Iesu, atq; Matre Maria rogatum cupio, vt quæ à Carmelitis de eiusdẽ Ignatij generalatu in ordine nostro, præmissa veritatis, atq; charitatis [illegible], quam in Euodio item dedimus, attente legerit, non [illegible]. Ita arbitramur seruata fide, adducemus, [illegible] nostris feruentius [illegible] frequentiusq; decurret. Sequentia rem ab exordio tradunt.

Ignatius Carmelitas regit.

Venerabili Euodio suffectus est Beatiss. Ignatius Martyr, in Antiochensi sede, tertius à D. Petro Apostolo Episcopus, vt in Martyrologijs, & Baronij Annot. Kal. Febr. & in Eremitarum Monachorum nostrorum generalatus, ac [illegible] dignitate quintus. Diegus de Coria lib. 1. cap. 13.

Episcopatus.

De Episcopatu primum. Hic contemporaneus, & familiaris Apostolis; Ioanni autem Euangelistæ, & Polycarpo, præ cæteris, longè carus, Euodio de quo supra vita functo, ob immensum Ignatij in Iesum Christum, quo [illegible] & [illegible]ris vrebat amorem, Antiochensis Ecclesiæ ab ijsdem Apostolis Episcopali decoratus est dignitate. In cuius quidem regimine; quanta cùm maiestate, ac maiestatis prouidentia, Spiritu sancto cooperante, se gesserit, nec mente concipi, nec verbis exprimi datur; perfectionis enim illius incrementum, nec adiectionem nostram plenitudo recipit. Hic etsi à Iudæis sæpè præmeretur, & à Gentilibus acritèr diuexaretur; fidelem tamèn Christi gregem, indefessa Pastoris vigilantia, & vitali charitatis pabulo, [illegible] pascebat; diuitib. pau-

Laus Ignatij.

peribus, fidelibus, infidelibusq; vehementèr carus, cœlo autem [illegible] Vnde cum semel in Ecclesia bellis rapitur mentis contemplatione, Angelorum choros, laudes, Antiphonis, ac psalmodias suauitèr modulantes audire, meretur; quare commotus, spiritualem in sua Ecclesia cantum, statim primus; vniuersalitèr indixit. [illegible]

Nunc ad Eremitas Monachos nostros venio; Quibus cum adhuc arduum esset, nec permitteretur; Palestina iam ferè depopulata, & bellorum rumoribus impedientibus Comitia nostra in Carmelo congregare; Acephalus ne remaneret Ordo, ad Ignatium Episcopum, vt patrem inueniant destituti filij, illum accurrunt, & precibus enixè ipsum in patrem, & generalem Ordinis Protectorem efflagitant. Assentit; Et statim, serena facie, humilitèr petentium curam gerit; visitat, monet, ordinat; nullum sanè ad religionis amplitudinem, ac obseruantiæ firmitatem (par est credere) intentatum reliquit lapidem, vt rectam, & in rectam virtutis viam crescentem nostram prospiceret familiam. Coria lib. 7. c. 9.

Traianus interim Romanorum Imperator, cùm in Daciæ Regem bellum excitasset, maximoq; armorum apparatu Antiochiam peruenisset, ipse Ignatium Episcopū de Christiana fide redarguit; cui intrepidus ille Iesum Crucifixum pro humano genere adorandum, ardentissimis verbis predicare incipit. Excanduit ita summus Imperator, & pro salutis verbis, mortis minas promittit. Iubet vinctum Romā mitti, tanquam factiosorum caput in Theatrali multitudine, Leonibus crudelitèr dilaniandum. Gaudet imperterritus, & flexis genibus ipse, manus, oculosq; tollit in Cœlum, Imperatorum facinus diù ingemiscens. O Virum Iesum amantem. Inducie non conceduntur; habet tamen, prouidente Deo, vt de sinu mortis vitam commisso gregi procuret; intrat Ecclesiam, quæ tunc florentissima erat, vt soletur amicos, visitet Neophitos, documenta populo præbeat, Monachos tandem fratres nostros (ità nostri) Domino plurimùm commendatos fecit, illosq; exorrauit, vt miri corporis domitores, & gloriæ humanæ contemptores, pro Christi fide sustinenda, fluxa, & olida corporis membra paruifacerent, animas

Eligitur in generalis locum.

Traiani apparatus, & iter.

Traianus cum Ignatio [illegible]

Damnat Ignatium ad bestias.

Notat Baron anno Christi 109. [illegible]

Ignatij ad Carmelitas adhortatio.

mas verò quæ æternitatem sapiunt, sub Deiparæ pallio, cœlo adseruatas darent. Per hunc modum à dilecta Antiochia à sæuis militibus diuulsus est dilectiss. Ignatius. Qui sese vltrò militibus manicis, & vinculis loricatum exhibuit Kal. Septemb. Iter pedibus conficiens Seleuciā Pamphiliæ apud Taurum Montem, Ciuitatem, Antiochiæ Pisidiæ finitimam, cùm suis peruenit: Indè Smirnam, ad Ionium litus, Nauicula traiectus, altera die petit; paulisper constiterunt milites vt fortè nauigandi occasio sese illis offerret. Polycarpum Episcopum sanctum multis nominibus carissimum, multis item lacrimis visitat; vicinarum verò ciuitatum viri, ac mulieres vinculatum Ignatium orbis miraculum videndi gratia, ex omni Orientis parte confluebant, quos omnes Ignatius vehementèr in Domino vrgebat, à Deo suppliciter petere, ne Leones illi paratos parcerent, sed citò ipsum Romæ frumentum Christi demolirent. Smyrna abductus Troadem delatus est inde Neapolim, Philippos, tandem Romā.

Ignat. capitur à militibus iter Romanum.

Polycarpum visitat.

Ignatio communis petitio.

Varias in hac Romana profectione scripsit Epistolas. Septem S. Hieronymus D. Dionysij Areopag. operibus, annexas enumerat. Quatuor item aliæ ad B. Virginem, Ioannem Euang. cum responsionibus, adnectuntur. Romæ truculento Præfecto traditus, isquisitissimis tormentorum generibus examinatus est. Tandem Kalendas Februarij, vt in Roman. Martyrolog. in Theatrum adductus, spectante populo, Leonibus obiectus est. Ij statim obedientes in illum crudeliter corruentes crudelissimè dicerpserunt; Ignatius verò in Leonum faucibus moriens, IESVM dulcitèr inuocabat. Post viri fortis lanienam, in ipsius præcordijs dulcissimum IESVS nomen aureis repertum fuisse litteris, tradunt clarissimi scriptores. A Christianis summa veneratione, Ignatij reliquiæ sepulturæ extra vrbem traditæ sunt. Quæ postea Theodosij religiosissimi Imperatoris tempore, Antiochiam patrium solum translatæ fuere. Fertur itèm die quo à Leonibus laniatus est Ignatius, ingenti terræ hiatu, & horribili terræmotu Antiochiam ipsam quassatam corruisse. Cuius rei euentus timore perculsus Traianus ipse lenius, ac mitius cum Christianis deinceps egit. Succesit: Igna-

Epistolas scribit.

Romæ martyrio coronatus

Nomen Iesus in corde.

Corpus Antiochiam defertur.

Ignatio in Antiochena sede Hero. Iam Carmelitæ tanto orbati Patre, de futuro deligendo in spem venerunt. Hæc anno Christi 110. Imperij Traiani 11. ex Baronio. Tenetur magnum.

FRONTO

Sextus Carmelitarum Generalis Anno Christi 111.

IGnatio, Traiano Imperatore iubente, à Leonibus dirè consumato, Monasticus ordo noster, in spem fruendæ pacis, & Congregationis in proximo habēdæ venire incipit. Anno igitur Christi 111. Anacleti verò Papæ vltimo, & 13. Traiani Comitia in Carmelo die Pentecostes congregata, ad summum generalatus gradum euectus fuit S. Fronto, Monasticæ pfessionis vir laudatissimus, natione Gallus, patria Petragoricēsis, qui peregrinationis causa, ad cunabula Saluatoris anno 16. suæ ætatis imberbis accedens, & sacris Palestinæ, Hierosolymorumq; locis deuotè peragratis, Monachis Eremitis in Carmelo, assumpto Deiparæ habitu, perpetuò associari, curat. Diegus de Coria in Fronto. Noua Comitia in Carmelo. S. Fronto electus. Eius vita breuitèr.

Hic ille, qui Beatissimæ Virginis Mariæ Templo, ab Agabo in Carmeli vertice, post sacram eius dormitionem, primus omnium fundato extremam imposuit manum. Paleonid. lib. 2. ca. 1. Hic qui non à B. Petro Apostolo, vt quidam asserunt, sed à Petri discipulis, ob immensam eius in pauperes charitatem, operosam in peccatores pietatem, indefessumq; ad concionandum ardorem, Episcopali infula decoratus, ad Petragoricenses conciues primus destinatus est, Episcopus, anno 82. Anton. in Tit. 6. ca. 26. §. 1. Is Monasterium nostri instituti, in suburbijs eiusdem Ciuitatis primùm extruxit. Et cum à Quirino Præfecto infideli diuexaretur acritèr, Eremum petit, cum suis Monachis, vt impedimentis sublatis, Deo, Deiparæq; Virgini tutius inseruiret. En mira Dei Prouidentia, orat in Eremo, & Quirinum in Ciuitate Christo acquirit. Anton. l. c. Is quoq; B. Marthæ Virgini demortuæ Virgo tumulum præparat; sepulturæq; anno 84. ipsam tradit. Anton. & Paleonidorus l. c. Demum cùm ordinem nostrum sanctissimè rexisset annos 27. octuagenarius Templum in Carmelo ad finē perducit. Episcopus Petragorensis. Monast. instituit. Præfectū conuertit.

octa-

Moritur octauo Kal. Octob. obdormiuit in Domino, in sepulchro fratrum suorum tumulatus anno 138.

LECTORI SINCERO

Interstitium.

Quatuor notanda. QVatuor adnotato. Primum. Anno Christi 72. post Hierosolymorum excidium, sæuissima Titi illa terminata cæde, vetustam in Carmelo sedem familiam nostram Primum. retinuisse, non dubitamus: & sub Euodio, Ignatio & Fronto, per annos circiter 66. suæ propaginis ramos varia in loca feliciter difudisse scimus. Ex quo satis bono loco res nostræ esse incipiunt. Patres nostri Episcopis, & Ecclesiarum Patriarchis concionibus, confessionibus, sacramentis, scriptis, & Catholicis exercitationibus, vbiq; locorum inseruientes, ad animarum salutem, ordinis diffusionem, atq; Ordinis dilatatio. dilatationem mirificè cũ Dei adiutorio decernebantur. Clurari, in Orientalium vrbibus, Antiochiæ, Siriæ, Cypri, Palestinæ, Ephesi, Aegypti, & alibi; idem spectato, Occidentem versus, vt Thessalonicæ, Athenis, Corinthi, Galliæ, & in aliarum prouinciarum vrbibus; de quibus suo loco.

Secundò. E contra non solum anno 117. vt apud Baron. rebellarunt Iudæi, aduersus quos Imperator Traianus, Lucium Quietum validissimo exercitu misit, vt eos prouincia exterminaret, ità Euseb. in Chron. an. 18. Traiani, sed & anno 130. 136. vel 137. vt apud Dionẽ in Hadria. Euseb. Cron. lib. 4. c. 6. Epiph. lib. de mẽsu. Baroniũ, Salmeronẽ, Ludouicũ de Tena Dertunensem Episc. in Isagogi sacræ script. & alios, Bellum in Iudæos rebelles renouatum. ob immane in rebelles Iudæos, ab Ælio Adriano Imp. Aug. prælium in Oriente excitatum, quo quidem Turres, & ædes sacras relictas, cum antiquis muris, per vniuersam Iudæam, Aelij barbaries in Iudæos. solo æquatas destruxit, & Hierusalem sale conspergi iussit: Nec Iudæorũ malis contentus, etiam Christi fideles deiecit, In Christianos. & Phalaride crudelior (ait Baron.) innumeros crudelissimi generis Martyrio affecit; vnde factũ est, vt saluti vniuersali cõsulentes, nostri fugam arripere coacti sint, & ferarum more in Cauernis montium, in speluncis terræ, & in Eremis, ac soli-

solitudinibus latitantes, hominibus incogniti, cogniti verò Deo & Angelis, Ecclesiæ trãquillitatem, ac pacem rogabãt, expectabant. Oriente itaq; depopulato, solus Carmelus languens, virgini adseruabatur. Ita nostri omnes. Viuebant adhuc hęretici pessimæ conditionis Nicolaitæ, Egnostici, Carpocratenses, de quibus Epiph. hær. 28.

Carmelitæ fugati omnes.

Tertiò. Inter tot Orientalium Calamitates, atq; Imperatorum infidelium, in Christi fideles diuexationes; familia nostra in cinere, & cilicio, orationibus, & lachrymis, diù noctuq; inseruiendo cubabat, pernoctabat. Cogebatur sępè proprijs monasteriorum sedibus relictis, effuso plurium sanctorum Martyrum sanguine, de fuga, speciosa fiducia, cogitare. Hinc Cœnobia vel solo æquata, vel infidelium incolatu, violentèr profanata, sacras consternatas ædes, & sacra prophanis, à barbaris inhumanitèr commixta adspicere confusa mente coacta erat. Nec miseriarum nostrarum finis. Sacra publicè facere Imperatorum edicto vetitum, chorum de more ad diuinas Deo fundendas preces, adire interdictum, Generalia congregare, pro Ordinis confirmatione comitia omninò nobis prohibitum, grauissimis minatis pœnis, erat. Miserabile sanè fuit, miseris illis temporibus sacro fortissimorum rubricatam martyrum cruore, nostræ Religionis faciem, & dilaceratos ab infidelibus tantæ sanctitatis crines conspectare, sed à Deo, cui carissimi erant, præmia, & coronas acceperunt. Crebras quidem, illasq; grauissimas ab infidelib[9], nostros passos esse persecutiones, intolerabilia vidisse mala fame, siti, frigore, morboq; vexatos comperti sumus; at nunquam à suo excidit splendore Carmeli vinea, nisi Aelio Adriano Iudæis, & Christianis infensissimo Imperante. Durauitq; squalor iste vsq; ad Commodi Imperium, per annos ferè 39. Nicephorus lib. 5. ca. 2. floruit autem Commodus Imperator Augustus anno Christi 182. Apologias pro Christianis scripserũt clarissimi viri Iust. Martyr, in orat. ad Ant. Pium Athenagoras orat. pro Christianis, Theophilus Episcopus Antioch. lib. 3. vt Baron. Item Quadratus, de quo Euseb. Hist. lib. 4. cap. 3. & nostri omnes.

Calamitates sub Aelio Hadr.

Vetita erat omnis Christianorũ Congregatio.

Res pacatiores sub Cōmodo Imperat.

Cum igitur Commodus Imperium administrare cœpit, res Christianæ pacatæ, tranquillæq; fuere, & nostris respirare tantillum datum. Qui vt Religionem in pristinum restituerent, in dies satagebant, cum diu à publicis Religiosorum congressibus inuiti, vacassent. Anno itaq; Christi 177. in decretum locum tandem conuolarunt Patres, & in Generalem ordinis sanctissimum delegerunt Serapionem. vt in Cathalogo Diegus de Coria lib. 1. cap. 13. de quo infra.

SERAPION.

Septimus Carmelitarum Generalis Anno Christi 177.

Congregantur Carmelitæ pro comitijs generalibus.

NOtas dedi, vt rerum nostrarum intersitij causas haberemus. Nunc verò rebus Ecclesiasticis satis compositis, non in Carmelum sed alio in loco, quem reperire non potui, Deo permittente, nostri Patres, tandem anno 177. secesserunt. In Domino verò Congregati, in proximo Pentecostes generalia concelebranda comitia solicitè pararunt. De fracto Religionis statu optimis institutis, & sanctissimis regulis, reparando tractarunt: Inde ad Ordinis apicem maximo omnium applausu Serapion vir sanctus, euectus fuit.

S. Serapiō eligit.

Quinam Serapion.

At hic adnotasse optimum. Alium esse hunc Serapionem, ab eo de quo in Breuiario, & Menologio nostro, aliumq; item ab eo de quo, Paleonid. & Coria, in Historijs. Est hic Serapion de quo Martyrolog. Rom. 18. Kal. Decemb. Niceph. lib. 5. cap. 30. & Petrus de Natalibus lib. 10. c. 59. Patria Ephesinus, professione Monachus Eremita Montis Carmeli, & summa præditus religione. Qui pro Christi fide in Religionis stadio certans, apud Alexandriam, vbi Religio nostra in dies flores dilatabatur, ab infidelibus in Monasterio repertus, crudelissimis affectus supplicijs, interrijt; cùm enim membra eius omnia, magna flagrorum vi concidissent, articulosq; corporis locis, sedibusq; suis, dimouissent, vltimò præcipitem eum, ex superiore loco deiectum enecarunt; vnde collisio capite, & excusso cerebro martyrij palmam Nonagenarius gloriosissimè 18. Kal. Decemb. anno 218. obijuit. Decio Imperante.

Martyrio coronatur.

Vnde

Vnde emendatione eget Paleonid. lib. 2. cap. 5. qui prætermissa nominis æquiuocatione, Spiridionẽ octauũ ab Apostolis Episcopum scribit Antiochenũ: cum is Episcopali minimè fulserit dignitate. Tantum Monachus, & martyr extitit. Martyrologij Romani verba habeto. Decimo octauo Kal. Decẽb. Alexandriæ sancti Serapionis martyris, quem persecutores sub Decio (nostri verò sub Commodo vt cohæreant tempora) crudelissimis affecerunt supplicijs, ita vt omnes eius iuncturas membrorum prius soluentes, de superioribus domus suæ eum præcipitarent, & sic Christi martyr efficeretur. — Palcon. emedatus. Martyrol. Rom.

In Annotationibus habentur eiusdem illustria testimonia, Bedæ, Vsuardi, Adonis, & aliorum; D. Dionysius Episcopus Alex. in Epistola ad Fabium Antiochenum eius certamen describit. Extat apud Euseb. Hist. lib. 6. cap. 34. erat Alexandriæ, Ecclesia S. Serapionis, cuius meminit S. Epiphanius in Panar. hæresi 69. e quibus apparet Monachum tantum fuisse, & ob eius sanctitatem Templum apud Alexandrinos nomini eius erectum fuisse. — Testim.

HELENVS
Octauus Carmelitarum Generalis Anno Christi 219.

HElenus vir sanctus, & Monachus Eremita Elisenorum, siue Essenorum Ordinis nostri, Eleuterio Pontifice, & Commodo Imper. Max. floruit, cùm magna esset id temporis (pace concessa Ecclesiæ) copia nostrorum verbi Dei prędicatorum, qui diuino Apostolorum imitandorum studio, inflammati magna præstabant adiumenta, inter quos erat magnus Pantænus noster, cùm ad verbum Dei, in animis hominum exædificandum, tùm ad id augendum afferebant: & insignis Pater noster Helenus nõ infimum obtinet locum. De quo aliqua breuiter. — De S. Heleno. Nostrorũ studium.

Hic Monasticæ vitæ professor integerrimus nostrorũ Religiosorum constitutiones, ac ordinationes, tanta curat obseruari diligentia, vt Alexandrini nostri Cœnobij præfectus sufficeretur. Sanctissimè regit, & Dei cultum, cum animarum — Helenus Alexã. Conuc. Prior.

falute amplificat; vnde Heliopolis Ciuitatis, non quæ in Syria ad Libanum sita, in qua Dionysius solis defectionis spectator dicitur; sed quæ in Aegypto apud Babilonem, Bethsemes vulgò nuncupata, Episcopus eligitur. Historici omnes.

Pãtenum mittit ad indos.

Hic Pater sanctiss. (si augurari licet) Pantænum virum pium in primis, & eruditum immortalem nostri instituti gloriam, ad Iulianum Alexandrinum Episcopum, regnante Commodo Imperatore apud indos Christiana religione felicissimè propagata, è Cœnobio misit; vt petente Episcopo Iuliano, florentem sacrarum litterarum scholam, vt olim in Carmelo, piè Philosophantium aperiret. Erat enim inter nostros veluti Magister Theologus, & studij Regens.

Nota, Christianè Philosophantes, tunc temporis fuisse Monachos nostros Cœnobitas: de quibus alibi in tripartitis annalibus, & infra quædam.

De Pantæno Monacho Carmelita, Philosopho Christiano.

Non me piget, de Pantæno nostri instituti Philosopho, Eusebij lib. 5. cap. 10. à Baronio relatum anno 185. referre testimonium, vt appareat nostrorum labores, Palæstina deuastata, in Aegypto præcipue floruisse. Eodem tempore (cum scilicet imperante Commodo, Iulianus sederet Alexandriæ) Pantænus vir omni humaniore litteratura præstantissimus, institutioni Christianorum (petente Episcopo, ab Heleno) illic proficiscitur: quo quidem in loco consuetudine ab antiquis temporibus ducta (videlicet ab Elisenis, siue nostris Essenis) sacrarum litterarum schola habebatur, quæ est ad nostram vsq; ætatem continuata, quam sanè ab hominibus, cum politiore doctrina, & eloquentia mirè instructis, tum sacrarum litterarum studio probè excitatis frequentatam accepimus. Pantænus (de quo paulo antè dixi) disciplina Philosophorum, qui Stoici appellati sunt, institutus, eodem temporis momento, cum primum excelluisse traditur. (Hoc n. dum pubesceba t euenisse, non dubitamus, nam ea relicta, sequitur) quem amore ardentissimo erga sacram scripturam flagranté, tantum studij in illa propaganda posuisse ferunt, vt præco Euangelij Gentibus, quæ Orientem incolebant ordinatus (ecce Monachatus eius) ad indorum

Nota. Philosophus, & Monachus olim idem: infra.

vsq;

vsq; regiones se conferret. (Quod non venisset nisi Philosophus idest Monachus fuisset) erant autem (nota) erant inquam ad id temporis complures verbi prædicatores, & fideles nuntij, qui diuino Apostolorum imitandorum studio inflammari, magna adiumenta, cum ad verbum Dei in animis hominum ex ędificandum, tum ad id augendum afferebant. (Vides, lector amicè, Elisenorum siue Essenorum nostrorum familiam in agro Domini religiosissime laborantem?) Quorum è numero erat Pantęnus ille, quem ad indos perrexisse diximus. vbi vt fertur, Euangelium Matthei (quod ante eius aduentum, ibi fuerat receptum) in manibus quorundam, qui in illis locis Christum profitebantur, reperit: Quibus Bartholomęum, vnum ex Apostolis, prædicasse, illisq; Euangelium litteris hæbraicis scriptum reliquisse, & illud ipsum ad monstratum tempus reseruatum constat. Iste Pantænus propter multa rectè facta, & virtutes eximias in multis pręterea (vertit Rufinus lib. 5. cap. 1.) alijs doctrinæ Ecclesiasticæ studijs, tandem scholæ illi Alexandrinæ præficitur, qui tum sermone coram, tum scriptis, diuinorum institutorum, & Religionis tāquam thesauros hominibus proposuit. Hucusq; Eusebius. *Profectio ad Indos.* *Pantęnus scholam aperit.*

A Pantæno nostro clarissimi prodiere discipuli, tum exteri, tum nostrates. Clemens Alexandrinus, Dionysius Corinthiorum Episcopus, vel Caius, Theophilus Antiochenus, Bardesanes Assyrius, Theophilus Cæsariensis Palestinus, de quibus Baronius supra. Ex nostra familia verò. Satis clarè Syluanus in primis mansuetudine, & doctrina venerabilis, qui postea Constantij, & Galerij Imper. tempore Cęsareæ in Palestina martyrio coronatus fuit: recensendus vna cum Auxentio, & pluribus alijs Monachis compresbiteris, Philosophis, ac Theologis nostri instituti, quos enumerare longum putamus. De Pantæno satis. *Pantæni discipuli.*

Ad Helenum Historia redit; Huic anno 188. monacho in Cœnobio laudabiliter degenti Alexandriæ, dum Philippus Augustali fulgebat præfectura, septimo Cōmodi anno notat Baronius, mirandum hoc accidit. Desponderat Philippus vna cum Claudia coniuge Eugeniam filiam, Aquilo consuli, *De S. Eugenia sub Heleno.*

siue

suo Acilio, at cum Eugenia in Christum crederet nuptias recusauit, & vna cum fidelibus Eunuchis Proto, & Hyacintho secedens, virili habitu inter Monachos (nota verba Baronij) quos Essenos à Philone (nostri verò Elisenos) dictos esse superius demonstrauimus, hæc omnia perficiente S. Heleno Episcopo Heliopoleos. Quomodo verò Pater eius in Christum crediderit, & sub seuero successorem acceperit Terentium, deq; martyrio eius, & Eugeniæ inferius suo loco dicemus. Anno videlicet 262.

Inter Monachos virili habitu cooperatur.

Scriptores in laudem S. Eugeniæ.

In laudem D. Eugeniæ Virginis, & martyris ordinis nostri, scripsit Symon metaphrastes die 25. Decemb. & Alcimus Episcopus Viennensis an. mille & centum ferè annos ad Fuscinam sororem de laude castitatis. Hæc apud Baronium habentur.

Eugenia dudum toto celeberrima mundo
Fama fuit: Christi qua cum pro nomine vitam
Fuderit: ante tamen fortes processit in actus
Namq; habitum mentita viri, &c.

Quomodo autem inter Monachos nostros diù vixit; & rea facta stupri, quod erat, propalare coacta fuerit, legitur apud Laurentium Surium. Petrum de Natalibus. Vilegam, Rabadineram, Vincentium Belu, Antoninum, & alios.

Nitriæ Monast. fundat.

Ioannes Paleonidorus in Trimeristo lib. 2. cap. 3. habet, Hæc sanctissima virgo Carmelita, dum inter Monachos degeret, Nitriæ Monasterium fundauit. In quo pater eius Philippus sepultus est. deinde aliud Romæ teste Vincentio in speculo lib. 12. cap. 3. Eadem longioribus prosequitur Diegus de Coria noster.

Helenus generalis quo tempore moritur.

Helenus tandem, Serapione vita functo ad totius ordinis administrationem anno Christi 219. euectus sanctissimè regit vsq; ad annum 260. in supputatione mendacium habet Paleonid. & alij. Hæc de Heleni actis sufficiant.

FRVCTVOSVS

Nonus Carmelitarum Generalis Anno Christi 260.

S. Fructuosus Monachus effi.

FRuctuosum in Eremiticis nostris Claustris, nostri instituti, puerum ætate habitum sumpsisse; atq; in Alexandrino

drino Cœnobio, iura custodisse Nouitiatus, nemo dubio vertere hactenus ausus est. De ipso Diegus de Coria, & Paleonidorus lib. 2. cap. 3. sub anno 240. citur prece Alexandriæ.

Hic patrum nostrorum Eremiticam duxit vitam incredibili quadam austeritate: & cùm ob ingentes virtutes, quibus inter omnes mirifice fulgebat, & immensâ erga B. Virginem Mariam, cui addictissimus erat, deuotionem summe ab omnibus haberetur reuerentia, Heleno demortuo ordinis nostri generalatus dignitate suffectus est. Cum autem in dies sanctitatis eius fama crebresceret, Summo Pontifice Sixto sanctissimo annuente, Tarraconēsis Ecclesiæ in Hispania Episcopus omnium applausu creatur. Virtus mirabilis. Creatur generalis. Episcopus creatur.

Verùm lector sincere notato Surium Tom. 1. die 21. Ianuarij. Baron. ann. 262. Tom. 2. annal. Vincentium in speculo lib. 11. ca. 61. Antoninum, & omnes ferè scriptores sanctissimi huius nostri Patris gesta tractantes, eiusdem prætermisso Monachatu, Episcopalia tantum acta, vna cum martyrio eius recensere; Quare non est cur mireris si Fructuosum nostrum, non Monachum, sed Episcopum solum ab illis scriptoribus accipies: cum à nostris, & Monachus, & Episcopus firmitèr agnoscatur. Nota.

Iurè igitur, & Episcopalem nostri Fructuosi venerandæ memoriæ sedem, & lectorem ipsum scriptoribus illis gratulanter remittimus. Videto D. Augustinum serm. 101. Prudentium hymno 4. Perisstephanon, Bedam, Vsuardum, Adonem in Martyrol. Surium, Baronium an. 262. Petrum de Natalibus, & alios. Vitam martyrij Palma sub Valer. & Gal. Imper. gloriosè consumauit sanctus Fructuosus Carmelita. Episcopalia legenda alibi. Martyrio coronatus.

Nostra Vindicationis Terminatio.

Siste Calame. Spirat à puppi ventus, Portus adest. Obuiat S. Dionysius Papa, de quo hactenus satis disseruimus, & quem superiori anno ex Baronij supputatione, & Francisci Longi Breuiario. Anno videlicet 261. vniuersalis Ecclesia Pontificali venerata est dignitate. Nunc velas complicemus oportet, vt dilucidata hęc nostrę tractationis conclusio Quomodo colligendum D. Dionysium Papam nostrū fuisse Monachū

clusio manifestius appareat. Puncta examinata veluti Axiomata quædam, Pontificum Bullis, sacris historijs, Patrum dictis, scriptorum auctoritatibus firmata, ob oculos iterata succinctè pono.

Capita ad uertenda. Primum. Clarú est ex præhabitis, Monachos Elisenos, vel vt aiunt, Essenos, D. Ioanne Baptista concionante ad Iordanis littora, pœnitentiæ baptismo, Christo Domino parasse, atq; fide temperatos misisse. Baronius in Apparatu, & alibi.

Secundú. Clarum itèm Elisenos Monachos nostros, ex prophetica gente, & prophetarum filijs, ortum duxisse, & interrupta serie, ad nos tandem felicitèr peruenisse. In Carmelitarum Annalibus plenè.

Tertium. Clarum Monachos nostros Essenos D. Ioannis Baptistæ sacris præparatos prolusionibus, à Christo receptos, præceptis edoctos, & consilijs monitos, dein ab Apostolis Baptizatos, Carmeli Montis, ab Elia legitimos extasse incolas. Ex D. Basilio supra, & alijs.

Quartum. Clarum, eosdem Monachos Apostolorum coadiutores, & Euangelicos Christi præcones, à Iosepho Antiocheno, Paleonidoro, & nostris omnibus, iurè nuncupari.

Quintum. Clarum, Essenos, nos Elisenos triplici classe fuisse partitos. Alij schismate tincti; Alij Iudaizantes; Alij Catholica fulgentes fide diuidebantur. Illustriss. Bellarminus, de Monachis cap. 2. & 3. Nos tantum Catholicos agnoscimus.

Sextum. Clarum est Monachos D. Dionysij tempore, anno videlicet post Christum natum 72. florentes, quos ipse Teraupotes vocat, nostros fuisse Elisenos, siue Essenos, cum nullum aliud, eo tempore, extaret Monachorum genus, in Ecclesia, vt ex Baronij auctoritate, de B. Eugenia virgine Carmel. verba faciente. Anno Christi 188. in fine: & scriptorum nullus, in oppositum venit.

Septimú. Clarum, Monachos in Ecclesia, peculiarem constituere statum, distinctum à Clericis secularibus simplicibus, qui nullum constituunt statum, vt asserunt Platus de bono stat. Rel. c. 37. lib. 1. & Doctores omnes; Ij D. Dionysij Areopagitæ tempore, numero multiplicabant, & omni virtutum specie florebant; quorum tanta erat dignitas inter Ecclesiæ fide-

fideles, vt ipse Dionysius, postquam in quinto capite Eccles. Hierarch. egerit primò de Purgandis, qui sunt Eiecti, Cathecumini, Apostatæ, Energumeni, & Pœnitentes; deinde de illuminandis, qui sunt de plebe sancta. i. inquit Dionysius Carthus. in Dionysium, Catholici, & Christi fideles omnes; Vltimò de Perficiendis, qui sunt Monachi, Terapeutes dicti: In Sexto capite tandem docet purgandos ad Diaconos, illuminandos ad Sacerdotes, & perficiendos ad Episcopos spectare; & ratio est, quia Monachi perfectionis statum, in Ecclesiæ Hierarchia, post Episcopos gloriosè constituunt. Vide Annales meos.

Clarum demum quod certa, & apertissima facta inductione, nullos alios in Ecclesia, à D. Dionysij Areopagitæ temporibus, vsq; ad D. Dionysij Papæ tempora, Monachos nominatim extasse, præter nostros Elisenos, vel Essenos Carmeli Mõtis Eremitas, vt nostri oẽs facilè, clareq; hac infrangibilis veritatis, inducta enumeratione sufficiẽti, deducunt. Octauum.

Quo tempore Benedictina duxit originem familia? Vtiq; anno circiter 522. Inductio cõcludẽs.

Quo tempore Hieronymiana? Anno sanè 420. Baronio teste.

Quo tempore Antoniana in Eremis Aegyptijs? Anno certè 330. eodem Baron.

Quo tempore Paulina à D. Paulo primo Eremita? sanè post Dionysium nostrũ anno 273. ex Baronij Calculis Tom. 3. conuincitur.

Igitur iurè concludamus, oportet, D. Dionysium Papam Monachum. In Monastico illo, & vetustissimo Prophetarum cætu, educatum, eruditum, & ad Pontificatus apicem elatum fuisse; Ex illo inquam cœtu, qui per Elisenos, seu Essenos, & socios Carmelum, tanquam Eliæ, & Elisei successores, post hominum memoriam, infracta serie, felicitèr inhabitarunt. Ex illo demum Patrum cœtu, qui subinde in Palestinam, Syriam, Antiochiam, Cyprum, Aegyptum, altissimis radicibus, à principio penetrãtes per vniuersum Orbem, vsq; ad Antipodas, sub B. Mariæ Virginis tutela, & Catholica Romanorum Põtificum defensione, Carmelitarum Necessaria cõclusio nostræ vindicationis.

 nomi-

nominè sese postea gloriosissime diffuderunt.

Confirmatio ad illem. Confirmatur item proposita nostræ huius vindicationis veritas, ex vsu hactenus sacra scribentium, cùm nullus Ecclesiasticorum, aut externorum Catholicorum scriptorum, intra annorum scepta à Christi ortu, vsq; ad Dionysij Papæ tempora, ausus est nominatim describere, determinateq; aliquam Monachorum familiam, à nostra alienam, aut diuersam præsignare. Probant quidem cùm nascente Ecclesia Monachos effloruisse, at mira Dei prouidentia, & Virgine Maria gubernante, nobis reseruatum est, vetustæ nostræ gentes præclarum aperire nomẽ, & in Ecclesia nouissimis hisce temporibus publicare, atq; constantèr in lucem edere; E cuius Religiosiss. visceribus D. Dionysiũ Monachum, ad Pontificatus apicem assumptum fuisse iurè conclamamus.

Peroratio ad lectorem. Patet igitur, iudicio meo candide & sincere Lector venerandæ memoriæ Dionysium Papam, quem scriptores omnes Monachum, ore rotundo, appellitant; e solitaria nostri Eremi vita, & sancta vetusti nostri instituti consuetudine, post sanctissimi Sixti sedem, ad Ecclesiæ Catholicæ gubernacula euocatum fuisse. Hic te lectorem meum supplicitèr oro, vt pro Dei gloria, & veritatis manifestatione, vetustissimum Carmelitarum Kalendarium lectitare non dedigneris; Nam D. Dionysium Papam in albo nostri instituti sanctorum Monachorum, relatum antiquo Ecclesiæ iurè præstabit. Decretum quoque de mandato Sanctiss. D. N. Pauli V. æternæ memoriæ Principis, à sacra rituum Congregatione promulgatum, manibus euoluere cura, cum D. Dionysij festum sub die 19. Ianuarij concelebrandum in toto ordine nostro, tanquam Carmelitam per vniuersum Orbem, ab eodem amplissime concessum accipies.

QVAESTIVNCVLA VII.

Essenorum Monachorum Eremitarum Montis Carmeli, Regula qualis.

CVriositati magis, quàm necessitati occurrendum; & quali abortu sceptus ordo noster Regula peruestigandum.

dum. Monasticus enim Ordo quicunq; certa aliqua, non firmatus regula, inordinatus est, cùm nulla in iure posit esse Religio sine Regula. Ità Bonifac. 8. cap. vnico, de voto, & voti redemptione. & Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de Regul. De Regula igitur, qua primæui nostri Patres inuicem connectebantur, sermonem instituo. A Regula, Monachi omnes Regulares denominantur, quemadmodum à Canone Canonici Regulares. Iulius Nigronius in Reg. communibus Iesuit. Tit. 1. p. Regulæ nu. 5. Et relictis Canonistarum, & legalium acceptionibus, dico Regulam esse, quæ normam religiosè viuendi, viris Religiosis tradit. Ità Innocent. sept. Regula moraliter sumpta, duplicem habet considerationem: vel .n. approbata, & confirmata est solemniter, vel non: si primo modo, adhuc dupliciter; vel enim approbata, & confirmata est solemniter à Summo Pontifice; vel ab Episcopo, antiquo iure de vniuersali Ecclesiæ consensu, in sua diæcesi. Si à Summo Pontifice, Regula est immutabilis, nec lato vngue, mutationem vllam accipere potest. Ratio est, quoniam quæ à Summo Pontifice iuridicè emanant, nemini infringere licet, confirmant omnes: Si vero, abolito more, ab Episcopo solemniter lata fuit, & à Regularibus acceptata, ab alio quidem mutari, poterat: Ratio est, quia par in parem potestatem habet. Hæc doctrina desumpta videtur. ab Vgo Vict. in Reg. S. Aug. Guilliel. parisiensi, lib. de virt. cap. 12. S. Anton. p. 3. tit. 16. cap. 1. §. 4. & 5. Azor. lib. 13. tit. 1. cap. 11. Angelo Clauasio verbo Relig. Petro Sut. de vita Cartus. lib. 3. c. 3. apud Iulium Nigronium supra. Si Regula verò non est approbata, neq; confirmata solemnitèr, non differt in Ordine, à constitutionibus, & Ordinis Statutis, & in generalibus Comitijs mutationi subiectatur. Limita. Dummodo mutatio fiat, ab illis, qui parem cum conditore, auctoritatem habet; Itèm limita. Dummodo Constitutiones, non sint latæ loco Regulæ, vt apud Carthus. Auctores supracit.

De Regula prima Essenorũ Patrũ nostrorum.

Regula necessaria cuilibet Ordini.

Regula duplex.

Quæ à Pō t. f. infrangibilia.

Regula quomodo mutabilis.

Limitationes necessariæ.

His positis, quærenti, quam Regulam nostri Montis Carmeli Monachi Eremitæ, in ipso nascentis Ecclesiæ exordio profitebantur? satisfacio duabus conclusionibus. Prima ante

Nostri Quam Regulã profitebãtur.

ante Christi Aduentum nostri Patres Esseni illa Regula tenebantur, cuius transcriptum apud P. Thomam à IESV discalceatum in Commentarijs nostræ Regulæ, tredecim continens capita reperitur, ab Eusebio Cæsar. Nicephoro, Sozomeno, Cassiodoro, Philone, & Iosepho, accepta in vnumq; redacta. Secunda. Post Saluatoris verò Aduentum nostri Patres D. Ioannis Bapt. concionibus præparati ad fidem, à Christo Domino eruditi, ab Apostolis baptismo mundati, Apostolicam tandem cœperunt ducere vitam; vna cum expressa, ac solemni votorum emissione. Quod viuendi genus, Episcopi locorum, Ecclesiæ auctoritate approbantes, ipsis Regulam indixerunt, & tradiderunt, vt vnus, in omnibus esset viuendi modus. Hæc latius Trithem. cap. 4. de laudibus Carmeli.

Confirmatur ex Paludano. Hinc Petrus de Pal. 4. sent. dist. 38. Antequam, inquit, essent Regulæ, quę nunc sunt: erat quidem viuendi modus ab Ecclesia approbatus, qui idem faciebat, quod nunc facit emissio trium votorum in regulari professione. Et expressè colligitur 12. q. 1. cap. scimus, & cap. dilectiss.

Illud tamen memoria sæpiùs repetendum duco. Iudęam, & Palestinam crebris bellorum turbinibus Romanorū Imperatorum Titi primùm anno 72. dein anno post centesimo, Aelij Adriani depopulatam, innumera nobis suppetere mala, à primæuis nostris Patribus, pro Christi fide sæpissimè perpessa; quibus per recurrentes annorum centurias afflicti & vexati, fracti sed non victi, diù præpediti ordinis obseruantiam, & Regulæ leges obire non valuerunt. Ex quo D. Hilarion, Deo mouente, in Palęstina anno 307. Carmelo pristinæ restituit gloriæ, & antiquatæ imagini; Quemadmodum in Aegypto per Pachomium, & Palemonum, & in Antiochiam per Athanasium, sub ijsdem ferè temporibus, idem contigisse, ex historijs percepimus. Carmelus autem ita restitutus, vsq; ad Ioannis 44. Regulam perseuerauit; vt in Annalibus plenè cōmonstrabo, ex P. Thoma discalc. & alijs: A quo quidem sanctiss. Patre Ioanne pleniorem accepit Regulam.

Sæpius nostri persecutionib' sunt.

Sæpius Ordo noster reformat'.

QVAE-

QVÆSTIVNCVLA VIII.

De nostrorum Cellulis, victu, & vestitu.

NEc displicebit aliam, non illepidam quidem, succinctè hic, profusè alibi, de nostrorum Cellulis, victu, & vestitu, subtexuisse quæstionem. In vestibulo ipso, memoriæ, quod alibi dedimus reuocãdum opto, videlicet Essenos nostros Monachos in duplici versatos differentia; quidam Cœnobitæ.i. in Cœnobijs degentes; quidam Anachoretæ.i. degentes post Cœnobium in separatis Cellulis, & solitudinibus; illorum iucundior quidem, istorum perfectior vita.

Distinctio de Cœnobitis, & Anachoretis.

De Cellulis.

EREmitarum Cœnobitarum Cellulæ à principio, intra determinati spatij limites inuicem separatæ ad paupertatem tendentes exedificatæ erant, Camaldulensium more, quibus senior ætate, virtutibus præstantior, omnibus præsidebat. Audi Philonem Apostolis contemporaneum lib. de vita contempl. erant autem eis & mansiones, quæ Monasteria rectè dicantur, vbi solitarij cum grauitate, & sanctitate sacris initiabãtur, carminibusq; diuinis, hymnis & psalmis Deum laudabant, atq; collebant. Hæc ille. Et D. Hieronymus Epistola ad Eust. Manent separati, sed iunctis Cellulis, vsq; ad horam nonam. Eremitarum verò Anachoretarum Cellulæ in montibus, planicijs, atq; vallibus, in distinctaquadam milliarium distãtia disiunctæ, & ab hominum consortio valdè remotæ, in quibus obtenta superiorum facultate, post Monasterij probationem solitarij degebant, Deo spiritualibus repleti consolationibus fruebantur. Hic, Ecclesia nascente, Cellularum vsus nostrorum. Vualdensis, de sacrament. tit. 9. c. 76. & Thomas discal. 3. p. Reg. c. 3. In his vtiq; Apes illæ, Deo sacræ, Monachi illi, à quibus nostra propago, suspirijs, & orationibus mellificium ædificabant, Deo & Angelis gratissimum.

Cellularum distinctio.

Apes Monachi ad instar.

Cellularum verò spatium longitudine, & latitudine exiguum,

Cellularũ lõgitudo, & latitudo.

guum, quantum ad Religiosum Virum celandum sufficiebat: Ideò Cella, à cellando inquit Isid. lib. 15. origin. cap. 3. & piè admodum ludens D. Bern. lib. de vita solit. Cellam docet pro Cœlo esse: cùm cœlestibus in ipsa studeamus, cœlestia oremus, & pro cœlestibus lucubremur. At D. Basilius de laudibus vitę solit. Cellam Monachis, Dominicæ sepulturæ propemodum æmulam dicebat, quæ peccato mortuos suscipit, & per afflatum Sãcti Spiritus Deo reuiuiscere facit.

Cellulæ nudæ.

Cellulas itẽ omni nudas ornatu, & omni destitutas supellectili, tantũm ligneo Crucis signaculo, & humili ad cubandum strato, cum breuiario munitas reperio.

Ingressus vetitus.

Nemini ingressus, nisi Ostio pulsato, & de superioris assensu permittebatur. Quod de S. Petro è carcere rediens fores sæpè, Hierosolymorum vsu, pulsasset, traditur in Actis Apostolorum. cap. 12. De hac quidem Monachorum vetusta obseruantia S. Doroth. in serm. 20. S. Effrem Tom. 3. serm. de tim Dei tit. 2. par. 35. Cassian. lib. 11. ca. 15. Petrus Dam. Epist. 118. n. 2. Iul. Nigron. in Reg. Iesuit. Reg. 33. n. 1. & alij.

In Carmelo Cellularum constructio.

Hoc nostrum duplex Cellularum genus, in Carmeli Monte conspicere, licet; si quidem in eius vertice, Cellulæ conclusæ quoddam terræ spatio distinguebantur, cum Oratorio: In varijs subindè eiusdem montis pendicibus, pro Anachoretis Cauernæ, Latebræ, & Speluncæ, inter ipsa saxa, intimius, vel naturæ opere, vel Monachorum labore, excauatæ, conspiciuntur; Inter quas ad montis radices primum obtinet locum, veneranda Sanctiss. P. N. Eliæ spelunca, cuius quidem latera, rusticis valata saxis, aditum ingredientibus præstant. In primi huius speluncæ habitatoris memoria, è cauis indeficientium aquarum venis, maxima promanat copia. Ioannes 44. Adricomius, & alij. In Cœnobiorum Cellulis manebat D. Dionys. inter Munachos degens.

De S. Elię Spelunca.

De Victu.

POst Cellularum distributionem, mensam paro. Etenim quemadmodum Monachi nostri statis quotidie horis, oratione iungebantur templo; itá refectionis causa, decreto

qui-

quidem tempore, cœnaculo, quod nos refectorium appellitamus, congregabantur; seuera enim prohibitione vetita erat, ægrotis exceptis, priuata in Cellulis commestio; qua lege Anachoretæ non ligabantur. Discalceatus longioribus.

Communis locus refectionis.

Comestio priuata vetita.

Cibi post mensæ benedictionem, communes illis erant. Panis cum aqua, & si aderat rarò vinum; pulmenta leguminum, olera sale, & oleo sæpe condita, cruda, pauperie aliquando cogente; carnis verò obsonium nunquam. Palmarum fructus, vel exsiccatæ ficus tantum, distribuente Monachorum Patre, pro loci qualitate, & Deo viuendi necessitate. Hæc frugalis illorum mensa. Cassianus, Hier. & nostri omnes. Accipe Iosephum, qui de Essenis, quos alias docui Iudæos ante Christum religiosos fuisse, ab Elia legitimè descendentes nostros Religiosos, postea Christiana fide suscepta, nostri Ordinis regularis antesignanos verba faciens, in hæc quidem erumpit, lib. 2. de Bell. iud. cap. 7. velut in sanctum quoddam templum in cœnaculum veniunt: quibus ibi cum silentio residẽtibus, pistor quidem panes Ordine, vnum autem vasculum ex vno pulmentum, singulis coquus apponit. Sed ante ipsum Philo lib. de vita contempl. de nostris sub Therapeutorum nomine, hæc alia in conuiuio, & post. Et sciscitanti, quid tùm postea in conuiuijs Ordine suo discumbentibus adstiterunt ministri parati ad obsequiũ? Nullane sequitur compotatio? Immò silentium maius, inquit Philo, quàm anteà, ità vt ne mutire quidem liceat, aut respirare vehementius. Clarius in eodem libro. Nullus horum cibum prius, quàm sol occidisset, capiebat. Fuere etiam qui tribus, aut pluribus quoq; diebus sine alimento perseuerarent, Vino autem & sanguinolentis prorsus abstinerent, certisq; diebus consultò humi decumberent. Cibus eis erat panis Sal, & hysopum, potus aqua. Et D. Hieronymus Epistola ad Eustochium. Viuitur pane, leguminibus, & oleribus, quæ Sale solo condiuntur: Vinum tantum senes accipiunt, quibus & paruulis sępè fit prandium. Plura illaque pulchra de nostris Monachis, apud Nicephorum lib. 1. cap. 15. & lib. 8. cap. 39. & de diuersis Monachis, & eorum institutione Sozomenus in Tripartita Historia lib. 1. cap. 11. Eusebius

Qualis Monachorum nostrorum cibus.

Silentio comedendo.

Abstinentia.

sebius Cæsar.lib.2. cap.16. Ex Patribus autem vide D.Hierō.de script.Eccles.S.Epiphan.hæresi 20.S.Chrisost.in Actis Apostolorum hom.44.Cassia.lib.2. cap.5. & ex recentioribus Illustriss. Bellarminum, & Baronium.

Lectio in mensa. Omnis veterum Patrum nostrorum corporalis refectio, aliqua sacrarum scripturarum lectione potius, quam ciborum condimentis, in silentio, & gratiarum actionibus sapida magis, se manducanti prebebat. A' qua discedere nisi euidenti necessitate, cogente, nefas erat. Hac fruebatur Monachus P. N. Dionysius.

De Vestitu.

S Vestitus rudis. VEtusto P. Nostrorum vestes, mundæ quidem, sed cum modo pauperrimæ, atque rudes. Saccum Cilicinum, subuculæ loco deferebant. Tunica grisea ad talos vsq; cum decore descendebat. Zona pellicea, Cuculla, seu scapulare (nos patientiam appellamus) vna cum Pallio albo, & baculo religiosa quadam grauitate, induti incedebant, nostri Instituti Patres. Ita Gaium, & Demosilum, & alios contemporaneos, hoc vestium genere S. Dionysius Areopag. Monachos initiauit. Idem obseruatum in D. Hilarionis vita; & apud Cassianum, & alios Auctores reperies.

Quantus & qualis.

Tria in veterū vestimentis. Tria in Patrum nostrorum vestibus, substātia, qualitas, & variatio. Quoad primum Laneæ vestes omnino erant, zona verò pellicea, rudes, viles, paupertatis spiritum spirantes, de quibus illud Paul. Heb. 2. circuīerunt in Melotis, & Caprinis, egentes angustiati, quibus mundus non erat dignus. Vnde Concil. Turonense Can. 25. circa Monachorum habitum digna scitu memorat. Septem conditionibus fulgebat nostrorum Patrum habitus; paupertate, humilitate, ruditate, sufficientia, vtilitate, inseparabilitate, & deuotione; de quibus omnibus præclarè vir spiritualis. Hieronymus Gratianus, in discipl. Reg. cap. 5. §. 1. & 2.

Qualitas in colore Varietas. Qualitas verò, Natiui Coloris vestium apud nostros, & pilata, & candidata, satis planares est hode. Cur pullæ, siue feruginarum nostrorum vestes? An quia plebiæ, & paupertatem indicant? vt Plinius lib. 8. Epistolarum. Quintilia-

lianus lib. 9. & Seneca de vita beata cap. 11. Clamidis verò, seù Pallium, albi coloris erat: siue quia is lætitiæ proprius, & Solis candorem exprimens; siue quia lanæ natiuus: vel quia talibus refert Nicephorus lib. 2. cap. 3. induebatur Beatiss. Virgo Maria Domina nostra.

Varietas ad historiam pertinet. Siquidem referente Paleonid. lib. 2. ca. 9. Saraceni molestè ferentes Pallium nostri Ordinis albi coloris, cum soli eorum Satrapæ albis vestibus vterentur, coegerunt Fratres, habitum ipsum deponere, vnde Pallia barrata, siue variegata assumpserũt; in memoriam palij albi quod ab Elia cæciderat Eliseo per ignem, à quo discoloratum est effectum. Hæc ille, ex Cyrillo Propheta, & Priore Mõtis Carmeli in lib. de peculiaribus Carmelitarum gestis cap. 7. & 8. accidit autem circitèr anno Christi 637. At per Honorium quartum pristinus habitus nobis restitutus fuit, vt fusè in Annal. meis. Varietas palij.

Insignis Adnotatio, de Scapulare Carmelitico.

Bella mihi visa est, nõ nego, adnotatio de Scapulare, quod proprijs manibus B. Virgo, Viro venerandæ memoriæ Simoni Stock, olim Ordinis nostri Generali sancto, in Carmelo tradidit: Non enim illum Simoni contulit habitum, eo quod illomet antea nostri carerent Patres. Illum induebant, vt ex eiusdem Beatiss. Virginis verbis facillimè deducitur; Accipe, inquit, Dilecte mi, hoc tui Ordinis Scapulare, &c. Nota hoc tui Ordinis Scapulare. Cur Amabò tui Ordinis? Nisi quia prius illud idem deferebant nostri. De Scapulare à B. Virgine collato S. Simoni Stok.

Instabis, cur ergò dedit? Soluo. Primum, vt manifestaretur omnibus, hoc nostrum Scapulare Pignus Beatiss. Virginis amoris esse confirmãtis nostræ Sodalitatis seruitutem, hoc singulari priuilegio. Idem cum Beatissimo Ildefonso egisse tradunt Historiæ, cum Planetam ei videntibus omnibus dono dederat. De Scapulare nostro dubitatio, & solutio.

Secundò, vt quoddam auxilij specimen esset, quo relinquentes peccata, veluti per diuę Agathæ vellum æternum effugerent incendium.

Tertiò, vt signum esset salutis à Beatiss. Virgine Maria impetrandæ cuilibet deuoto, illud idem in sui memoriam pure deferenti. vt per Arcam scimus Salomonem vitam donasse defferenti illam.

Quartò, vt in periculis constituti, hoc amoris, & deuotionis memoriale, Deiparam ex corde inuocantes optatum consequantur salutis confugium.

Tandem vt cuilibet de peccatis dolenti, fædus esset contractæ pacis cum Christo Iesu, ex sempiterno nostræ redemptionis pacto, per sanguinem in Ara Crucis obtento.

Scapulare à deputat. Patrem, & de licentia

Hinc rationabiliter per Sacerdotem tantum à Reuerendissimo nostro Generali, in quolibet nostri instituti Conuentu deputatum, nostræ Confraternitatis habitus, cum orationibus, & Cœremonijs, antè Virginis Deiparæ Altare deuotè petentibus, habita prius suorum peccatorum confessione, ad laudem Beatiss. Virginis, & nostræ Religionis exaltationem, de Summorum Pontificum benignitate, in dies gratis, & Dei amore, liberalissime confertur. Hæc de habitu nostro; fusius alibi.

QVÆSTIVNCVLA IX.

Quorundam Nominum dilucidatio pro Carmelitis.

Voces ambiguæ declarandæ.

OBscuras voces interdum dilucidare, ratio instituti, cui nos obligauimus, exigit. Non extra Chorum saltabimus. Nec ingrati quidquam lectori rerum nostrarũ amanti suppeditabimus, æquiuocationibus enim sublatis, veritas penitus elucescet. Eæ autem quinq;. Episcopus, Præsbiter, Clericus, Abbas, & Philosophus.

De Episcopo.

Episcopi dignitas à Christo.

EPiscopi dignitas (prout ad rem nostram) à Christo domino instituta est, & de iure diuino, in Ecclesiam introducta, succedit Apostolico gradui, & est eadem origo ac dignitas Episcopatus, quę Apostolatus, vt optimè Illustriss. Baronius Tom. 1. Ann. auct. D. Hieronymi Epistola 54. &

85.& in Micheam ca.2.subditur tamen Domino Papę,à quo potest priuari; & de Episcopatu, ad Episcopatum transferri, Canonistæ omnes. Ideò Episcopalis sublimitas nulli est æquiparanda, cùm omnibus alijs longè præstantior sit. Ità pluribus Dionysius de Eccles.Hierarch.Greg.Nazianz.orat. ad Ciues Nazian.D.Amb.de dignitate Sacerd.ca.2. D.Chrisost.in verba Isa.cap.4.& 5. & Doctores omnes. Episcopalis dignitas eminentiss.

Episcopi olim in suis diœcesibus Monachos, per manuū impositionem, solemnibus adhibitis cœremonijs, publicè instituebant,vt de Monachis Gaio,& Demophilo,à D.Dionysio Areopagita in Epistolis suis aperte habetur. Licet ego putem,non sine Sum. Pont.auctoritate hoc factum fuisse, quod optime docet Religiosiss.P.Bartholomeus à S.Fausto, in Thesauro Religiosorum lib. 5. de Relig. statu quæst. 14.etsi Ioan.Azorius vir doctus lib.11.cap.23.q.5. oppositum sentiat, putat enim Episcopos in primitiua Ecclesia hanc Monachorum obseruantiam, in consuetudinem duxisse.vt de S.Basil.D.Bened.D.August.apertè commonstrat, cùm in illorum ordinum institutione, ab Episcopis (ait) facultas nullibi petita, nullibi obtenta appareat. Episcopi Monach. instituebant.

Hinc nostræ Religionis initia Apostolorum, & successorum Episcoporum semper approbatione, fulsisse, non dubitamus. Vt in Annalibus meis videre est,de Episcoporū Hierosolimorum, Antiochenorum, Alexandrinorum,& Orientalium ferè omnium confirmationibus, approbationibus, & opportunis auxilijs nostræ infantilitati (Regina Maria, Domina nostra procurante) præstitis. Nostri per Episcopos cōstituti.

De Presbyteris.

IMprobum hoc ducerem caput,& hanc quidem vererer excitare quæstiunculam, nisi Illustriss. Baronius in Annalibus anno Christi 58.& excitasset, & exoluisset ipsam. Contigit sæpè Presbyteros, Episcopos, è contra Episcopos vocari Presbyteros.Quænā orabis differentia? Attende Baron. an.58.Tom.1.nu.10. Presbyteri nomen inquit olim fuit vocabulum tam Apostolis,quam cęteris inferioris Ordinis Sa- Presbyteri nomen declaratum

cerdotibus commune. Insuper quo ad Sacerdotium notat, Apostolos, & Episcopos, & Presbyteros ordinatione pares fuisse, & in Concilio simul consedisse ad consiliandum, at obortis, tempore Apostolorum schismatibus, Presbyteri depressi, non sunt amplius in Concilium vocati: sed ex ipsis Presbyteris, ad Episcopatus tantum vices pluries assumebantur. Hieron. in Epistola ad Tit. cap. 1. Ignatius Ad Trall. Epistola 5. & ità Presbyteri subditi facti sunt Episcopis. Vnde Ignatius Epistola 11. ad Smyrnen. Laici Diaconis subijciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopis, Episcopus Christo vt ipso Patri. Hic est Hierarchicus Ecclesiæ Ordo. Concludit Illustriss. Card. nu. 13. Episcopos à Domino in Apostolis institutos, Presbyteros itidem esse ab eo, in septuaginta duobus discipulis ordinatos. & anno 44. nu. 77. tom. 1. ait Christum, è fideli populo Apostolos duodecim, & discipulos 72. elegisse, eosdem sacris functionibus mancipasse. Differunt autem quia Episcopus præstat Presbyteris; Nam Episcopus sedit, manus imponit, ordinat; Patrum est generator, inquit Epiphanius heresi 75. vbi fusè hęc eadem discurrit. Tandem Christus Dominus in Apostolis, Episcopis, & in 72. discipulis Presbyteros constituit. Petrus verò Episcopos ordinauit, & distribuit. Hæc doctiss. Baron. an. 44. nu. 11.

Quinam Presbyter. — *Presbyteri & Episc.* — *Differentia Episc. & Presb.*

Monachi nostri quam Presbyt. dicti.

Modo in re nostra; cum nostri Monachi, Presbyteri aliquando nominari contingat, scias velim, hosce vel Episcopali, vel sacerdotali dignitate olim viguisse, vel demũ Animarum curam publicè gessisse. Hactenus.

De Clericis.

Antiquiores quinã Monachi an clerici.

NOn ingrata disquisitio. Dubitant quidam in Ecclesia quinam antiquiores Clerici, an Monachi? Abstine, lector à curiositate, vbi veritate cogitur Calamus. Clerici asserunt, inquit B. Vincentius serm. de S. Dominico puncto primo, Clericos extitisse, antequã Monachi essent. Quod non est: Nam non fuerunt Clerici, vsq; in diem cęnæ, & tamen prius fuerunt Religiosi Monachi. vt de Religiosis viris, de qui-

Solutio.

quibus in Actis Apostolorum; Et de Essenis de quibus Illustris. Baron. & Bellarm. qui omnes ante Apostolos varijs in locis floruerunt. Nec valet dicere Monachos non fuisse confirmatos, nisi in Concil. Lugdunensi; hoc .n. gratis conceditur: Quoniam aliud est loqui de confirmatione, aliud de institutione. Institutio sub Ioanne, acceptatio sub Christo Domino, dilatatio sub Apostolis, confirmatio sub Concil. Lugd. & Honorio Tertio. facta est.

Illustriss. Baronius distinctione vtitur an. 58. nu. 140. vt Clericos ostendat Monachis aliquo modo antiquiores. Etenim Clerici occidentales reuera antiquiores Monachis occidentalibus fuerunt: At Clerici orientales posteriores fuerunt Monachis orientalibus: Hij autem orientales, & occidentales barbis, & comis discriminabantur ad inuicẽ. Nam Monachos, & Clericos orientales nunquam barba rasos inuenire est; secus autem occiduos; Ità Clemens Alex. in Pedagog. lib. 3. & Baron. loco cit.

Distinctio clericorum & Monachorum.

Insuper anno Christi 44. nu. 77. Baron. generalem illam distinctionem adducit, de Laicis, & Clericis. Laici communis populus est, Clerici vero in Domini sortem sunt electi. Et Clerus generali hoc nomine, totus Ecclesiasticus ordo appellitatur, in quo plures gradus officiorum, dignitatum, honorum, prærogatiuarum vt in Hierarchica Monarchia, reperiuntur. Dist. 21. cap. Cleros, & cap. in nono.

Clerici nomen toti Ecclesiæ accommodatum.

E' quibus patet, in Clericali Ecclesiæ numero, etiam Monachos nostros, & alios omnes cõprehendi, & ratio est, quia statum habẽt Clerici Monachi, vt videre est apud Bartholomeum à S. Fausto de Religioso statu lib. 5. q. 1. & Platũ supra.

Monachi Clerici etiam dicti.

Hinc Tertulliani propositio illa ab aliquibus in Monachos passim citata, cum moderamine intelligenda. Fac vt sis bonus Monachus, vt possis esse bonus Clericus. Hæc inquam intelligenda venit de Monachis, non adhuc sacerdotali decoratis dignitate, & de Clericis Sacerdotio fulgentibus. Non enim Monachi omnes, etiam senio confecti, & ordinum institutores, sacerdotio insigniti erant, in antiquis S. Paulus primus Eremita, S. Antonius, S. Hilarion, & alij, in modernioribus, S. Benedictus, S. Franciscus Assisin. S. Franc.

Tertullianus declaratus.

de

de Paula, & alij, ob Sacerdotij riuerentiam, tantò decorari dignitate recusarunt.

De Abbate.

Aduersus Monachorum perturbatores.

ETsi Abbatis nomen iàm apud scriptores omnes, Sole clarius splendescat, attamen quoniam nonnulli, Eremitas Monachos ab hoc Abbatiatum titulo scriptis eijcere nituntur asserentes solum Christum Dominum fuisse Abbatem, Apostolos verò Canonicos Regulares, prò cuius dicti confirmatione, Ioannis Gersonis auctoritatem in Serm. de Cęna Domini Alfabeto 42. circa illa verba, Tradidit Iesū &c. adducunt, probare contendentes Christum fuisse Abbatem, Apostolos verò Canonicos Regulares in primitiua Ecclesia. Sententia, iudicio meo, allata extra chorum. Siquidem Gerson grauissimus, comparatione quadam ductus ait quod Christus erat veluti Abbas, Apostoli verò vti Canonici regulares; non affirmatiuè, sed per similitudinem quandam procedit; ridiculum enim esset, Christum Dominum tantum Abbatem appellare, cum in Ecclesiastica Hierarchia, nedum Abbas, sed eminenter, & Magister, & Prior, & Præpositus, & Guardianus, & aliarum dignitatum nominibus iurè nuncupari, possit, eo quod data erat ei omnis potestas in Cœlo, & in terra.

Gerson dilucidatus.

Quid Abbatis nomen.

Abbas idem est ac Pater. Apostolo teste Rom. cap. 8. & ad Gal. cap. 4. & Marc. cap. 14. siue hæbraicum, siue Syrum, nomen, vt D. Hieron. placet, de nominum interpretatione; quare Abbatis nomine, ab Ecclesiæ cunabulis, omnes ferè Cœnobitarum nostrorum superiores, præ cæteris fruebantur, vt videre est apud Panormit. in cap. cum Monast. & Historicos, tum exteros, tum domesticos, de primæuis illis Monachis, Paulum primum Eremitam, Antonium, Hilarionem, & alios præcedentibus.

Abbas proprie.

Modo autem vt adnotauimus Abbas propriè dicitur, qui vel pręest Monachis in Monasterijs, qualis est Cisterciensis, Carthusiensis, Oliuetanorum, & aliorum. Licet sit titulatus tantum. Nam reperitur Maior, & Minor Abbas, in Mona-

naste-

masterio? vel vt notat Azorius in institut. moral. lib. 12. cap. 20. Abbas etiam dicitur ille, qui licet non sit religione professus, ei tamen in commẽdam, vt dici solet, & in perpetuam administrationem, Regularis Abbatia, quæ est beneficium commendatur: sed de his nihil ad nos; Cum his quidem temporibus, Abbatis loco, Priorem generalem, ex Pontificum concessione habeamus: & in Monasterijs priuatis noster Abbas est Prior, ita rerum præsentium firmata consuetudo.

De Philosophis.

Aliqualis item vltimo loco in hoc nomine, quædam lateret ambiguitas à rerum nostrarum indagatoribus, fico pede minimè prætereunda. Siquidem nostri Patres pro temporum, & rerum irrequieta vertigine, his Philosophiæ, Philosophorumq; nominibus, insigniti quoque fuerunt. D. Basilium in testem aduoco, de instit. Monach. D. Ioannem Chrisost. lib. contra vituperatores Monachorum. Tritemium in Penthico de ruina sui ordinis, quibus familiaris est denominatio ista. E quibus optime apparet Monachos antiquitus Philosophos meritò appellatos fuisse: Nam quemadmodũ Ethnici Philosophi propter virtutes, & sapientiam rerum altissimarum, quibus incumbebant, honestissimum sibi pararunt nomen, & locum, vt in sermone, quem habuit Pythagoras cum Leonte Philasiorum Rege, teste Cicerone Tuscul. 5. Clarè deducitur; Ita quoq; inter Christianos, non inferiorem propter virtutes, & Diuinæ sapientiæ arcana, quibus diù noctuq; studebant pretiosissimum hoc sibi vindicarunt locum, & nomen.

Philosophi etiam nostri Eremitæ appellati.

Quo sensu.

Hinc S. Nilus librum Monastices, de Christiana Philosophia inscripsit, & Iustinian. Auth. collat. 1. tit. 5. cap. 4. Monachos antiquos Philosophiæ Monasticæ certatores nuncupauit. Hæc volui lector candide, & sincere facilitatis gratia, vt cum de rerum nostrarum moderatione referam, tuto pede nostras Historias percurrere, valeas. De Ascetis, Asceterijs, Therapeutis, supplicibus, & antiquatis alijs nominibus,

Testes.


bus, quibus veneranda olim, ab initio denominabatur nostra familia, in Annalibus nostris, quos sudore paramus, fusè disseremus.

AD LECTOREM.

EA est veritas, vt si obliuionis tyrannide aliquando obnubilari contingat, temporum vertigine in lucem erumpere itèm cogatur. Ego equidē D. Dionysij Papæ, & Marty. Carmel. Actis, etsi non pro dignitate, satis pro virili satisfacisse rebar; Quando noua itèm eiusdem veritatis adminicula mentem, calamumq; voluptuosè ad illustriora accersunt, atq; cogunt. In refertissima Florentiæ Nouellana Bibliotheca, Candide lector, ad leuam habes, in manuscripto opere membranis folijs, occulato teste Petro Lucio Belga, in Biblioth. Carm. insignem hanc Notam, Isidori cognomento Iunioris. S. Dionysium Papam in partibus Syriæ Monachum fuisse; qui omnium ex Monachis primus Pōtifex creatus est. anno 267. Constitutiones conscripsit, quibus caueturā ne Presbyteris in vrbe Romæ Ecclesiæ, & cæmeteria distribuerentur, & alia de quibus in vita eius. In supputatione restituendus est annus ad præscriptum Baron. 261.

Testim. Isidoris iunioris de D. Dionysio. In Bibl. Nouell. Floren.

Ab eodem, Pontificatus insignia accepi, quæ hic ob oculos adpono.



Diu. Dion. Pap. Vet. Pont. Inf.

Hæc

Hæc autem dum attentè meditarer, & hæc scriberem in Francisci Mennenij Antuerp. viri de antiquitatū benemeriti libellum militarium Ordinum incidi, in quo equestri Ordinis sanctiss. Sepulch. D. N. Iesu Christi, in Regno Hierosolymitano, insignia per omnia Hierosolymorū Equitum insignibus consimilia reperi; quippèque originem ducere à tēporibus D. Iacobi Fratris Domini Hierosolym. Episcopi anno. 63. pro Christo cæsi, deinde per Constantinum Magnum Imperatorem innouata, & maximis ampliata priuilegijs, tradūt Bartholom. Saligniacus in itinerar. & Franciscus Mennenius, in lib. Militarium Ordinum in ijs quinq; Cruces rubri coloris, in memoriam quinq; plagarum Domini N. Iesu Christi de quibus liquidò apparet. D. Dionysium insignia Ordinis Sanctiss. Sepulchri in Pontificatu publicè extulisse.

Eadem cū insignib. Sanctiss. Sepulch. Hierosol & Equitum Cypri.

Insignia declarantur.

Quid inquam? immo insignia hæc vetusta suadeo. Instituto nostro ab initio cōmunia fuisse & ducor. Nam quemadmodum totus noster sacer ordo, supra hominum memoria, officio Equitum Hierosolymorum Rom. Pont. concedente, vsus est, & Canonicas quotidie celebrabat horas, ad normam Sanctiss. Sepulchri, vt videre est in speciosissimo titulo Ordinalium veterum Missalium, & Breuiariorum Ordinis nostri, qui talis est. ORDINALE Missarum Fratrum sacri Ordinis gloriosiss. Dei Genetricis, semperq; Virginis Mariæ de monte Carmelo, extractūm de approbatu vsu Dominici Sepulchri, Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, in cuius finibus dictorum Fratrum alma Religio Carmelitarum sumpsit exordium: Ità nullo negotio suadetur, Insignia Equitum Sanctiss. Sepulchri Hierosolymitani toti Ordini nostro cum Missale & Breuiario communia fuisse; & hæc eadem Sanctissimo Patri Dionysio Papæ indubitanter accommodata non dubitamus; nedum in honore primum quinque Plagarum Domini N. verum etiam ad nostræ Religionis exaltationem, & perpetuam recordationem. Eadem item reperi in insignibus Equitum Cypri.

Probare insignia nostri Instituti.

Tit. Ordinalis veteris Ordin. nostri.

At hæc gemens scribo. Video nanq; pessum datum Hierosolymorum Regnum, & per intestina mala bellicosorum

Priscarũ nostrarũ rerum oblitteratio. An.1585. sodalium destitutam virtutem. Video in Italiam Perusiæ Equestri Ordinis constitutam Sedem, & alios ad Innocentij 8. Pont. Max. nutum in societatem Rhodiorũ Equitũ adscitos. Video per Ioannem Bapt. Cassardum Ord. nostri Priorem Generalem, pro reformatione Breuiarij deformatam aliqualiter Carmeli formam, quod pace tanti viri dixerim, & venerandę nostrę antiquitatis insigniores Sanctorum, heu deperditas conspicio memorias, quas in dies Virgine volente, in lucem reuocare student viri clarissimi, quare optimo, quidem iure nostræ vetustatis perpetuum monumentum, ad laudem Sanctiss. P. Dionysij Papæ & Martyris Ordinis nostri reincidi curaui.

D. Dion. bapti. 46. ex Martyrol. Rom. Adhuc insigne aliud. Ex Martyrologio Rom. Oct. Kal. Nouemb. Romæ Natalis Sanctorum quadraginta sex militum, qui simul baptizati à Dionysio Papa, mox iubente Claudio Imperatore decollati sunt, inter quos fuerunt quatuor milites Christi Theodorus, Lucius, Marcus, & Petrus, de quibus Beda, Vsuardus, Ado, & recentiores, ex actis S. Laurentij, Baron. in Annotat.

D. Dionysij memoriæ multę deperditio. Ex notis Petri Lucij Belgæ, extat & hic Dionysius in antiquissimis æneis laminis insculptus, tanquam Carmelitanę vitis palmes, & illius sæpius mentionem sub Carmelitani Nominis appellatione facit Doctissimus vir. M. Simon Cælius Lusitanus; hæc ille.

Peroratio. Hæc volui pro vindicatione D. Dionysij Papæ. Nunc Dominus Noster Iesus Christus, æterni Patris Sapientia, qui solis ad instar, tenebrarum abscondita pandit, obscura quęque quæ vetustæ nostræ familiæ, veritatis radijs in dies aperire, & illustrare non dedignetur; vt Calamum collustrata mẽte, scribentis manus feliciter dirigat. Adsit quoq; Beatissima Virgo Maria, cui omnia mea semper accepta refero, vt religiosum hunc qualemcunq; susceptum pro sanctis nostris laborem, dilecto filio suo Domino nostro, porrigat, vt delictorum meorum impetrata remissione, & pro sua benignitate impartita benedictione, me, atque mea perpetuo regat æuo.

VITA S. SPIRIDIONIS EPISC. CARMELITAE.

Ex ijs, quæ ab Illustriss. Baronio, Surio, Lippomano, Villega, Ribadinera, Petro de Natalibus, & Nostris omnibus.

Floruit anno 274. Moritur anno 338.

Colitur die 14. Decembris.



NARRANTI mihi inclyta gloriosi Patris nostri Spiridionis acta, à primæuis Catholicæ Ecclesiæ seculis, copiosę suauitatis recordatio, spiritū illius adesse precor, qui vetustæ nostræ simplicitati affulgens, hunc sanctum virum in sole posuit ad Orientales, & occiduas oras collustrandas, Nullæ sanè Græcorum, aut latinorum tabulæ; quæ immortalibus pij Patris elogijs non exornentur. Ruffini lib. 1. cap. 5. illud insigniæ. Spiridion Episcopus Trimituntis in Cypro, ex nobilissimis illis Cōfessoribus vnus, quos Maximinus dextro effosso oculo, & sinistro item poplite succiso, ad metalla damnauerat, vir vnus ex Ordine Prophetarum. Illustrissimus Baronius item Tom. 3. anno 325. ipsum D. Nicolao Episcopo Miræ in Lycia non imparem ore rotundo protestatur. Alij deniq; virum simplicitate eximium, & pręcellentem sanctitate passim gloriosis imaginibus & fælici recordatione memorare non desinunt. De hoc ipso tam præclaro nostri Ordinis sydere è supremo pręstantissimorum Scriptorum cœlo quæ solerti indagini meæ concessit diuinissimum numen, pro tenuitate fideliter tradere non grauabor.

Illustre nomen S. Spiridionis.

Ex Ord. Prophetarum.

2. Cyprus Insularum nobilissima, quam vndis alluit mediterraneus Aequor Cyprio; Serapioni nostro gentilitium

Ortus S. Spirid. dedit. In Insula terrenorum amorum Ciprignæ dicata na-scitur, vt insulanos Deiparæ Virgine Cælestium amorũ ma-tri dedicet. Parentes armẽtorum Pastores habet, qui ouibus Christi vitalia pascua veluti alter Iacob vberrimè paratu-rus erat.

3. Hic tantis congenitæ claritatis, & naturalis mititatis splẽdoribus, ab incunabulis micare cæpit, vt pauperes elee-Pueritia. mosynis, & Peregrinos hospitio, hilari vultu recipiat; quos ob amorem B. Virginis quam mira deuotione venerabatur, & frugali mensa, & pedũ ablutione recreatos dimittit, nul-lum charitatis officium desiderare permittens.

Iuuentus. 4. Ad nubilem autem ætatis periodum cum peruenisset, vxorem parentum iussu, ex Surio, Lippomano, & D. Zacher. Lippeloo Carthus. in vitis Sanctorum Tom. 4. die 16. De-Vxorem ducit. cemb. in Domino ducit, ambo rem rusticã vnanimiter exer-cent, nec domesticarum, atq; piarum rerum exercitia præ-termittunt. Filiam Irenem nomine obtinet, quam virgini-tatis cultum à teneris colere docuit; Interim è vita cessit di-Irenem filiam obtinet. lectissima Vxor, qua ritè functa, Virginem Irenem cognato-rũ fidei concredit, & religionis causa in Palestinam Ethesijs In Iudæã pergit ad Carmelũ. flantibus iter dirigit, Ioppem appulit, & ad Carmelũ flectit.

5. Insigne illud ante Vxoris obitum haud prætermitten-dum, ex Baronio an. 325. tom. 3. Tripartita Hist. lib. 1. cap. 10. Zacher. Lyppeloo Carthus. Tom. 2. die 16. Decembris. Exemplũ pietatis, & humilita. Cùm nocturno tempore ad ouium Spiridionis caulam fures, furti causa concessissent, vix in oues iniecere manus, subito loris vinctos nemine ligante, mutuò se conspiciunt: Illuce-scente mane bonus Pastor vinctos in caula reperit, nulla præeunte increpatione, aut admiratione, illos vultu solatur sereno, exoluit, & placidè ille, cur fratres rapere potiùs, & noctem ducere insomnem, atq; infœlicem voluistis, cùm ip-Fures omnium moniti. se vobis depredandas oues liberalissimè tradidissem? dein illorum sortem miseratus, pijs eruditos monitis, hoc memo-rabili pietatis encomio dimittit. Abite hinc amici Arietem sumentes, laborastis quippè vigilijs, dedecet vos vacuos ab Armento recedere.

6. Ac præruptum sermonis filum annecto. Iam locum repara-

tionis

tionis nostræ humili gressu calcat, & vestigia sacro sanguine respersa lustrat, Carmeliq; tandem iugum, Deo ducente, conscendit. Alta eremi męnia ab interuallo veneratur, & inclytum Virginis templum propius pronus adorat, trepido quodã gaudio exhilaratus, sacra sacelli limina piè osculatur, dein ad Arã lachrymatus preces fundit; rite precatus, Claustri viscera intrat; O Dei prouidentiam, Eremitarum Patrem in limine obuium habet, ei salutem dicit, & de salute animæ suæ sermonem instituit, vtriq; numen aderat. Noctu superueniente, ignoto hospiti paratur hospitium, & cum Deus, qui sunt eius noscat, Monastico illo conclaui adeò amabilem illum reddidit, vt paulò post Eremitarum nostrorum habitum griseum scilicet, Sagum, Zonam, Melotem, Palliolum album cum baculo (hic vestimentorum vsus, primæuus illis Ecclesiæ seculis apud nostros) in honorẽ Beatissimæ Virginis Mariæ ingenti omnium lætitia obtinet; quod innuere videtur Historia Ecclesiastica lib. 8. apud Paleonidorum lib. 2. cap. 3. cum ait, Spiridionem ex ordine prophetarum fuisse, & alibi; vitam propheticam duxisse, non quod ipse futura tantum prędiceret, sed quod propheticę religionis à Propheta Elia institutore erat Alumnus.

Peregrinatio.

Carmeli Cœnobium ingreditur.

Vetustus Nostrorũ habitus.

Historia Ecclesiast. declarata.

7. Quanto temporis spatio in Carmeli Antris, & speluncis solitariè versatus, apertè non apparet: Nostri tamen octennos circiter annos inibi commorasse cõiectant, in quo annorum curriculo religionis rigorem adeò diligit, vt in exequendis suorum superiorum præceptis nulli vnquam secundus; Is in simplicitate cordis Deo seruire studet, & zelatus diuinorum Zelo, atq; sacramentorum venerationis calore feruescens, nisi ad salutem monita præbet, sanctorum scientiam humiliter à Deo quotidie petit, quare Dæmonibus terrificus, Angelis admirabundus, & hominibus inimitabilis, vbiq; locorum existimatus, acclamatur. Ad Betlehemitica Christi cunabula, ad Caluariæ Montem, ad Iordanis fluenta, & alia sacra nostræ reparationis loca singulo quoq; anno repetiebat iter. Huius ieiunia, macerationes, disciplinas, Cilicia, lucubrationes, studia, & alia multis nominibus præclara Sancti Viri Spiridionis, non datur peccatoris calamo,

Quanto tempore in antro.

Spiritualia exercitia.

Annua profectio.

mo, percutere. Testentur Angelorum agmina quorum ille fouebatur obsequio, & mulcebatur alloquio.

8. Hinc Anno Christi 274. Beatiss. Fructuoso defuncto, in Generalem nostri Instituti Spiridionem, omnium Patrũ consensu, electũ fuisse optimo iure censemus; & officio maxima cum omnium admiratione, & Ordinis incremento, per sexaginta ferè quattuor annos laudabiliter functus est.

Creatur Gen. Car.

9. Tempore autem, quo Maximinus in Christianos omne crudelitatis genus ad sexennium exercet, Sanctum Spiridionem vna cum alijs Confessoribus, ne dum è Carmelo, sed de omnibus Christianorum sedibus vocatis ad Palestinæ Præsidem supra sexcentos septuaginta numero, adductum credimus, quorũ præsertim Philea, Hesychius, & Theodorus erãt signiferi, & præceptores; de quibus Baronius Tom. 3. Anno 306. sub Firmiliano, cuius iussu macerati carceribus, tandem oculo dextro effosso, & poplite sinistro præciso, ad metalla damnãtur. In hac maxima impijssimi Maximini Christianorum persecutione, vbiq; locorum fugati sunt omnes Christi fideles, vnde Carmelus noster languescens, tyrranide impiorum debacchante, Comprouincialium siluæ, & Cauernæ Monachorum turbis replebantur.

Dextero oculo, & sinist. poplite cruciantur cũ alijs.

10. Quorsum autem venerandus Spiridion cum ceteris, ab infidelibus vulneratus tendat, ad quem exulatus se recipiat locum inuenire non potuimus.

Locus post vulnera ignoratur.

11. At sub anno 324. Mirabile tradunt illud, Viri Clarissimi, Ruff. lib. 1. cap. 3. Socrates lib. 1. cap. 8. Baron. anno 325. Spiridionis filia Irene, de qua supra illo absente Virgo è vita cessit, dũm autem iusta, ei de more soluunt, illius obitum monente Virgine Deipara videt, à qua proprias ædes ei repetẽdas accipit, vt Ordini suo noua suppeditet incrementa, & difficilia multa illius studio, & amore subeat; Impiger ille diuina implorata ope, Cyprum appulit, Patrium vix pedibus tenet solum, en obuium habet virum, qui de pretioso quoddam deposito, demortuę illius filię bona fide commendato, dolens conqueritur; rem Pater ignorat, tota domus euertitur, nec inuenitur; instat creditor fletu, lachrymisq; perurget se tertio quoq; verbo miserrimũ appellitans, Dolen-

Mirum de Irene filia.

A Virg. præmonetur.

Defuncta filia ad vitã reuo-

tis viri eiulatibus commotus Spiridion, cursim ad filiale sepulchrum properat, eamq; de nomine clamitat. tum illa de sepulchro: quid à me Pater? commendatum, inquit, confidentis hominis vbi? at illa locum designans, illic, ait, deffossum inuenies. Tum Pater, Dormi, inquit filia, donec communis Dominus te cum omnibus communiter excitet. Interim domum reuersus, rem sicuti filia de sepulchro indicauerat repertam, tradit reposcenti. cata depositū docet

12. Huius rei aliorumq; gestorum, quæ nedum fama, & ore omnium, celebrantur, à Triphilo etiam Episcopo olim eius discipulo iambicis prosequuta sunt, quę postea exciderūt, notat Suida, & soluta oratione apud Metaphrastim die 12. Decemb. quæ hodie item legenda proponuntur; Spiridionis inquam fama; nomen vbiq; locorum euulgari cæpit: Hinc diuino afflante numine, in Trimithuntis Sedem Episcopalem suo tunc temporis Pastore vacāte intrusus omnibus applaudentibus recipitur. Ciuitas iu Triumphi specie, lætitia perfunditur. Vnde & Carmeli nomen per omnium ora consolat, auctum, & dilatatum. Eremitisq; prophetici Ordinis Monasteria in Cypria illa Insula Spiridionis magnanimitate allecti certatim oppidani, coaceruatis eleemosynis, magnificè construxerunt, quorum quidem Cathalogum è præclaris illius Regni historijs desumptum, alibi tradere non sumus grauati. Episcopatur.

13. Cæterum summis virtutibus in dies præfulgens Spiridion, ęquabilitate animi sui in pauperes, admodum pupillorum, & viduarum causas intendit, & diuino actus spiritu, futura vehementi ardore eructat, & quidquid à Deo orationibus petitum obtinet, diuisum cum Deo cœlorum terræq; Imperium habere communiter creditur. Hæc illud insigne probat, Cum .n. aliquando extrema rerum inopia, Insula diuexaretur Cypria, & in summum adduceretur discrimen, Pauperculus quidam, præmisso pretio, preces addens, vt exigua frumenti mēsura à Magno Diuite pro sui, familięq; suæ alimento obtineret, inflexum reperit, minisq; ab eodem reijcitur; Re infecta, ad Spiridionem tamquam ad sacram confugit Anchoram, ei annonæ pressuram exponit, & im- Ardor Episc. Mirabile quoddā.

minens vitæ suæ periculũ aperit. Bonus Pastor, cœlum suspicit, dein illum, cui desperata salus, placidis verbis alloquitur. esto animo fortis, tu cras ditaberis, & diues pauperescet. Vaticinatum S. Patris dictum, is minime librat, amareq; flebat, At absconsum Thesauri iræ Dei Iuditium in crudelem diuitem attēdas, si quidem aduesperascente nocte, subito cingunt æthera nymbi, & fremunt vndiq; Cœli, horror nimbosi turbinis animum quemcunq; terret, diluuiant præcipites aquæ, frumenta interim auari diuitis, è carceribus dissipati horrei, natantia diffluunt, repletis ciuitatis vijs, transacto imbre, accurrunt famelicæ pauperum turbæ, certatim frumentariam prædam, cælesti diffusam iudicio rapiunt, ille autem, Codro pauperior, frumento statim abundat, & Hymnum Deo dicit.

Prophe- Spiridiõ.

Miraculũ de frumẽto.

14. At altius repetamus nostri Spiridionis acta. Nicea Vrbs est Archiepiscopalis Bithyniæ metropolis apud Lacum Ascanium, clara quadratorũ angulorum constructione, clarior verò planitie, at clarissima Concilio primo illo Oecumenico sub Magno Constantino cōcelebrato, ad quod quidem Magnus Spiridion præ cæteris vocatus, de sua virtute specimen Ecclesiæ Dei per omnia secula dedit. Iubente igitur Syluestro Papa Anno 325. ex Baroniana supputatione, cooperante Constantino Magno Imperatore semper Augusto, & ad constabiliendum communẽ toti Ecclesiæ Paschalem diem, & ad cōfutandas Arrianorum hæreses, ita Athan. de Synodis, ex vniuerso orbis Theatro litteris accersiti sunt Patres ad præfatam vrbem ad numerum 318. inter quos ob Christianam simplicitatẽ supremum sibi vindicauit locum Magnus Spiridion; Conuenerunt quoq; gentiles vt cunctis spectantibus ingenij vires ostentarent, & agminibus Dei viuentis insultarent; sed diremit curiosum ad ostentationem non autem ad veritatem indagandam comparatum certamen. ita Baron. anno 325. Socrates lib. 1. cap. 5. Sozom. lib. 1. cap. 17. Ruffinus lib. 1. cap. 3. Vir quidam simplex, & sermone imperitus, verum diuina apprimè imbutus sapientia, dum de Christiana fide maxima vrgere cæpit concertatio, Gentilium quidam nimia arrogantia se inaniter iacti-

Nicea vbi clara multis nominibus.

Conciliũ Nicarum 318. Epis.

Gentiles ad Cõcil. vocat.

habitans, & Sacerdotes petulanter irridés, Simplex Serapion ex illustrium Confessorum numero, & Eremitarum Carmeli Montis decus, superbiam Gentilis ægrè ferens, sanctę grauitati eius datum est liberè fari; Hic igitur os suum apperiens (ex Baronio) dixit: In nomine Iesu Christi Philosophe audito. Vnus est Deus cæli, & terrę, & omnium rerum tùm oculis subiectarum, quam eorum aciem fugentium Opifex, qui hæc omnia, & virtute verbi fabricatus est, & Sacrato Spiritus Sancti afflatu stabiliuit; Quare hoc verbum, inquit, quod nos filium Dei nuncupamus humani misertti erroris, & beluinæ viuendi rationis, ex Virgine nasci cum hominibus vnà versari, proq. ijsdem mortem oppetere voluit, est quoq; iterum venturus de ijs rebus, quas quisq; gesserit in vita dicturus sententiam. Ista ita se habere sine vlla curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergò de his, quæ de fide dũtaxat rectè intelliguntur curiosè refutandis laborem frustra consumere, querereuè, quomodo ista fieri, aut nõ fieri, possint. Quod si credis mihi quidem sciscitãti responde. Quibus obstupefactus Philosophus, credo, inquit, & gratias illi egit, quod illum deuicisset. Hæc ad verbum Baron. Serapion contra Gentilem Philos. Philosophus conuertitur.

15. Ad hæc Ruffinus: Philosophus conuersus ad Discipulos suos, vel ad eos qui audiendi gratia conuenerant, audite, inquit, o eruditi viri, donec verbis mecum gesta res est, verba verbis opposui, & quę dicebantur dicendi arte subuerti, vbi verò pro verbis virtus processit ex ore dicentis, non potuerunt resistere verba virtuti, nec homo potuit aduersari Deo. Et ideò si quis vestrum potuit in his, quæ dicta sunt sentire, quæ sensi, credat Christo, & sequatur hunc Senem, in quo locutus est Deus. Ità Philosophus Christianus effectus, tandem se gratulatus est victum. Hucusq; Ruffinus. Eadem Greg. Presb. Cæsar. de Patribus Nicenæ Synodi, & alij omnes tùm Græci, tùm Latini, Philosophus iste, ait Dalmatianus in Collect. Concilij Niceni appellabatur Phedo, ex Glyca in annalibus, Eulogius, at incertum. Philosophus christianus efficitur.

16. Sed illud addamus ex Lipomano lib. 1. cap. 11. & Nicephoro lib. 8. cap. 42. lectu suaue. Hunc quidem tenacissimum Ecclesiasticæ antiquitatis, custodemq; Paterna-

rum traditionum ita innenimus vt nec etiam vllius voculæ mutationem passus sit, Vnde cum Triphilius ledrensis in Cypro Episcopus, qd olim Beriti Ius Ciuile professus erat de quo S. Hier. de script. Ecclesiast. in Triphil. omnium suæ ætatis eloquentissimus in Synodo Orationem ad Patres haberet, Marci verba illa cap. 2. citauit: Tolle grabatũ tuum & ambula & loco garabatum, quod habet textus dixit, σκιμπόδιον, idest, lectum humilem, assurgens Spiridion; Tunc (inquit) melior es illo qui, τὸν κράββατον: dixit: vt eius verbis vti dedigneris? quod cum dixisset exilijt, è Sede Sacerdotali.

Verborũ script. sacræ obseruantia.

17. Reuer. Zacharias Lypeloo Sancti Carthusiensium Instituti alumnus Clariss. Tom. 4. die 16. Decembris, & Petrus Ribadinera in eius vita aliud valdè egregium enarrant mirandum; etenim è Concilio diuertẽs de viro Ethnico triumphatus ad salutem, solum patrium rapetens in amicum incidit, per calumniam in crimen vocatum, & à Præside comprehensum atq; tamquam reum capitis damnatum, ad supplicium iam rapiebatur; Accurrit Spiridion innocentem liberaturus; vt ad Amni fluenta peruenisset rapida; eleuatis in cælum oculis submissè orans: state, inquit, fluminis decurrentis vndæ, iterũ; tutum mihi parate, & stetit fluminis vnda: Transuadauit Sanctus Dei cum Socijs, & Iudicem placatum reddidit, reuocataq; sententia, à mortis pœna amicum liberauit.

Ad supplicium condemnatũ liberat Se ..ap.

Flumen operit sibi

18. Verùm, vt Antiochia quoq; inquit Baron. Tom. 3. Anno 338. Metaphrastes die 10. Decembris, & Surius Tom. 6. possit videre Spiridionis virtutem, & gratiam, & de ea ferre testimonium hoc nouũ, & contra opinionem legito Amice Lector; Nuper Magnus Constantinus relicto Imperio è viuis excesserat, id autem filij diuiserant, Constantius cui sorte Imperium Orientale obtigerat in Magna Vrbe Celysiriæ, nempè Antiochia, versabatur grauissimo affectus morbo, superuacanea erat Medica ars, & manus omnium, desperata erat illius salus, Ad Deum Cæli conuersus attentè precabatur. Noctu in visione ei Angelus apparet, chorum multorum Sanctorum Episcoporum ostendẽs, in quos cum Imperator oculos defigeret duos quosdam in eorum medio

Mirandũ cum Imp. infirmo.

Visio Cõstãtij Imp.

videt, qui, & ipsi similes quoq; Episcopis erant, & aliorū duces, & Præsides videbantur; hosce dixit ei Angelus tui morbi sunt Curatores, non valuit Imperator per somnium illos dignoscere, quare dubius in ancipiti versabatur, cruciabaturq; & consilium cepit per vniuersum sibi subiectum Imperium litteras mittere, & præstantiores nomine, atq; sanctitate Episcopos ad se vocare, litterarum latores cum ad S. Spiridionem peruenissent in Trimitunte Cypri Ciuitate instanter ipsum rogant, vt ad Imperatorem citò conuolet, ille iam diuino spiritu edoctus; In somnis .n. ei singula significabat gratia, consentit; & Triphillium in socium nundum Episcopali dignitate decoratum aduocat, cum ergo simul in Regiam ingrederetur Spiridion tenui, & humili Eremitarum Montis Carmeli ornatus habitu, in manu autem virgā habet ex palma, & Thiaram gestat in capite, Vasculum habens è collo, olei Sanctæ Crucis in signum, quod è Carmeli iugo discesserat, Huius Sancti Eremitæ simplicitatem (vt mos erat apud illos teste Baron. supra) vir quidā in Regia nobilis eius irridens simplicitate post conuitia multa coram omnibus Aulicis, sacræ maxillæ eius colaphum incutit, ille verò diuinę legis Matth. c. 5. nō immemor prębet & aliam, Christi amore incensus, maximum patientiæ exemplum omnib. relinquens; At percussum Spiridionem Trimituntem Episcopum à Socijs accipit, pudore simul, & pænitentia mutatus afficitur; fit ei supplex, & veniam petit inconsideratæ lapsum audaciæ curare contendens, calore pęnitentiæ, cui alacri animo, & sereno vultu parcēs eum amplectitur, & Sanctis monitis atq; paternis Consilijs ad majorem frugem reuocat.

Spiridion vocat ab Imperat.

Adit cum Triphilio

Percutitur in Aula.

Remittit culpam.

19. Annus trigesimus octauus supra trecētesimum voluebatur cū ad Imperatorem per pænitentem Percussorem ducitur Spiridion, in ipso Aulæ Regiæ ingressu Triphilius supellectilium copia raptus, & opum splendore immobilis fere sistit; vt ipsum Spiridion, ab admirationis somno reuocaret manu palpans dicit ei: ostende Triphille quis nam horum Imperator, non .n. ipsum cognoscere valeo: Is Spiridionis arcanum minimè attingens, hic est, inquit, manu in excelso Imperatorem ostēdens, quid ergò, ait Spiridion, hic

Monitio Triphilo facta.

alijs admirabilior, nisi eum etiam dixeris iustiorem ob fastũ & splédorem? Nonne æque ac quiuis pauper ignotus morietur, similiter verò sepulturæ mandabitur, non ne, & ipse sistet, ante incorruptum Iudicem? cur quæ fluunt tamquam quæ stabilia sunt honoras, & quæ nihil sunt in admiratione habes? Hæc ferè eadem Baronius lib. 1.

Spiridion corã Imp. 20. His dictis Imperatori se obtulit, qué ex Eremitarum somniato habitu recognoscens, humiliter secum egit, rogans eum ab incurabili morbo liberare. Triphillum autem dimisit, quoniam Episcopali habitu nondum fulgebat. At Spiridion sanctus lacrymis, & suspirijs plenus solatus est Imperatorem. (En mortales quanti valeant summi terræ homines cũ Sacerdotib. Dei) postea manib. ad Imperatoriũ caput reuerenter admotis, illicò fugatus est Morbus, & conualuit Imperator, statim incredibili lętitia perfusi sunt omnes Aulici, & gaudio omnes exiliebant, solus Spiridion erat in labijs omnium, aspiciebatur Spiridion, Spiridion erat id, quod studio erat omnibus. Restituto sanitati Summo Imperatore, munera quę coactè Spiridion accepit, in pauperum subsidium erogat, deinde Imperatoris animam vt bonus Medicus curaret, monita sancta veluti medicaméta saluberrima reuerenter tradit, ne in Eusebianorum labem deinceps cadat, & Arianum venenum sensim ebibat.

Imp. morbũ fugat.

Munera accipit, & pauperibus erog.

Tria obtinet Spirid. ab Imperat. 21. Tria ab Imperatore obtinet Spiridion: Primum munificentissimas in pauperes largitiones: secundò, immunitatem concessam clericis, & à quocumq; vectigali liberationem; vltimò, restitutionem, & fundationem multorum nostrorum Monasteriorum varijs in Eremis, & Sanctorum solitudinibus, vt Monasterium in Trimituntis Ciuitate, Amathunta, Leucosia, Carpasia, Leuca, in Regno Cypri, & alijs Syriæ regionib. de quibus passim nostri. At proh dolor: Bellorum Infidelium, & Turcarum vltimis turbinibus, solo æquata nomine tantum cum suspirijs memorãtur innumera illa Monasteria.

22. Nec Spiridionis adhuc facta miranda cessant, cum è Regia, domum pergeret, referente P. Zacheria Lypeloo in eius vita, obuiam mulier barbara, & græcæ linguæ imperi-


ita procedit, quæ defunctum filium in vlnis deferens, multis lacrymis, & miserando valdè eiulatu, proli suæ vitam à Spiridione precabatur; dolebat mulieris vicem, sed rei magnitudine territus abnuebat, à nostris, qui eum associabantur leniter rogatus, vt pro defuncto puero, preces Deo effundere non dedignetur, quibus annuens humi flexus enixè Deũ orat, qua in oratione ad vitam puerum mortuum reuocat & matri viuum tradit.

Puerum mortuum in vitam reuocat.

Innumera quoq; operatus est Deus Opt. Max. per seruum suum Spiridionem patrem nostrum, quibus meruit inter homines summis laudibus æterno æno posteritati commendari, & ob prudentem illius simplicitatem ad astra euehi. Ita plenus dierum, & bonorum operum sub anno 338. ad Empireum euolasse non dubitamus, relatus in Album Sanctorum die 14. Decembris, quo è vita migrasse fertur; vnde calami præstantissimorum Virorum Christianæ Religionis, in illius honorem per omnia secula desudant. Carmelitæ verò, quorum familiam tam præclarè per vniuersam Ecclesiam rexit, ampliauit, decorauit; gratitudinis ergò, & in vetustis Monumentis suæ Religionis, & in antiquis, & moderni oribus Breuiarijs sub Greg. 13. Pont. Max. reformatis, atq; Pauli V. Pont. Max. auctoritate solemni officio duplicis minoris, singulis annis ad præscriptum calculum, per vniuersum Orbem, cum publicis, tùm priuatis honoribus colere, publicare, prædicare, & inuocare certatim non desistent, neq; ad interritum vsq; hominum vnquam cessabunt.

Plenus bonorum operum moritur.

Carmelit. familiæ vniuersalis gratitudo in Spirid suum.



MEMORANDA
D. HILARIONIS ABBAT.
Eremitarum Montis Carmeli in Palestina Restauratoris Insignis.

Ex scriptis D. Hier. ad Nonnam Asellam, Breuiario historijsq; nostri sacri Instituti Carmelitici fideliter excerpta.

Nascitur Anno Christi 292. Octuagenarius moritur. Eremo Carmeli restituta, & ad Patrium solum apponitur. Sub Damaso Pont. Max. Anno 372.

D. Hilarionis Parentes.

1 RÆCLARA D. Hilarionis Patris nostri acta Illustri sanè memoria sępius repetenda compellunt manum, excitant spiritum. Adsit qui Hilarem datorem diligit Deus; Tabathæ in Palestina ex Infidelibus Parentibus, rosa de spinis oritur Hilarion. Alexandriam studiorum causa missus, incredibili quidem morum, & ingenij laude floret. Ibi Religioni propensus Iesu Christi Religione suscepta, fide, & Charitate plenus, ætate crescens supra modum proficit, frequens in Ecclesia, assiduus in ieiunio, sola orationis vnica virtute, omnes voluptatum illecebras, atq; terrenarum rerum cupiditates vincit, contemnit; Non Circi furoribus, non arenæ sanguine, non Theatri luxuria delectatur, sed tota illi voluntas ab Infidelium Aede, ad fidelium Ecclesiæ Dei Congregationem erat.

Patria. Studia. Propēsio. Deuotio.

Ad D. Antonii migrat.

2. Singulari D. Antonij fama allectus Aegyptum se transfert, & eius videndi studio in solitudinem contendit, apud quem duobus tantum mensibus eruditionis gratia commanere datur. Annum agebat quintum decimū, quando cum

mo-

moribus mutauit habitum, & Eremitarum vsu Tunicam talarem griseam, Zonam, Ependyten .i. scapulare, quod ei donauit Antonius, & pallium cum baculo induit. Aduertunt nostri Hilarionem, nec probationem, nec professionem ad Eremiticæ vitæ cultum sub D. Antonij disciplina emisisse, cùm duorum mensium spatio, tantum contubernalis apud ipsum conuixerit. Quibus expletis duobus Monachis Eremitis obtentis, in Patriam conuolat generoso actus spiritu (prænotant nostri) vt in reparandis veterum Eremitarum Palestinæ Cellulis, vbiq; locorum infidelium prędationibus dissipatis illi auxilio essent. Anno enim Domini 136. Aelio Adriano imperante, totum Iudæorum Regnum penitus profligatum fuerat, quo cruento, crudeliq; bello adhuc Iudæi lachrymas fundunt. Ille inquàm alto voluebat animo; dissipata nostra Cænobia, & destituta nostra Monasteria in Deiparæ Virginis honorem reparare. Iàm sexaginta sex supra centenos annos Eremitę nostri Patres incerta sede vagantes, in Cauernis, & antris delitescentes, vni Deo, ad Animæ solatium decantabant. QVONIAM IN ÆTERNVM MISERICORDIA EIVS. Quare D. Hieronymus hac ductus ratione, Hilarionem nostrum Monachorum in Palestina primęuum Instauratorē, speciosissimo Elogio vocat.

Induit Eremit. habitum.

Post duos menses discedit ab Anto.

A duob. associatur Monachis

Aelij Adriani Imp. crudelitas.

Lōga nostrarum persecutio.

Hilarion primus Monachorum reparator.

3. Iam vita functos Parentes in Patria humatos inuenit. Igitur Expeditioris vitæ gratia hæreditarias facultates suas liberalissima manu pauperibus pro Christo erogat, & in vastam Maumæ lætus se recipit solitudinem. Nostri cōstanter asserunt, hoc eodem loco primæuam nostri Instituti in terra sancta post bellica mala, cæpisse reparationem. Hunc insuper illius habitum ex D. Hieronymo multi fuisse testantur. Saccum primò, & pelliceum Ependyten, sagumq; rusticum, his contentus nuda tegebat. In Sylua, Saccum pro subucula, sagū pro Tunica, Ependyten ad scapulas erat. Zona quoq; pellicea, Meloten postea, seu superhumerale additum est more nostrorum in pænitentiæ signum, vna cum Pallio, & baculo. Ità Vltraiectinus in adnotationibus ad vitam S. Hilarionis, & Scholia Mariani Vict. Reat. Qualis verò in horrido specu Sancti viri Cibus, aperit idem D. Hiero-

Diuitias abrenunciat.

Solitudinem ingreditur.

Vestium veterum patrū vs.

Cibus qualis.

ronymus. Nam quindecim tantum Caricas post solis occasum comedebat. Hæc frugalis, & opipera reparati Carmeli mensa sub reparatore Hilarione.

Tentationes quomodo vincendæ.

4. At miræ noui Claustralis Sanctitati Dæmon inuidet; libidinum .n. facibus Castos eius torret lumbos. Hic iratus sibi pugnis nudum tundit pectus, & inter lachrymas vociferatur, Ego te Aselle infrænabo, non Ordeo, sed Paleis occurram tibi. Ideò post triduum deficientem animam herbarum succo, & paucis Caricis recreat, orat, Psallit, humum rastro fodit, & fiscellas iunco texens, corpusculum attenuat & Aegyptiorum Monachorum disciplinam generoso æmulatur spiritu.

Noua tentatio victa p nomen Iesum.

5. Dum semel Elianus ille Eliæ currum secum altè meditaretur, ecce Currum alium feruentibus equis super se irruere videt, Panico consternitur terrore; Iesum inclamat, & omnia cernit repentè euanuisse.

Cœnobiũ erigit.

6. Cùm verò Cœnobium in nemorosa illa solitudine, piorum Eleemosynis, Eremitis Monachis consulens erigeret satis idoneum, breuem quoque sibi cellulam latitudine quadripedalem altitudine verò quinque pedalem cõstrui iubet. Vnde viuens ille, in viuorum Sepulchro patientiæ fortitudine videbatur mortuus. Cæsariem promissam semel in anno tondet. Saccum nunquam quo se tegebat ille, Anima purus lauat, Superfluum asserens mundicitiam in Cilicio quærere. Dum iterum vniformem Orandi modum per omnes Palestinæ Eremitarum nostrorum Ecclesias asiduè diligenterq; docet, tantæ fuit in docendo sobrietatis, quãta in suorum corda animando fulsit sanctitate; Negabat tamen quemquam Eremitarum à præscripto Regulæ vel ab Essenis vel à B. Marcho, vt alij tradunt eo quidem tempore, nec lato vngue discedere. Paleonidorus lib. 2. cap. 2. Historia Alexandrina lib. de Institutione Monachorum & Sigibertus in supplemento.

Cellula Hilar. breuis.

Capillaturæ, & vestium ornatus despectus.

Diligẽtia spiritualis qualis.

Regulæ obseruantia.

Solitudinis vtilitas.

7. Iam Cellulam innuimus ab Eremitarum mansionibus certo interuallo disiunctam retinuisse, ne quotidiana familiarium exercitia & asiduus in solitudine Fratrum concursus illi impedimento essent. At manifesti Latrones ad solitarium

rium patrem obscuræ noctis silentio occultè veniunt, vt nihil habenti aliquid suffurentur, à Vespere ad vsq; solis ortum huc, illucq; discurrũt, nec eis Eremitæ Sancti Cellulam quam cum celliota celabat Deus, inuenire vnquàm permittitur. Manè ab eisdem inuento petunt. Quid si latrones ipsum adorirentur? Quibus, Nudus latrones non timet; At illi certè occidi potest; Possum, possum Sanctus repetebat Pater, & ideò latrones non timeo; quoniam pro Domino Iesu mori paratus sum. Mirati ad melioris vitę frugem se traduxerunt Scelesti illi.

Latronũ quorũdã confusio.

Latronũ conuersio.

8. Interim ab Incolis Carmeli Montis, & reparatæ nostrę Societatis Confratribus, vrbiũ vicinia aceruatim replentibus, à viris quoq; & mulieribus diuersorum locorum benefitij gratia, singulis quidem horis ad eum aduẽtantibus, Hilarionis nomen singulari quodam modo pronunciabatur, & fama diuulgabatur. Hinc sterilis quædam mulier orante ipso fœcundatur: Hinc tres Aristinetæ Elpidij filios à B. Antonio reuertentis, Gazæ, miseranda grauatos infirmitate, & tandem vita functos, summo omnium stupore suscitat. Hinc Marnas Idolum, cui Templum Gazæ extructum, Serapio Alexandriæ simile, de quibus D. Hieronymus Epist. 7. ad Lætam. Hinc Gazẽses Populi per ipsum ad Christi fidem conuersi Idolum contundunt, & templum D. Virgini Mariæ festiue sacrant; Ex quo Gaza sub Constantino, à Constantia eius sorore, vt Eusebius in vita Constant. lib. 7. cap. 438. vel à Constantio filio, vt Baronio ex Sozomeno lib. 2. cap. 4. placet, in hac quidem conuersione appellata est. Verum quia sub Iuliano Apostata, iterum à fide deficit, etiam nunc in defectionis fnę pœna, vix ciuitatis ruinæ apparent: Hæ Aureæ D. Hilarionis famosæ tubæ.

Fama clarescit Hilarion.

Sterilis fecundatur.

Tres mortuos suscitat.

Idolũ & fanũ destruit.

Gazenses conuertit.

Templũ dicatur Mariæ.

Gaza ol. Cõstantia

Depopulata.

9. E Tuguriolo, & Cellulę limine adeò parum prodit Hilarion, vt D. Hieronymus Epist. 13. ad Paulinum scribat Beatus Hilarion cum Palestinus esset, & in Palestina viueret vno tantum die Hierosolymam vidit, ne contemnere loca Sancta propter viciniam, aut Domini loco diuidi, videretur. Nostri tamen addunt, in Carmeli montem aliquando se transtulisse, vbi filios Eremitas confirmabat, & monitis solabatur.

Cellæ solitudo.

In Carmelum profectio.

10 Certatim ad eũ de Syria, & Aegypto populi magni quidque confluebant, ità vt plures in Christũ credentes se Monachos profiterentur. D. Hieronymi verba apertè insinuant ante recentem nostrorum Monachorum reparationem, & dissipatę ab infidelibus nostræ consuetudinis redintegrationem; nulla sanè propter Imperatorũ bella, & gentilium Idololatriam erant tunc temporis in Palestina Monasteria. Funditus .n. euersa erant, nec quisquam Monachum ante Sanctum Hilarionem Cęnobiarcam in Syria nouerat; In Carmelo tamen, obseruant nostri, Eremitas Carmelitas nunquàm defecisse; tùm quia Aelius Adrianus Imperatorum crudelissimus, & si Iudęos ferè omnes inexorabili gladio occiderat, & omnia nostræ redemptionis loca, innumeraq; nostra Monasteria solo equauerat, sub anno 135. & Paleonidoro teste, omnes nostros Eremitas per Vrbes, & oppida dispersos martyrio deleuerat; Nihilominus cum accepisset à suis, Vespasianum victoriam affectantem, super Carmeli Aram per Basilidem virum Sanctum iussisset litare, Teste Suetonio in Vespas. & Cornelio Tacito 2. Histor. suis quidem copijs armatis Sanctum Carmeli verticem tangere nõ est ausus; Tum quia Virgo Benedicta Carmeli Domina sua protectione, & inimicos terrebat, vti Cherubim ad Paradisi viam, & suos filios fortes, per omnia sua virginea Potestate reddebat. Quare cum per quinquaginta supra centennos annos Palestina, & tota Syria infidelium Imperio, & gentilium Tyranide occupata fuisset, optimo quidem Iure D. Hieronymus asserit nulla tunc temporis extasse Monachorum Monasteria in Palestina, quia longè antè desolata, nec quempiam Monachũ à deperdita nostrorum Patrum cohabitatione, antè ipsum in Syria vidisse, qui Monasterio contineretur; vnde ipsum Hilarionem nostrorum Cænobiorum fundatorem ipsum nostræ reparatę conuersationis Præceptorem, ipsum deniq; studij nostræ sacræ Philophiæ; in tota illa Prouincia restitutorem dicit. Eleganter subdens, Quemadmodum Dominus Iesus in Aegypto senem Antonium, ita in Palestina iuuenem Hilarionem plurimorum Eremitarum Monachorum eruditorem, & magistrum habebat.

D. Hieronym declaratus.

Carmelitæ ab infidelibus fugati.

Carmelitæ olim è Carmelo nũquam deturbati.

Infideles per ann. 150. tyrãnidem exercent.

D. Hierõ. interpretatus.

Hilarion Carmelitarum reparator.

11. Cre-

11. Creuerat in amplum nostrorũ sub Hilarione numerus, adeo vt nulla esset in Palestina Syriæ Ciuitas, nullus vicus, quibus nostri Eremitæ Monachi non restituerentur. Illud insigne quod Cæcam ad decennium offerrentes mulierem Sancto Hilarioni fratres sputo statim sanasset. Nec de Auriga Gazensi à Dæmone omittam obsesso, qui sola fide credens; in Iesum Christum sanatur. Idem de Marssita iuuene fortissimo à Diabolo agitato, & precibus Fratrũ (hoc nomine sæpius vtitur D. Hieronymus) à S. Hilarione liberato. Orion vir quoq; fuit, legionem Demonum habens qui & ipse Fratribus nostris interpellantibus liberatus prodit, postea grati animi ergo dona mittens negauit acceptare Pater, exemplo Giezi Elisei Carmelitæ discipuli adducto. Hic consultò mitto Zananum Italicum Paralitycum insignem equorum Domitorem; Virginem Gazensem maleficio vexatam, aliosq; sexcẽtos, qui sancti Viri Hilarionis beneficio salutem animæ, & corporis passim obtinuere. Ex quo ne dum Palestini, Aegyptij, & Syrij, sed & Saxones, & Alemani, & Franci, alijq; diuersarum Prouinciarum ad ipsum diuertebant; fama perciti, Hilarionem Monachum, & Eremitarum Carmeli montis Restitutorem, ac Restauratorem inquirentes.

Carmelitæ restituti per Hilarionē.

Cæca mulier sanatur.

A Dæmone auriga liberatur.

Alius.

Alius.

Dona refutat.

12. At nedum homines, sed & Bruta quoq; quotidie ad eum dæmonibus furentia pertrahebantur. Illud præclarum de Bactriaco Camelo ità furente, vt iàm multos obtriuerat, nec tamen illius frænum placatus horruit.

Populorum concursus ad Hilar.

In Brutis mira.

13. Arctissima intercesserat consuetudo inter ipsum, & D. Antonium, qua Nostri asseuerare non dubitant, Hilarionem de cuiusq; Monasterij fundatione, ac reparatione per litteras statim ipsum certiorem reddidisse, à quo vicissim congratulatorias recipiebat Epistolas. Hinc cum ad Antonium de Syriæ partibus languentes accessissent dolebat, Cur tandiù inquiens vexari voluistis, cũ filium meum apud vos habeatis Hilarionem? Filium inquàm B. Antonius, Hilarionem appellat: primò, quia ipsum tanquam Pater Christo Baptismali renatum peperit vnda. Secundò, quoniam vberum Euangelicarum lacte duorum mensium

Amicitia Hilar. & Antonij.

Hilar. ab Ant. laudatur.

Hilarion quomodo Ant. filius.

spatio laborauerat. Tertiò, quoniam tamquam filium ad excollendam vineam obedientem reperit; vnde & ipse Antonius Monasticæ vitæ didicerat culturam.

14. Notatu dignum censeo, quod D. Hieronymus subdit videlicet exēplo Hilarionis per totam Palestinam innumera refloruisse Monasteria, cùm certatim ad eum omnes concurrerent Monachi Eremitæ. At quomodo, oro, tam breui annorũ curriculo reparasset Monasteria, instaurasset Cœnobia fundasset Eremos noster Hilarion, nisi studio & opera nostrorum Eremitarum? Qui vbi principium tyrannide antea dispersũ per Syriæ partes vagabant, per Hilarionem iterum cōgregati facilè fuit dirupta citò reparare Monasteria, citò fundare Cœnobia, & leges condere illis.

Hilar. in reparat. Monast. adiuuatur à nostris.

15. Rebus igitur Deo iuuante tādem compositis atq; religiosè dispositis, Carmeli Institutum admirabile in oculis omnium esse incipit. Statis diebus D. Hilarion parum ante vendemiam, Sacra Monachorum Eremitarum Cœnobia singulis annis lustrat Monasteriaq; circumeit, & in socios interdum bis mille homines habet. Is nedum verbis, & cohortationibus primæuos illos nostros restitutos Patres adhortabatur in Palestina Cænobiarcas; Verùm in annua illa visitatione omnes tùm in capite, tùm in membris Spiritu Charitatis inuisebat; Cur autem vindemiarum tempore suam adseruaret visitationē, hanc putamus posse ęquè reddi rationem, quia calores itinerantibus remissiores, & terræ mensa iam pabulum vbiq; locorum paratur.

Hilar. visitat Monasteria.

Cur vindemiæ tēpore.

16. Adnotat D. Hieronymus nullum fratrem, & si loco humilem, & si fortunis pauperem sua vnquam preterijsse visitatione, illud indicio esse. Nàm in desertum Cades ad solitarium Anachoretam secedit nec maxima itineris longitudine perterritus; immo vt illi prestò esset ingentem multitudinem Monachorum illum sequi permittit ad erigendum, fundandumuè in solitudine illa Monasterium, & ædificatum benediceret, atq; cum solitario illius loci viro sancto verba salutis haberet, quod adeò fęlici succedit euentu, vt nedum totũ populum obuium haberet, qui die illius aduentus solemnia veneris anniuersaria recolebat; sed Sancti-

Hilar. Pater indifferens.

Cœnobiũ in Cades visitat.

tatis

tatis fama, omnes Venere prætermissa, omnes illum audire loquenté,& arreptitios, infirmosq; cecidere leuantem concurrebant summo acti desiderio. Hæc autem tanta præstitit fælicitate, vt omnes illi in via voce Syra, Barech .i. Benedic, inclamant. Negant quidam illum amplius discedere, & flentes rogant manere, promittit se ad eos sæpius venturum (en mira Domini gratia) vix illum abire patiuntur, quod futuræ Ecclesiæ protractas videat lineas; cum in eodem loco Monachos Eremitas cõstituerit, qui Concionib. & Altari seruientes Catholicam Ecclesiam mirificè propagare cæperunt, & paulò post è cõtra veneris Templum, Mariæ Virgini solemni ritu consecratum vidit.

Maxime apparatu, accepta-tur.

Infideles conuertit.

Templū dicat Virgini.

17. Hic D. Hieronymus appropinquãte visitationis tempore, inquit, apud quos manere quosq; in via visitare contigerit, litteris præmonebat. Prior vnus auaritia tactus vix audit D. Hilarionem ferè ter mille fratribus associari, Custodes in vineam mittit, qui lapidibus, & glebarum ictu, fundæq; vertigine, accedentes deterrebant: ità vuis incibati transeunt; Aduertit Hilarion, & ad liberaliorem accedit, Sabas nomine, hic hilari vultu omnes amplexatus, terminatis Canonicis horis, factoq; peracto ad vineam Monachi hospites accurrunt, & comedunt ad facietatem. Discedit Monachali turba sceptus Hilarion, & benedicit Vineæ. Hæc autem vbi prius centum vinorum lagenis exuberabat, post dies viginti trecentis exundauit: Auarus verò parum vuarum colligit, & vinum aceto mutatum cognoscit. At serò dolet; Hæc Senex Sanctus Hilarion prædixerat.

Hila mos in visitatione.

Quidam auaritia punitur.

18. Socius valdè carus Hilarioni nomine Esychius non ille Opariẽsis Episcopus Antonio fauens Episcopo, de quo Heribertus Rosueydus Vltraiectinus in notis ad vitas Patrũ, sed illum asserunt nostri, de quo Sozomenus lib. 3. cap. 3. & lib. 6. cap. 32. & Nicephorus lib. 11. cap. 39. Hoc sancto Viro inquã Hilarion vehementer delectabatur, ex prioribus .n. fuit, qui è Carmelo descendens illi immobiliter adhæsere suorum præceptorum diligens obseruator; cum Sanctus autem hac polleret virtute vt corporum vestiũq; & earum rerũ, quas quis tetigerat ex odore, cui Dæmoni, ac vitio

Esychius carus Hilarioni.

Esychius quis esset.

Virtus mira in olfa. Hilar.

tio subiacet, dignosceret; de Fratribus quidam abdita pro- uidebat pecuniam, & ei herbam de hortulo suo obtulit. Vix illa, mensa per Esichium apponitur, exclamat senex nimio vexari fætore; vnde esset Esichius rogat, ex herba inquit, & illicò; En auaritiæ fætor, apponite illam brutis.

Hilarion, lachrymæ super diuitijs.

19. Iam sexagesimum agebat annum, & grandia Mona- steria fratrumq; multitudinem cernens in fletum erumpit; & cum incredibili teneretur præteritæ conuersationis desi- derio Eremitarum illorum, qui initio in Carmelo restituto tàm sanctè secum agebant, iterum deflet; percunctantibus respondit; Rursum ad seculum redij; heu mercedē rece pi; en omnis Palestina, & cōterminę Prouinciæ me clara stirpe ortum existimantes, Monasteriorum prætextu, villas, Posse- ssiones, & supellectilem habeo: luget ad biennium; & tan- dem obitum D. Antonij præuidens, Aristenetæ fęminæ de- uotissimæ prædicit.

De Carmeli solitudine cogitat.

20. Regularis disciplina acriter retenta, gloriam, & ho- norem Hilarioni peperit, adeò vt nedum Monachorum no- strorum agmina, sed matronarum, & omnium ordinū Pro- ceres ad eum turmatim, certatimq; confluerent. quare de discessu cogitat, & in cælestem Carmeli solitudinem suspi- rat. Verum præpeditus adire nequit; & subinde vicinum Palestinæ exitium Iuliano Imperante prædicit; & ita succes- sit: etenim hic aliquot post dies dira persecutione omnes Christi fideles insecutus est: Gazenses verò Arianorum par- tes tuentur in honoremq; falsam gentium religionem ha- bent. Vnde magna ira, & crudeli impetu in Sanctum Pa- trem commouentur: Fugit Oasim, & nostrum Monasterium præcipites, illi funditus euertunt; Gazæ Basilicas igne con- cremant, & Monachorum nostrorum alios supplicijs affi- ciunt, alios fugant; Hilarionem verò, & Esychium extremo supplicio damnatos per omnia loca conquirunt, at quos Deus absconderat frustra perquirunt. Carmelum, & alia nostra Cœnobia licet malis oppressa, non tamen Virgine benedicta protegente euersa fuere. Sophronium Hierony- mi Interpretem, Metraphrastem referente Vltraiectinio su- pra. Sozom. lib. 5. cap. 9. Nazianz. orat. 3. Theodore- tum lib. 3. & alios percurre.

Hilarion prophetat.

Iuliani apostatæ crudelitas

Gazensū Apostasia

Hilarion damnatur exilio.

Carmelus illæsus.

21. Di-

21. Discedit tandem sublatis, Deo duce, impedimentis agmine prosequentium associante Betheliam venit, vicus erat Gazentium refertus populo, in quo vetusta Templa, & ædificia pulcherima, atq; Eremitarū Monasteria nostri Instituti aderant. Hinc Sozom. lib. 6. cap. 32. de discipulis D. Hilarionis inquit, Circa Betheliam vicum in Nomo Gazensi vitam traduxere Monasticam, & lib. 5. cap. 14. ait: Primi Christiani effecti in Bethelia pago ditioni Gazensiū subiecto; Pantheon hic erat in Arce locatum. Moratur ergò Bethelię quatuor dies, vbi persuasis turbis, vt reuerterētur quadraginta deligit nostros Monachos cum cibarijs. quinto quoque die Pelusium Aegypti vrbem ad fluminis ora petit; Hic .n. aliud aderat Eremiticum nostri Instituti Monasterium, visitatis fratribus in vicina eremo, & in Lychno circa Pelusium, triduo solus pergit. Theabatum vbi erat Monasterium inferioris Aegypti inter Pelusium, & Babilonem venit ad Philonem Episcopum, & Confessorem. Constantius .n. Rex Arianorum faciens hæresibus vtrūq; in ea loca deportauerat; Sic ad oppidum Ephroditon transfert & Bacasanem Diasonum, & totam D. Antonij eremum maximis lacrymis, maximisq; suspirijs peragrat. In hac Egyptiaca profectione plures nostros fratres, & Sāctos Dei Confessores atq; Episcopos per omnia loca consalutat; Si anno ergo Christi 358. ex Baronio, secutus est D. Antonij obitus, visitatio item Hilarionis secuta est anno Christi 359.

Hilar. discessus Bethelam versus.
Gazensiū Cænobia.
Pelusium petit.
Hilar. itineratio.
Philonē Episcopū salutat.
Eremum D. Antonij visitat.
Annus peregrinationis.

22. Incertus Auctor vitæ Athanasij apud Heribertum Rosuneydum Vltraiectinum in vita S. Hilarionis, Nota 59. varios Episcopos exulatos adhuc viuentes, ab eo visitatos cùm Dracontio, & Philone commemorat, videlicet ex Aegypto, & Lybia expulerunt, Ammonium, Moim, Carum, Philonem, Hermem, Plenium, Psenosphirim, Linamonem, Agathonem, Agamphum, Marcum, alterum Ammonium & Marcum, Dracontium, Adolphum, Agathenodorum. Hi omnes erant Monachi, reliqui Presbyteri, Hieraces, & Dioscorus, & tàm acerbè eos expulerunt, vt quidam eorum in itinere, quidam verò in ipsa expulsione sint mortui. Vide Apo-

Episcopos exulatos visitat.

Apologiam Athanasij de fuga sua, Itèm metaphrastem de Vita Athanasij, Socratem lib. 2. cap. 22. loca autem in quibus relegati fuere, habes apud Athanasium in Epistola ad solitariam vitam agentes, & apud vltraiectinum supra. Non habemus vtrum B. Antonij sepulcrum viderit, negabant. n. Monachi fratres humatum eius corpus indicare, ne ab eis furaretur.

Nequit vide. e Antonij sepulch.

23. Hic D. Hieronymus pluuiæ miraculum ex siccitate terræ orationibus impetractum inserit, & de venenatis animalibus inter arenas pluuia ebulientibus, precibus dissipatis. Alexandria discedit, & Oasim Eremum transijt, vt in Bruchio apud notos quosdam fratres hospitaretur, quibus gratissimus, sed diù noluit apud illos morari præuidit. n. ab Imperatoris lictoribus citò insequi, vt cum Esychio ipse morti daretur eodem fermè tempore, Adrianus Eremita noster è Carmelo missus, aiunt nostri superuenit, Iulianum occisum, & Christianum Imperatorem regnare nuntians. Verùm clàm discedit, & cum senè Zanano, Nauim quæ Siciliam nauigat conscendit, pro Naulo Euangeliorum codicem optimis scriptum characteribus tradẽdum putat. interim Nautæ filius Adria uomine arreptitius misere eaclamat & à Sancto Hilarione liberatur.

Miraculū de animalibus, & pluuia.

Iter prosequitur.

Ab Imp. lictoribus quęratur.

Iulianus Imp. occisus.

Mare ingreditur Siciliam versus.

24. Ad Paschinum inde Sicilię mõtem cum peruenissent, ne ab Oriẽtalibus Mercatoribus facie teneretur, mediterranea perquirit loca, & vigesimo à mari milliario in deserto, quod dicitur Agello lignorum quotidiè fascem colligans, dorso discipuli imponit, quo in proximam Villa venundato alimoniam sibi parat. At hic neq; latere potest; ab Arreptitio homine qui statim liberatus est, manifestatur, quo miraculo turmatim ad eum prodeunt populi, & multi ab eo nostræ religionis habitum sumebant; Vnde nostri constanter ab hoc quidem tempore Carmeli semina in Sicilia disseminata fuisse asserunt; quæ quantum postea Virgine Maria iuuante sucreuerint adhuc in oculis omnium viget.

In Siciliā peruenit.

Desertum petit. Vctū labore parat.

Ordo noster in Sicilia.

25. Dùm autem in Sicilia hæc habebantur, Esychius carus Hilarionis discipulus toto senem orbe perquerit, littora lustrat, deserta penetrat, hac viuit fiducia Hilarionem dici

Esychius Hilarionẽ quærit.

diu latere non posse; Transacto itaq; triennio, Methonæ quæ vrbs est Messania in Peloponensi à Iudeo quodam intellexit Christianorum Prophetam (hoc est) de filijs Prophetarum qui in Carmelo morabantur in Sicilia magna omnium Ordinum admiratione apparuisse, quem habitus, incessus mores, & lingua quis esset aperiebant, de quibus diligenter sciscitatus Esychius cognoscit Hilarionem esse. Mare ingressus prospero Cursu Pachinum venit, de Hilarione percunctatur, & communi omnium voce accipit vbi moratur. Mirandus in multis erat Hilarion, sed potissimum in munerum relectione.

Esychius nuntium accipit de Hilar.

Hilar. munera refutat

26. Accedit tandem ad Magistrum Esychius, & ad eius prouolutus genua, lachrymis plantas irrigat; tandem sublcuatus, suis recreat allocutionibus; At paulò post de discessu cogitat, & ad Epidaurum Dalmatiæ oppidum procedit, vbi, & Draconem miræ magnitudinis Boas vocatum, igne concremat, Mareq; supramodum furens, signata cruce arena frenat, Populi ad eum confluunt, quos ipse humilitatis gratia fugiebat. Cyprum sedata tempestate, pergit, & Paphum ingressus energumeni omnes conclamāt Hilarionem aduētasse omnibus manifestatur, ipse autem de fuga secum semper cogitat.

Esychius visitat Hilar.

Discedit Hilarion.

Miracula Hilarion.

Cyprum pergit.

28. Verno aduentante tempore per litteras Esychio deferente, nostris nedum in Carmelo, sed & per omnem Palestinam, & Syriam commorantibus, in Domino salutem mittit, & de illius felici in Cyprū redditu certiores facit; Combustorum quoq; apud Gazensens Monasteriorum cineres, & ruinarum vestigia visitari iussit, vt secretò de illorum reædificatione penetret, nū in spem venire posset. Interim in supercilium asperrimi montis conscendit, vbi amenissimum reperit situm, solitudini, & animi quieti valdè accommodatum, sed Dæmonum clamoribus sæpissimè reboantem; At lætatur Antigostistas ibidem habere: ad quinquennium ibidem commoratur, Esychio sæpius illum ad animi recreationem, in extremo vitæ suæ tempore inuisente.

De aduētu suos monet.

Solitudinem quęrit, & inuenit.

Mira in hoc annorum spatio, mira sanè patrauit: sed cum Paralyticum sanitati donasset, notificatur nomē eius, quod

Mira in senectute.

 ægrè

ægrè tulit honores fugiens, silentium, & ignobilem vitam ducens.

Moriturus Epist. scribit.

28. Octuagenarius factus absente Esychio, quasi testamenti vice breuē manu propria scripsit Epistolam; suas ei commendās diuitias, Euangeliū scilicet, & tunicam saccineam, cucullam, & palliolum.

Paupertas Hilar.

29. Cupio hic Carmelli Cultorem aduertere vetustum Patrum nostrorum habitum (vt supra dixi) Saccum Cilicinum tegens nuda pro subuccula, Tunicam griseam desuper ad talos pertingentem, Zonam pelliceam, cucullam, vel scapulare, & Palliolum albi coloris illis olim fuisse. Ideò ne fallare inquit Vltraiectinus, vt existimes Hilarioni, eo quod legas quædam in sepultura ipsius reseruasse, vel festorū, vel munditiæ causa duplicia fuisse vestimenta. Non fuere. Supra nunquam vestem mutasse constat, nisi priore pœnitus conscissa, quæ autem nunc commendat, recens ipsi ceserat ex morte ministri. Addo ne forte per fratrum manus defferentur, ambitionis ergo. Venerant ad egrotantem senem de Papho multi nostri Religiosi viri, quibus ideò iussit in Domino, efflata anima eius statim in eodem Hortulo condi corpus sicut indutum erat.

Nota pro paupertate.

Moriturus visitatur à nostris.

Extrema Hilar. verba.

30. Iam modicus calor tepebat in corpore, & æger senex apertis oculis secum loquebatur. Egredere quid times? egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis seruisti Christo, & mortem times? in hæc verba, Ecclesiæ sacramentis munitus, exhalauit spiritum Sanctus Pater noster Hilarion, nostri Instituti in Palestina, & Syria indefessus reparator, & restitutor. Peruolat sancti Viri mortui lachrymata fama, qua audita in Palestina Esychius statim ad Cyprum pergit, & simulans se in eodem loco ad Custodiā permanere velle: post decimum quidem mensem corpus eius furatus est, & Maiumam deferens, quæ est Emporium, & Gazæ Portus, olim Constantia à Constantio Constantini filio appellata, Ciuitas maritima quæ liberata à Gazorū Idolatrorum subiectione à Constantino per Iulianum Apostatā, iterum subiecta Gazeis facta, in hac quidem Hilarion primus noster reparator humatus est, vt quemadmodum in ipsa

Hilarionis mors preciosa.

Hilarionis corpus furatum.

Maiumā defertur.

Maritima quæ ciuitas

pri-

primùm condidit nostræ reparationis Monasterium ità primus noster reparator conditus adseruaretur. Totus Monachorum chorus adest, & oppidorum turbis subsequentibus in vetusto Monasterio conditur, illęsa tunica, cuculla, & pallio, & toto corpore quasi adhuc viueret integro; tantisq; fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putaretur. Apparatus funeralis.

31. Certant vsq; hodie, subdit D. Hieronymus, Palestini, & Cyprij Viri, Illi corpus Hilarionis, isti Spiritum se habere iactitantes, & tamen in vtrisq; locis magna quotidie signa fiunt, sed magis in Hortulo Cypri, ea fortasis ratione quia plus illum locum viuens dilexerat. De Hilarionis corpore digladiatio.

Hic lubuit Sanctiss. restauratoris, & nostri Instituti reparatoris annorum seriem quasi illius vitæ Synopsim texere, ex his, quæ hactenus in notis Vltraiectini habita sunt. Synopsis vitę S. Hilarionis.

Anno Domini 292. nascitur Hilarion Gazæ.

A. 307. Sextodecimo ætatis suæ incepto ordinē nostrum Eremiticum reparare cæpit.

A. 312. Incipit viuere tenuiter, durat tribus annis cum lente cocta.

A. 315. Pane sicco cum sale victitat durat tribus annis completis.

A. 318. Herbis vtitur ad cibum, durat tribus annis completis.

A. 321. Sex vncias panis recipit, durat annis quinque, deinde oleum addit cibis, durat 28. annis.

A. 354. Pane abstinet, durat annis decem, & octo.

A. 372. Tandem gloriosè Carmelo restituto in Cypro moritur, & in Palestina ad Patrium solum apponitur.



ÆTERNITATI. MARMOR ÆTERNABILIS, è Grecorum Monumentis.

Per D. Aubertum Mireum Canon. Colon. & Bibliothecarum Latinitati donatum.

Hilarion Thabathensis Palæstinus, natu Gentilis.
Alexandriæ Christum cognoscit.
Bimestris Antonij discipulus. Eremi cultor.
Essenorum dispersorum, in Carmelo Palæst. Reparator magnificus.
Quos item Gazæ, Bethelæ, Pelusij, Lychni mirè propagat.
Episcopos exulatos visitat.
Sub Aug. Imper. Consti & Const. Iulianum fugit.
Siciliam, Dalmatiam, & Cyprum peragratus.
Ieiunijs maceratus, senio moritur Sanctus.

A. CCCLXXII

NOTA.

DVm hæc scriberem in viridarium Ordinis nostri incidi à Ioanne Grossi Generali Magistro cõscriptum, in eius secūda parte, in albo sanctorum Ordinis nostri, alium reperi Hilarionem, sub hac nota. Decimus fuit S. Hilarion Martyr Prouincialis terrę sanctę, cuius corpus in Regno Cypri, in quodam Castro, seu oppido, quod à S. Hilarione nomine gaudet, in tumba solemni quiescit, sub custodia Regis Cypri, qui ipsius tumbæ claues fideliter possidet; & custodit. Hæc vtiq; ante Turcarum sæuissimā prædationē, ac depopulationē.



VITA
S. SERAPIONIS
EPISC. CARMELITAE

Ex ijs, quæ à D. Hieronymo, Eusebio, Ruffino, Nicephoro, Cassiano, Paleonidoro, Coria, & alijs.

Obijt an. 390. Colitur die 30. Octobris.

SANCTI Serapionis Episcopi Viri Religione, & eruditione clarissimi, celebrem vitam, è memorandis nostrarum antiquitatum sideribus, Spiritu Sacro dictante, quantū paruitati nostræ licuit compactam, ob oculos piorū virorum, Apellis more, spectandā apponimus, vt præclarum tandem nomen eius, è tenebris labentium rerum erutum, & vindicatum, qualis, & quantus Serapion noster, grata significatione, cunctis appareat. Is quidem alius à Serapione Episcopo Thumuœo, Alius à Serapione Syndonita, à Sindone, quo amiciebatur, de quo in Heraclydis Paradiso cap. 24. & in Hist. Lausiaca cap. 38. Alius quoq; à Serapione Monacho, & Martyre patria Ephesino, cuius meminit Niceph. lib. 5. cap. 30. Ordinis nostri Generalis anno 177. Alius demum à Serapione Diacono ex septem dormientibus, de quo Metaphrastes, & alijs hoc antiquato nomine insignitis. — Proponitur vita S. Serapionis. — Multi Serapionis nomine.

2. Sed inclytus noster, magnus est ille Serapion, qui postquā Theonas insignis ille Monachus, de quo Cassianus Collat. 21. cap. 1. Latinarum, Græcarumq; litterarum à iuuentute in sacra Carmeli montis Academia moderatorem non pœnitendum audiuit, teste Paleonid. lib. 2. cap. 6. Sozomeno — Noster qualis. — Discipulus Theonæ magni

no lib. 6. c. 28. Cassiod. lib. 8. c. 1. Ruff. lib. 2. c. 6. & Nicephor. lib. 11. cap. 34. (Alius à Theona Episcopo Arriano) in Aegyptiorum arenas descendens, Anachoretarum institutum amplexus, triginta annorum spatio, auditis silentium præstitit; quo quidem terminato, è venerandis illis latebris quasi vox clamãtis erupit, intonuit, quo latente diffuso clamore, puerulus Serapion excutitur, senem cuius erat vox conuenit, & apud ipsum eruditionis gratia commanere, fusis precibus, & lachrymis multis precatus est. Sene flexo in eius Puer remansit Cænobio.

Alius Theonas arrianus.

3. Dùm autẽ in Syluis tenellus ille Pusio in accessis montibus, scopulisq; præcinctus sanctè educaretur, & infrænes iuuenelis corporis motus, habenis pænitẽtię frænare studet, vt Sanctorum ciuis, & domesticus Dei per aspera illa, & rugosa loca euadat. Accepiã Seuero Sulpitio; dialogo 1. cap. 47. & Ioanne Cassi. Collat. 2. c. 11. ipsum inimico imminente, inuadenteq; sæpiusculè miserè cecidisse, etenim refectione, cum senè completa, hora quidem nona, vnum Paximatium, id paruus est panis, sex ferè vnciarum, notat Cassianus lib. 4. c. 14. diurna Aegyptijs Monachis ad vnius diei victum læta, vt in Annot. ad Cassian. quotidie latenter suo in sinu abscondit. Furtum, etsi quotidie ab eo commissum quotidiè tamen expleta concupiscentia, odio habet. Molestissimum cum sæpius iterasset opus, confundebatur seni patefacere, tandem diuino operante consilio, corde compunctus Serapion, lachrymis profusus tectum seni Patri vulnus aperit, Veniam petit, de se Triumphatore prostrato obtinet.

Magna Serapionis tentatio.

Præscitet, & victor euadit.

4. Aetate pubescit Serapion, sapientiæ spiritu grandescit Anachoretarum stupor; Palestinæ ora fama tenet, & Inter Orientales omnes plus honoris consecutus est nemo; Theona interim dierum, & operum pleno è viuis sublato, Deipara in luce monente, iuuenis Serapion Eremitarum Castris in Carmelo se iungere optimo iure decernit: Vt Priori Generali inter candidatos nostri instituti obedientiam, vti filius carissimus toto vitæ cursu fideliter præstet, & Sacra Regularium disciplinæ penetralia additum sibi ad animę salutem paret. Illicò oratione præmissa itineris consilium suscipit

Theona suo oritur

Serapionis iter in Carmelo.

suscipit. Consentit Paleonid. lib. 2. cap. 3. cum ait. Circa annos Domini 190. quem supputationis numerum ita restituendum putamus circa annos Domini 390. ne æquiuocatione capiamur, & à Baroniano calculo minimè discedamus. Clarus effulsit Serapion ille Sanctissimus, ex Eremita, & Anachoreta; Carmeliticæ Religionis octauus Episcopus Antiochenus.

Annus emēdatus.

Serap. Episc. 8. Antioch.

5. Aegipto superata, Palestinam tandem ingreditur, & incolas Carmeli Montis diu desideratos, præeunte Deo; felici gressu conuenit: Quibus religiosissimos animi sui sensus ad aperiens, Sacri Cœtus pectora in sui amorem, flexaq; in sui cooptatione præstò habet. Hujus tyrocinium consociorum animos captat, atq; Eremitarum omniū spiritum citò ebibit. Sapientiæ sede sibi vindicata, sacris paulò post ritè initiatus, sacris item Dapibus quotidie maximo animæ suę apparatu inter lachrymas, & Angelos semetipsum parat. Quibus specioso Sanctitatis nomine adepto, omnibus Eliæ ad instar, quasi ignis æstuat, & verbis quasi facula ardet. An humilitatis ope, an Orationis ardore, ab Eremiculis Miraculum passim appellaretur, non facilè dixerim.

Carmel. conuenit, & acceptatur.

Studium.

Sacerd.

Miraculū dicebatur.

6. Cum autem vir Dei Sanctus De Animarum salute, & speciali sui Ordinis dilatatione æstuaret, in Aegyptum, facta ei facultate, redijt, ab Arsenoitarum Monachis precibus lacessitus. Est autem Arsenoita Aegypti solitudo Nilo finitima ex Corographia Vltraiectini. In qua quidem nostræ Propaginis Eremitæ Monachi innumeri huc, atq; illuc per Cellulas dispersi, sub vno Patre conuiuebant. Narrat Ruffinus lib. 3. nu. 20. Serapionem Euangelium quod tantum possidebat vendidisse, vt esurientes Monachos cibo recrearet: Illud memoria dignum repetens; Verbum venundaui. Quod mihi, semper dicebat, vende quæ possides, & da Pauperibus.

In Aegyptum mittitur ad Arsenoitas.

Arsenoitæ quinā.

Euangelium vēdit, vt pascat.

7. Dum autem Arsinoe oppidum ad Nilum è regione habet eodem quoq; tempore, sanctum Eremitarum gregē obuiam sibi lætanter prodire, vidit. Gaudet in Domino; Gratias Mariæ Virgini refert. Monasticæ turbæ miscetur, ab Itinereq; refocillatus, vniuerso conspirante cœtu in Patrē suscici-

Obuiant ei Monachi.

Eliguntur in Patrē

Pater 10. millia Monachorũ.

ficitur sub eius disciplina, & mira sanctitatis norma, ita à Eremitarum numerus augetur, vt decem millium in Aegypto euadat Monachorum Pater. Paleonidon. lib. 4. cap. 6. à Sozomeno lib. 8. cap. 1. Ruffino Aquilerensi Italo lib. 2. cap. 18. sub anno 390. Palladio Galata Ruffino aequali. cap. 76. Addentes Serapionem tanta in pauperes charitate viguisse, & quidquid fratres proprijs adquirebant laboribus, pauperum alimentum esse volebat. Et quod pietatis, liberalitatisq; magnitudinem auget, in messis tẽpore aptos, atq; idoneos Monachos ad metendũ locabat, vt frumentum pecuniarum loco, pro labore accepto, pauperibus ipsis ad victum de more errogare posset. De huius frumentariae distributionis loco, non vnus scriptorũ modus, quidam Ioseph horrea caritatis tempore illo assignãt, quidam ex Palladio, loco citato, ad Mempheas Pyramides hanc factitatam fuisse distributionem.

Pietas in pauperes.

8. Hinc Maximino Antiochenae Ecclesiae ad Orientem Episcopo demortuo, quippè qui Nicephoro teste lib. 4. hist. Eccl. cap. 19. & lib. 6. cap. 10. vndecim annis illius Ecclesie gubernator magnificus extitit, omnium Ordinum virorum ac mulierum applausu sufficitur Episcopus octauus, ab Apostolis successor, eodem Niceph. lib. 4. cap. 27. testimonio, cuius Promotorem Athanasium virum Sanctum asserũt. Vnde Baronius Tom. 3. An. 328. referens quosdam Episcopos ab eodem Athanasio, ingruente Arij haeresi, & Meletiani Schismate ad Episcopale munus obeundum accersitos suae visitationis tempore, in Epistola ad Dracontium Monachũ, reluctantem fieri Episcopum post multa ait; Neq; enim tu solus ex Monachis es constitutus, Episcopus scilicet, neq; solus Monasterio profuisti, neq; solus à Monachis delectus es; Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum praefectum; Neq; à te ignoratur quot Monachorũ Pater fuerit Apollonius: Nosti Agathonem, &c. Quibus apparet Serapionem Monachum, ex nostris, nostrum Monachum; deinde Episcopum creatum fuisse. Non enim tunc temporis negari potest inquit Baron. supra, fuisse Monachismum, seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum,

Antioch. Episc. octau. creatur.

Athanasij testis Monachi. de Episcopatu Serap.

rorum,

porum ex quo Basilij, Gregorij, Grisostomi, & alij tam in Oriente quam in Occidente viri spectatissimi prodiere. In hoc quidem tam præclaro munere diù sanè cum laude præfuit, & adeò pręclarè, ac sanctè vixit, vt magni nomine sit potitus. Quare magnus Serapion passim vocatur apud scriptures. Niceph. lib. 9. Eccl. Hist. c. 14. teste.

Serapion dictus magnus.

9. Quid D. Hieronymus de script. Eccles. Tom. 1. dicat audiamus. Serapion Vndecimo Commodi Imperatoris anno Antiochię Episcopus ordinatus, Epistolam ad Carinum, & Pontium de hęresi Montani scripsit, in qua & hæc addit; Vt autem sciatis falsi huius dogmatis .i. nouæ prophetiæ, ab omni mundo insaniam reprobari, misi vobis Appollinaris beatissimi, qui fuit in Herapoli Asiæ Episcopus litteras. Ad Domnū quoq;, qui persecutionis tēpore ad Iudęos declinauerat, Volumen cōposuit; & alium de Euangelio, quod sub nomine Petri fertur, librum ad Rhosensem Ciliciæ Ecclesiam, quæ in in hæresim eius lectione diuerterat; Ex quo patet doctrina, & eruditione maxima repletum fuisse Serapionem nostrum, & quantum ineo fuit Montani superbiam acriter confregisse: quippèqui cum de Prophetarum numero se vendere niteretur, acuto quidem Calamo redarguit, & Montani, & Apellis, & Priscæ, & Maximillæ prophetissarum hæreses sapienter doctèq; confutauit. Prateolus de Cataphrigis, & Montanistis plura.

D. Hieronymi testimonium [de] Serap.

Serap. doctrina refertus.

10. Placet hic Eusebij referre verba; lib. 5. cap. 18. hist. Eccl. nam ad Carinum, siuè Coricum, & Pontium Epistolam mittens his fatur verbis; Vt verò istad intelligatis omnem in Christo fraternitatem, quæ per vniuersum terrarum Orbem diffusa est, ab hac noua, & peregrina prophetia tam falsis præstigijs reapsè abhorrere, litteras Claudij Appollinarij beatissimi qui Hierapoli Ciuitati Asiæ Episcopus præ fuit aduos misi. In hac Serapionis Epistola, extant diuersorum Episcoporum subscriptiones, quorum vnus sic ferè subscribit. Aurelius Cyrennius testis Christi, vobis salutē, & prosperam valetudinem opto. Alter, Aelius Publius Iulius ex debelto, Colonia Thraciæ Episcopus: Viuit Deus in Cœlis quod B. Sotas in Anchialo voluit Priscillæ dæmonē

Eusebij testimoniū ad idem.

eijcere, sed veteratorij illi Hippocritæ neutiquam permiserunt. Sunt etiam in ijsdem litteris aliorum Episcoporum subscriptiones sua ipsorum manu exarratæ, qui eidem sententiæ suffragati sunt. Petrus de Natal. in Cathal. Sant. mẽsis oct. c. 123. affirmat Serapionem etiam aduersus Manichæos egregium scripsisse volumen; de titulis Psalmorum aliud, Epistolas item ad diuersos, quæ vtinam ad nos omnia peruenissent, illas potissimum, quæ ad Eremitas Monachos Carmeli Montis.

Serapionis Epist.

11. Plenus demùm Sanctis operibus, & senio confectus gloriosè ad Cœlum euolauit.

Quo tẽpore moritur.

Floruit quidẽ Serapion sub Commodo Imperatore, at quãdo è vita migrauit, etsi dies certus 3. Cal. Nouembris vt in Breuiario ex diplomate Pauli V. P. M. Annus quidẽ incertus. Cum Baronio tamẽ anno circiter 390. ad Coelum euolasse Carmelitarum decus, & iubar, non abs re censemus.



V T

VITA S. EVFRASIAE VIRG. CARMELITAE

Ex his, quæ apud D. Hieronymum, Surium Villegam, Petrum Rabadineram, & Carmelitas omnes.

Moritur An. Domini 401. Colitur die 13. Martij.

1 T si inaudita mirificæ constantiæ S. Virginis Eufrasię nostri Instituti Acta, animo potius admirari, quam stylo collimari, liceat; fortissima tamen sacræ Virginis gesta silentio prætertire, nefas. Vincit muliebris gloria, omnes hominum laudes, viris virtutum lumen dando. Ordior hoc modo, splendidam relatu materiam.

2. Dùm in mortalium scena Theodosius Imperatorũ pijssimus Orientalibus, summa cum laude imperitabat, Antigonus vir nobilitatis genere clarus, sanguine Cęsari ipso cõiunctus, Bisantinorum Senatorum primarius, sincerus lyciæ Præsidens, cuius amplissimorum honorum fulgura credebantur inextinguibilia, vxorem cui nomen Eufrasiam, & sanguinis præstantia, & religione in primis Imperatori, & Eudoxiæ valdè caram duxit: Eis autem aurea nata est filia à materno itèm nomine Eufrasia, in Christianorum lauacro denominata. Huius ortu cumulatus lætitia Antigonus, vtriusq; familiæ sperabat ornamentum. Cùm autèm semel de humanarum rerũ fluxibilitate, ac perenni Cælorum duratione anxiè vxorẽ alloqueretur diuino tacti numine perpetuæ continentiæ voto sese vnanimes obstrinxerunt.

S. Eufras. Parentes, & Patria.

Parentes Eufrasiæ vouẽt Castitatem.

3. Annus decurrebat à voto, cùm Antigonus è vita ces-

Moritur Eufrasiæ Pater.

sit, æterno victurus æuo. Sauciatum domestico vulnere, dolet Bisantium, doletq; præ cæteris Cæsar, nec finit mœrēs amariorem orbatam viro Eufraxiam placidis solare verbis: Puella verò vix lustrum excedēs, Imperatorio suscipitur Patrocinio; & nimia adolescens pulchritudine, Senatorū primori, Arrha contracta, matrimonio, stato tempore coniungendam promittit: At cum expectanti dura essent, producta infantilis sponsæ connubia, filiæ loco viduatam Matrem matrimonio, sibi dari ætate florentem facilis amans rogat. Verum iteratis Hymæneis secundò accedere liberè negat, solicitatoribusq; repressis, secura vt euadat, Aegyptias partes penetrare decernit, vna cum Eufrasia filia; Hæreditarias opes elocat, ab Imperatore dimissa, pauperes quosq; vrgente pietate eleemosinis copiosè subleuat. Mediterraneum vento secundo ingreditur, & inferiorem Thebaidem deuotionis ergò petit.

Promittitur in matrim.

Eufrasia mater solicitatorē fugit.

Alexandriam petit cum filia.

Ad Carmmoniales accedit.

4. Alexandrinum vix Portum tenet, cum statim ad insigne quodam Sanctimonialium Virginum sacri nostri Instituti Monasterium à D. Cirillo Alexandrinæ Ecclesiæ præsule ad littus Nili situm Deipara Virgine iubente Anno circiter 399. & supra, a fundamentis erectum, se cum filia, nutritio, & alijs illicò transfert. Inibi 120. conuiuebant Virgines, quarum sanctitatis fragrantia, cùm domestici, tùm exterri aliciebantur omnes. Huius Cænobij S. Sara nobilissima Virgo, de Hierusalem à fundatione vocata, omniū prima Religionis vberibus filias lactauit. Alphonsus Villega: in Sara. Paleonid. lib. 2. cap. 7.

Austerit. Sācti monialium Carm.

4. Miram sacratum harum Virginum austeritatem D. Hieron. summis extollit laudibus, insignis enim in omnibus erat. Etenim quædā, (inquit Hieronymus) neque Poma, neq; ficcus, aut vuas edebant, quædam nec oleum degustare volebant, quædam leguminibus tantū, in vesperis recreabantur, pedum lotiones fugiebant; Lectulus cilicinus, latitudinis vnius cubiti, latitudinis verò trium, terræ hærens, erat eis. Vestes quoq; super Cilicium more Eremitarum deferebant. Laborabant omnes; Quæ infirmitate grauabantur, earum medicina erat oratio, medicum admitten-

tes.

tes coactæ; Monasterij septa egredi nefas, Ianitrix enim petentibus responsa dabat: vnde delitiæ omnes, nequitiç illis erant.

5. Admirandæ Virginum sanctitatis conuersatione allecta Eufrasia Mater, Monasterium cum filia frequētabat, vna cum maximo infirmorum concursu, qui sanitatis acquirendæ gratia, ad illas quotidiè recurrebant, & illarum orationibus sanitatem miraculosè adipiscebantur. Aurum ad pōdus librarum triginta, die quadam Priorissæ obtulit, quo recusato, eius loco oleum ac ceram, Thimiama quoq; addunt alij, pro missarum solemnijs, hilari vultu accepit, terrenas inquiens effugimus diuitias, vt Cælestibus tādem in Patria frueremur: Eufrasia verò Moniales supplex deprecabatur, vt pro defuncti Antigoni viri sui Anima, atq; septenna eius Puella, Deo preces effundere, dignarentur; cui stare nō denegauit promissis optima Priorissa. Eufrasia filia cum matre ad Monast.

6. Cumq; semel sacra Monasterij scepta Priorissæ permissu vtriq; Eufrasiæ ingredi, daretur, spiritualibus detinentur colloquijs. Aduesperascit, vrgēt moniales ad propria regredi; At puella discessum negat, compellit eam Mater, affirmat Priorissa nemini mulierum per noctare apud illas licere, nisi se Iesu Christo virginali dicauerit voto, hæc autem incunctanter Crucifixo amplexato, me, inquit, huic perpetuo deuoueo, sub huius Instituti viuendi norma. Recusat monialium Mater, eiq; Religionis onera, disciplinas, & vitæ austeritatem ob oculos ponit, nec consilium mutat, nec à proposito discedit, imò fortius persistit. Constat Parēti de excelso filiam vocari, subleuat in Cælum oculos, & dulciter collachrymans, in hac erūpit verba. Ah Domine qui Montibus firmitatem tribis, da filiæ meæ cordi stabilitatem, vt in hoc sancto proposito in finem vsq; vitæ perseueret. dein generoso Animi spiritu repleta, filiam Priorissç atq; reliquis Monialibus Domino canentibus præ gaudio dolens renunciauit, gemensq; sola discessit. Sequenti verò die oratione præmissa Beatissimæ Virg. Mariæ de Monte Carmelo, in Monasterio S. Mariæ Eremitarum Virginum à D. Cyrillo Alexandrino à fundamentis erecto Sacerdotali manu, de- Eufr. filia apud moniales manet. Eufrasia habitum induit Sāctimonialium mōtis Carm.

mo-

more habitum nostri Instituti humillimè sumpsit.

San&ctitas Eufrasiæ matris.

7. Eufrasia mater dulcissima orbata filia, asperrimum quidem vitę genus elegit, & Thebaida peragrata omnium vtriusq; sexus Monasteria, pia decurrit visitatione, Religiosisq; omnibus, cumulatis eleemosinis succurendo, se, filiam & demortuum virum enixè commendare, non cessat.

Eufr. mater moritur.

8. Paulò post Deus senioris Eufrasiæ merita bonis remuneraturus æternis Priorissæq; Moniali nocturna quadam visione Antigoni Animam, in Cælestem Patriam euectā fuisse, citoq; ad eandem Eufrasiæ matrem migraturam innuit. Nimio subinde affecta itinere in morbum incidit, & salus in discrimen addncitur. Cùm autem de eius vita prorsùs ageretur, omnes eius diuitias pauperibus erogandas, filiæ loco, Cænobio hæreditario iurè commisit. Dein bene prę cata, Ecclesiæq; Sacramentis munita, extremum tandē glo riose clausit diem, & in eiusdem Conuentus Templo maximo Sanctimonialium, & pauperum fletu, ritu solemni humatur.

Ad Imp. Theodosium Eufrasię monialis responsum.

9. Interim fama rerum mortalium prænuncia, ad Imperatoris Theòdosij Aulam, Enfrasiæ Antigoni obitum, religiosumq; filiæ statum celeri aduolans cursu defert. Doluit ille, condoluereq; alij. Statim litteris superstitem Eufrasiam præmonet Imperator, de contrahendo matrimonio, quid animo sentiat. Illicò de Priorissæ licentia responsum fecit, cuius hæc formula, Immortales primùm referens gratias, Iesu Christo Dei filio se desponsatā narrabat: Vnde humiliter rogatum augustissimum Imperatorem cupiebat, nuptijs coęlesti celebratis apparatu acquiescere, non dedignaretur; iubendo hominem caducum æterno cedere sponso, cuius amore saucia, millies mori, & vitam profundere, paratissima erat. Orabat insuper ob gratam Parentum memoriam, quas hæreditario iure possidebat diuitias Ecclesijs & pauperibus, ministrorū auctoritate erogare, Mancipiaq; suos libertati donare, creditoribusq; Patris sui plenè satisfacere pro sua magnanimitate, ac begninitate dignaretur; vt Deo, Deiparæq; Virgini Mariæ, tutius, pacatiusq; in seruire, valeret. Pijssimus Imperator publicè collaudata Virginis

Eufrasiæ renunciatio omniū bonorū.

nis

nis desponsatione, omnia pleno iure adimpleri, iussit.

10. Iam sanctimonialibus, duodenna facta Virgo Eufrasia, & vitæ sanctitate, & certaminum fortitudine admirationi esse cœpit. Etenim humilitatis virtute in primis valde fulgebat, sola Triclinia mundabat, sola sororum cubicula sternebat, sola coquinariam deferebat aquam: Hæc Virginis Eufrasiæ priora sanctitatis principia. Semel in vesperi, cibo se recreabat parcissimo; altera die arcto se macerabat ieiunio, Cilicioq; Corpus, quotidie præmebat hæc vnica Fœnix.

Eufr. humilitas.

11. Mos erat Monialium Priorissam de quacunq; consulere tentatione, ne spiritu destitutæ miserè caderent. Hinc nocturna diurnauè quædam terriculamenta, ac tentationes, quibus Eufrasia sæpius à Dæmone agitabatur, illi concredidit Virgo illusa, sed non delusa. Quare vt fortior in tentationibus euaderet, atq; patientiæ virtute, ac obedientiæ meritis roboraretur, lapides quosdam numero, & magnitudine grandes, loco transferēdos prudens Priorissa illi commisit; De precepto gaudet, & nullo implorato auxilio, lapides humilima proprijs trāsfert humeris, quos paulo post ad priorem locum iussa est reportare, addunt alij apud D. Hieronymum.

Tentatur, & liberatur per obedientiā.

12. Inclināte iā die nouo pulsatur præcepto, vt Pistrinæ ad instar, panem calido conderet furno, ad serotiuū Monialium victum parandum; quæ Christi Panem comedebat nō rennit, sed alacri animo, iussa obedientiæ gratia perficit, vigessimum agens annum.

Panē decoquit.

13. Dimissis laruarum, ac fantasmatum vmbraticis tentationibus, quibus acriter à Dæmonibus sæpissimè examinabatur; insigne illud refero. Humi capta somno, cubabat in Cellula Eufrasia Virgo, Satan spectri forma occurrit, vt iàm promissum crederet sponsum, quippè qui auxiliarijs valatus copijs, eam de Monasterij sceptis extrahere vi venerat. Iacet, & clamat. Priorissa, & reliquæ sanctimoniales expergiscūtur, accurrunt, & dormientem inueniunt Eufrasiam, excitant, vnde clamor? Vnde violentæ vocis anxietas diligenter peruestigant; quę rem ab exordio recitauit.

Tentatur à Dæmone.

14. Sæ-

Chorum semper adibat.

14. Sæpè Iuliæ, (hæc virgo Monialis est, cui valdè cara erat Eufrasia) dicebat; Quæcunq; mater mea Priorissa mandauerit mihi, ob amorem Iesu Christi, pro viribus explere conabor; Vnde mirum; quocunq; detenta negotio, nunquam à choro deficit. Passim item acri dæmonum pugna agitabatur, cui ad solatium Iulia, si iuuentute florentes, tentationum impetu frangimur, quomodo senio confectæ resistere valebimus? His experimur exercitationibus, vt seniores victoriam reportemus.

Ieiunio eijcit dæmonia.

15. Hinc ad pellendos Dęmones integram dare ieiunio petit ebdomodam, obtinet, & feliciter nullo recreatur cibo: At inuidię Seminarium Germanę consorori in eodem Conuentu longum fuit ieiunium, etenim non necessitate, sed ambitione ducta illam incusabat, reamq; dicebat peccati. Confusione rubet Eufrasia, & ad illius prouoluta pedes, gemens clamat, Ignoscat domina mea, & oret pro me. Recognita à Priorissa, Germanam pœnitentia 30. dierũ damnat, à qua precibus Eufrasię interpellantibus liberatur.

Inuidia ęmulatur.

16. At qui in inferni Puteo ardet, Putei aquis bellum parat Eufrasię. Properat ad hauriendam è Puteo aquam, en ipsam dat præcipitem Dæmon, capite imminet aquis, & funis adminiculo auxilium sibi parat. Clamat. Christe adiuua me; conuolant Moniales, occurrit Priorissa, & elatam aquis è Puteo educit. Educta, subridenti Diabolo dixit. Viuit Christus meus, ne de me victor euadas Diabole, hactenus vnica, deinceps duabus defaticabor lagenis, & præstitit.

Demergitur in puteum à dęmone.

17. Ræ infecta, iterum in Eufrasiæ patientiam irruit Hostis. Dùm enim ligna Monasterij necessitati cedendo parat, Diabolus manus eius contorquet, & securi in vna tibiarum sæuum incutit vulnus, cadit, clamat, & sanguis copiosè disfluit. Moniales pauidæ vna cum Iulia accurrunt, fascis medicamentisq; adhibitis, sanitati vt donet diligentèr curant. Næc detinetur quin fracta, frusta lignorum colligat superneq; defferat. Ira furit Diabolus, ascensum quodam intercludit impedimento, præceps ruit, & ex alto scalæ delabitur, ligneoq; cuspide altero oculorum in fixo, lumine orbata creditur, occurrẽti Iulie dixit, cautè mi soror cautè festucam

Secure plagatur instigante dæmone.

ſtucam extrahe, & oculo ſana ero. Quod ità eueniſſe cautum eſt.

18. Verum præſtantiora inſero, in ſublimiori Cœnobij ſolario, aſſociante Iulia deambulat Eufraſia, Deum inuicem collaudantes, en de admiranda illa altitudine, Dæmone impellente, deturbatur, ruens Ieſum inuocat, ſupinam decidit, & ſtatim è terra illæſa ſurgit; Cui Prioriſſa. Vade filia, Dominus tecum eſt. Deluſus referuet ira Dæmon, & ebullientem in faciem eius proijcit aquam, quæ illicò ammiſſo feruore, ſine læſione madefecit ipſam. Clauſtro à Dæmone deturbatur.

19. Ab his horridis, & triſtibus, ad ſereniora tranſeamus. Mos per vniuerſam Aegyptum inoleuit, vt noſtrarum Virginum Sanctitatis fama, infirmos quoſq;, & imbecilles infantes Parentes ſanitatis obtinendæ gratia paſſim adducerent, in pueros enim (illis ſpeciale erat) innumera ędebant miracula. Hinc mulier quędam, filium octennum, energumenum, paralyticum, mutum, & ſurdum pro ſanitate conſequenda adducit, eius curam, monente Angelo, Prioriſſa Eufraſię committit; ſuper quem miſerata, Crucis ſigno munit, dicens, qui te creauit ipſe te ſanet, & ſtatim, ò Dei Bonitatem, loquitur, audit, ſanatur, liberatur, & ſanum tradit Matri ſuæ. Concurſus infirmorum. Energumenum liberat.

20. Virgo quædam Energumena, in eodem degebat Cœnobio, ſanitatis gratia, hæc adeò infeſta ſororibus, vt ſeſe omnes eius ſocietate ſubducerent; Eufraſiæ mandat Prioriſſa, cibos illi præbere, obtemperat, & toto ſtupēte Cęnobio, manſuetudinis ſpiritu acta, ad eius procumbens pedes, humillima iacet. Germana, de qua ſupra, inuidia concitata, cibum energumenæ Eufraſiæ loco exhibere, cupiens; vix limen Cellulę tenet pedibus, vt in ipſam exiliat Energumena, veſtes conſcidit, proſternit, dentibusq; carnes eius ad ſanguinis effuſionem dilacerare, cæpit. Inclamat Germana, nec vlla ſanctimonialium terrore perculſę in eius occurſum procedit: Accurrit tamen Eufraſia, & eius attrita conſpectu, eiusq; perterrita Imperio, religioſiſſimè frenat; & citò orationibus eius à Dæmone liberatur. Virginē ſpiritibus agitatam ſanat.

21. Tempus eſt humilitatis quoque Eufraſię ſancta adi-

De Transitu Eufras. præmonetur Priorissa.

re penetralia; in orationib. sæpè pernoctabat; hebdomodarijs ieiunijs sæpissimè se macerabat, quando per somnium ostensus est Priorissæ vicinus Eufrasiæ transitus, quo amarulenti nuncio tristis angebatur animo. Monialibus cur tantum affligeretur interrogantibus? respondit, heu, Eufrasiæ commercio crastina die priuabimur; & factus est omnium eiulatus multus. Interim Eufrasia panem ad Monasterij victum calido condibat furno, assistente Iulia. Certiores factę de communi Monialium luctu, benignè verbis ipsam solare conabatur Iulia. Quæ cum alijs, absente Eufrasia, talia narrantem audiuit. Duos sub Aurora video iuuenes nostram quęritantes Eufrasiam maximo iubentes Imperio.

Visio mirabilis.

Duc ipsam ante Dominum; adduxi illam, & properantibus ostium adest, quod nobis vltrò apertum est, eius gloria verbis inexplicabilis; Palatium imméſe pulchritudinis, in quo nuptialis non manufacti Thalami aditus patet illis, qui clausus est mihi; ingrediuntur maxima cum lætitia, offertur Domino, & procidit ante pedes eius, illos reuerenter osculando, innumera Angelorum, ac Sanctorũ multitudo ordinatissimo adest congressu, in quo beatissima Virgo, sole fulgentior, immarcessibilis gloriæ coronæ Eufrasiam donauit, dicens ecce merces tua, his perpetuò fruere. Iam dies nona, crastina die erit Eufrasiæ abscessus.

22. His auditis, animo Iulia cruciatur, suum tundit pectus, & amarè deflet. Eufrasia rem fletus sciscitatur: cui, heu Domina mea, iuxta Priorissæ visionem vicina morte, crastino diuidemur. Consternitur Eufrasia, & prona ad Dominum exclamat. Cur Domine, abhominatus es me peregrinam in via mandatorum tuorum? dimitte me tantilum, vt mea defleã peccata, nullum in me salutis opus, & eiulabat. Eufrasiæ gemitus Priorissæ deportantur, & ægrè fert animo visionem illi significatam fuisse: ipsam ad se vocari iubet ingemiscentem Eufrasiã, de fletu rogat; cui scis me citò, è vita migraturam, nec indicasti mihi, vt à peccatis, quibus sum inquinata mundarer, & amplexatis Priorissæ pedibus, illius se vehementer commendabat orationibus, interim rigere, & immodicè corpusculi ardore horrere, cæpit. Vespere autem

De morte certioratur Eufr.

rem facto, vt cibo recrearetur, dimissis sororibus, Iulia Magistra sola remansit, quæ passim ei sociam adiungi petebat, me in humanis Magistram habuisti, me quoque ad gloriam translata suscipe. Vix Auroræ luminibus aer illustrabatur, cum extrema teneretur respiratione; aduocauit Moniales mæstissima Iulia, vt exhalanti animam, extremum dicerent vale. Conuenere omnes, & hæc vna erat omnium deprecatio; Memento nostri Domina Eufrasia, nomen benedictum à Deo, qui te dilexit; lachrymis energumena ab eadem liberata, vna cum alijs deficit. Religioso silentio orabant omnes, dum animam agonizabat Eufrasia, cui Priorissa alloqui, iubet Iuliam amaritudinibus repletam, & en extrema verba; Cur lugis soror, dimitte me quieti iam deficio. Tu benedic Deo, & te seruabit, ora pro me, magnum paratum est Animæ meæ certamen, & silet. Orauit Priorissa, & omnes respondentes, Amen. efflauit Animam, trigesimum agẽs Annum Eufrasia Virgo. Eodem tumulatur sepulchro, quo Genitrix sua; maximus fletus factus est illa die in Cœnobio eremitarum Virginum; totusq; Carmelus parentauit ei.

Preciosa S. Eufr. mors.

23. Iulia magistra, carissima orbata discipula, ab eius Tumulo odore flagrante tribus diebus non recessit, orationibus, & ieiunijs intenta; Quinta autem die Priorissæ significatum est, eodem quoq; die B. Eufrasiæ intercessione, Iuliam è vita migraturam, illicò sororibus præcipit orandum pro ea: Dein osculo pacis dato, quinta die à morte discipulæ cadente sole, spiritum Deo reddidit. Sepulchro Beatissimæ Eufrasiæ cum fletu, & orationibus magistra amantissima iuncta est.

Iulia Eufr. magist. citò moritur.

24. Trigesimus dies ab obitu sanctę nostræ Virginis Eufrasiæ agebatur, cùm humilis Priorissa, senio confecta, & virtutibus plena de noua eligenda Matre senioribus Conuentus indixit, eo quod citò Dominus, & ipsam vocaturus erat, Eufrasiæ benedictæ filiæ, & Iuliæ precibus. Inconsolabiliter fleuerunt sorores omnes: Tandem Theogeniam prudentia, & ætate insignem, loco eius vnanimes delegerũt: Cui moritura Priorissa hæc dedit monita. Iam de communi omnium voluntate testimonium habes. Adiuro te per

Priorissa precib. S. Eufr. ad cœlũ conuolata.

Eligitur noua Prio-rissa.

sanctissimam vnam, & indiuiduam Trinitatem, per Iesum Christum Saluatorem nostrum, atq; per merita Beatissimæ Virginis Dominæ nostræ, ne diuitias huius mundi quæras, aut possessiones, neq; occupes sorores circa terrenas solicitudines, iuxta Carmelitarum pauperiē, cuius causam tuetur benignissima deipara Virgo Maria; Dein Oratorium ingrediens, in oratione pernoctauit, & mente in Cœlum eleuata, corpus suauiter relinquens febribus iam correptū, ad æternam euolauit gloriam, cū Eufrasia, & Iulia filiabus carissimis æterno sponso Iesu Christo est consociata. Fleuerunt eam sorores multum, atq; Domino, Hymnis dictis, illam in B. Eufrasię Virginis sepulchro condidere: & ab eo die nulla alia vnquam tumulata est eodem tumulo.

Commendatio sui ipsius.

25. Hęc memoranda S. Eufrasię Virginis Carmelitę acta. Hæc pijssima vita; quam ego imbecillis, & homo peccator, in remissionem peccatorum meorum à prestātissimis conquisiui scriptoribus. Festinemus ergò, & nos sanctissimę huius Virginis conuersationē habere, sectari humilitatem, obedientiam, paupertatem, Virginitatem, vna cum perseuerantia, vt Virgine Deipara Regina Carmelitarum auxiliante S. Virgini Eufrasię ante Thronum diuinę Maiestatis post huius vitæ curriculum adiungi, mereamur.

Scriptores vitæ S. Eufrasiæ Virginis.

Acta sanctæ Eufrasiæ Virginis conscripsere doctissimi viri. Martyrol. Rom. 13. Martij. Vsurardus, eodem die, Martyrol. Grecorum 25. Iulij. Surius Tom. 2. mutato stylo. Damascenus cap. 8. & 9. orat. 3. de imaginibus, vita Patrum incerto nomine. Alphōsus Villega, Aloysius Lyppomanus, Heribertus Vltraiectinus, Ioannes Paleonidorus, Ioannes de Coria. Petrus de Natalibus, Petrus Rabadinera. Tom. 2. & alij.



V I-

VITA S. VIRG. EVFROSINAE ALEXANDRINAE Ordinis nostri Carmelitici.

Ex his, quæ apud Simonem Metaphrastem, Vincentium Beluacensem, Petrum de Natalibus, Laurẽtium Surium, Aloysium Lippomanum, Petrum Rabadineram, Didacum de Coria, & nostros omnes.

Floruit temporibus Theodosij Imperatoris an. 430. moritur prima Ianuarij, colitur translata 11. Februarij.



AVREA S. Eufrosinæ Virg. Carmel. Vita tot refulget sanctitatis margaritis, tot splendescit virtutum gemmis, vt nitidos stelliferi Cœli vincat splendores. Quæ à præclarissimis, cum Græcis, tum Latinis accepi scriptoribus, hęc trãsferre non piget. Vtinam serena Virgo à nocturno scribentis calamo, non abhorteat; sed quemadmodum in sagena Cordis eius virtutes delitescebant; ita meritorum coronas nunc sufficienter euulgare, contingat. Auctor.

2. Theodosius iunior nomine, prudentia senior pijssimus Imperator, Magni Theodosij Nepos, Arcadijq; filius, Oriẽtalium Regnorum summa cum laude Imperij Clauum regebat; Cùm Alexandrię Aegyptiorum Ciuitatis insignis, Paphnutius vir genere, & virtute clarus, claram quoq; duxerit vxorem; foecundam spiritu, infoecundam sobole, à Eufrosinæ quo tempore orta.

Patria. Parens. cuius impedictis naturæ nota, liberari sæpius orando, atq; fœcunditate donari humiliter petijt. Diuturnis precibus fœtu grauescere obtinet. Ecce tibi modus ad Nilli fluenta insigne Eremitarũ Montis Carmeli Cœnobium extollitur, nedum sanctitatis fama, sed Cyrilli venerandæ memoriæ eiusdem fundatione clarum; adeò vt omnium Ordinum Alexandrinæ Ciuitatis virorum, ac mulierũ ad ipsum maximus confluerct concursus. Rumor est enim, deiparæ iussu, ab eodem Cyrillo Episcopo constructũ, Paleonidoro teste, lib. 2. cap. 4. & 7. Inibi vir senio, ac sanctitate præditus omnibus præsidebat, eundem Paphnutius conuenit, & anxij Animi curis apertis, humilis ad eius prouolutus pedes, suam causam summis precibus sustinere flagrantissimè orat. Deũ enixè deprecatur senex sanctus Theodosius, hoc ei nomen, & paulò post sterilem illam fœcunditate donatam intelligit. Stato quidem tempore, puellam parit, quæ sacris, de more, regenerata aquis, Eufrosina græcè, gaudium latinè adnominatur. Materno pasta lacte, pulchra facie, pulchrior animo, magnam de se spem concitando adolescit. Duodena, maternum obitum acerbò tulit dolore. Mœstissimus Pater vulneri, vt mederetur lethali, Adolescentulam, quæ magnum ingenij sui specimen præbebat, & mira dexteritate plurimum valebat liberalioribus, vt aiunt, studijs operam nauare permisit, cuius rei causa quidam conciuiũ Nobiles, ipsam nuptui dare petebãt, pulchritudinis suauitate, atq; animi gratia allecti. Quibus satisfactum ibat, Dei voluntas fiat.

Obtenta precibus Carmeli.

Baptism.

Duodena orbatur Matre

Insistutis Studium.

3. Octauum supra decimum annum agebat pulcherrima Virgo, & Cognatorum, amicorumuè turba nubilem Adolescentulam matrimonio iungi instanter petebant: Pater sui fortè oblitus, viro genere, diuitijsq; nobili ipsam spondit, cuius quidem sponsione Virgo auersa voluntate, vehementer dolet, decreuerat enim inuptam cogitare quæ domini sunt, vt Deo placeret; sciebat enim teneram in fœminis pudicitię famam, & quasi florem pulcherrimum citò ad leuem auram marcescere. Deus autem, qui nemini seipsum negat, & prouidentia non fallitur, suaui quidem dispositio-

Promittitur in matrimoniũ.

ne adolescentulam, Patre ducēte, ad Cœnobiarcam senem, de quo supra, expiationis gratiā, ante sponsaliorum celebrationem misit. Dum autem purgatur ore, mundatur animā, & quæ hominum sponsa creditur, Christi sponsa regreditur; Cum enim de Virginitatis flore, & centesimo eiusdem premio, in cœlesti Patria consequendo, de mortalium vitæ caducitate, quod mundum de immundo, de hoste domesticum, de homine Angelum faciat, & similibus egerit, Deo plena Deum quærit, acta spiritu in spiritum soluitur, & vt Christum sponsum possideat sponsum promissum refutat; ò dexteræ Dei mutationem. Domū reuertitur, nec à Deo disiungitur, zelo timoris comeditur, quæ Cœli pane reficitur. Ità de Virginitate seruanda noua sponsa cogitat, ne vnquā violari contingat. Ità virorum consortia fugit, vt Angelorum Choris interesse possit. Mulierum iocalia, ornamenta, atq; solatia odio prosequitur: dum à sponso Iesu amari, ornari, & coronari æterno æuo religiosè conatur. Quis talia non admiratur? Hæc illi facillima; Reginæ enim Virginum Mariæ Virgineum corpus, Virgineamq; mentem toto commendabat affectu, nec illam vnquam corrumpi sinit illecebrarum motu. Et ne quis mente concepta penetret, cum Eremitarū quæstuarijs de vita pluries, & moribus, nostri instituti verba fecit, de votorum obligatione, de Regulæ obseruantia, deq; obsequijs erga Deiparam Virginem, inter domesticos parietes secretò moneri voluit.

Seruatur Dei prouidentia.

De Virg. seruanda deliberat.

Celat intentū suū.

4. Dum autem Virginis matrimonium, vrgente Patre, à conciuibus breui temporis spatio expectabatur, docente luminum Patre, Christi sponsa connubialibus sponsi delitijs perpetuò vt adhæreat, virago habitu viri sumpto, muliebrē celat aspectum, cincinnis, & capitis comis satis aptè tonsis, in vmbrifero noctis silentio, vale Pennatibus dicto, illucescente Aurora Maria, & Angelorū stipata cohorte, ad Eremitarum Carmeli montis Cœnobium inuisa ducitur; sole exoriente, sola Templum ingreditur, ad Aram currit, flectit, orat: lachrymosis precibus cum satis fecisset, inauditum aggreditur opus; Ianitorem placidè alloquitur, vt intra Monasterij scepta ad senem Theodosium Priorem admitte-

E domo Patr. viril. habitu egreditur.

Ad Car. progredi.

re ipsum non dedignetur. Annuit; Atq; senex Theodosio vocato, incognitus ille ad recognitum Patrem reuerenter accedit, eiq; se Regis Eunuchum Regiam molestè ferentem pulchrè simulat, & Regis Christi, Reginęq; Virginis eius Matris Mariæ militię inter suos perpetuò militare anxijs, magnificisq; verbis rogat, ipsum item lacessit. Senex bonus fidem, & compositis verbis, & eleganti iuuenis Smaragdi (hoc sibi finxit nomen) aspectui facilis adhibuit. Hinc de Patrum assensu, sacrum Eremi nostri habitum, ei operãte Deo præsto contulit: Dein fratri Agapio viro senio, sanctitate, & eruditione pleno, Nouitium Smaragdum ad instructionem concredit.

Secundã effingit.

Monach. efficitur Smaragd. nomine.

5. Ad Paphnutium redeo. Hic de ammissa filia cum primum accepisset, vehemẽti correptus dolore, animo cruciatur, lachrymis dissoluitur. Ab expectato sponso, cognatis, & amicis amarulentus corde, pius Pater deperditam petit filiam. Num quam diligit anima mea sciscitabatur vidistis? Vbiq; locorum quæritat, & nullibi comparet, quę in abscõdito faciei Dei gloriosè delitescebat. Re disperata Paphnutius inconsolabilem ducebat vitam, nulla enim ei de Monachatu filiæ suspicio suppetebat.

Pater dolore angitur.

6. Multò post tempore, ad Carmelitas tandem concessit Paphnutius, animi doloris subleuandi gratia; vulnus, quod alebat venis seni Theodosio collachrymando aperit, fugacemq; filiam inter suspiria exagerat: Admirabundus cõdolet religiosissimus Pater, & pro inuenienda filia, quã spiritu conceperat, orationibus, & ieiunijs cum cæteris fratribus à Deo insinuari humiliter petit; Nec datur inueniri, quam semper secum habet. Paphnutius ad propria reuertitur, & sępius internè animam dulcorari, sentit.

Paphnutius ad Carmel.

7. Interea dum hęc dispersa iacent, insidiarum flammę ab orco, inuido Satana excitantur, ęgrè enim ferebat puellari de claustro vinci sanctitate. Hinc exacrè tentationum indicit bellum; cum Paternalsuspiria, lachrymasuè representando, tum connubialia memorando oblectamenta; passim muliebrrl ubricitate, suę domus antiquata gloria, duro vitę religiosæ genere, ancillarum ministerio, amicitiarum iucun-

Tentatur Smaragd.

cun-

cunditate, his imaginibus, vt à Dei seruitio truculenter diuelleret, per omnia dirè tentabat: Verum qui in bono dedit velle, ei quoq; in bello orando ad triumphum peruenire concessit.

8. Hic nouum bellandi genus inseruisse iuuabit. Etenim viribus reassumptis irarum Pater, acrius in Victricem agere cœpit, vt ipsam perderet. Suaui quidem vultus eius pulchritudine monachorum quorundam auolare corda fecit; quod cum resciret prudēs noster Pater, Smaragdum ab alijs separato conclaui seiungi, iussit, & ei tantum Moderatoris Agapij domestica vti paterna cōsuetudine præscriptum erat. Lætus de præcepto securius cum Deo, angusto sub tecto, augusto sanè spiritu agere, cœpit. Ita orationibus, ieiunijs, vigilijs, disciplinis, macerationibusq; alijs, se totum solitariæ vitæ dedit; vt ne quidem Agapius maxima fulgens sanctitate, verum Angeli ipsi immensa tenebantur admiratione. Hæc, euulgante Præceptore Monachorum socia tium ad stuporem rapiebant.

Alia demonis tentatio.

Separatur à Monachis.

9. Paphnutius modo iteratis visitationibus nostrum adibat Cœnobium, & quos sanctitatis fama tenebat, illos libēter alloquebatur. Audiuit de valde diuite iuuene, qui spretis seculi diuitijs, mundanisq; oblectationibus Christo in arcta pænitentia seorsum deseruire, studebat; Hunc solitarium Monachum cuius erat Pater, nec agnoscebat, interno succensus ardore, præsentia aduertere petit. Obtinet, Agapio assentiente. Vix serui Dei Cellulam pauperem ingreditur Paphnutius, ei obuius prodit Celliota Monachus; procidit vterq; & reuerentiæ gratia, silentio ora tenent; Maciem vultus, & inopiam Monachalem suspicit Paphnutius, nec oblitterata specie filiam agnoscit. Plorabat multum Smaragdus & lachrymas cucullata veste tegebat, tegebat, nec impetus naturæ sistere fletum valet; Paphnutius verò interioris compunctū deuotionis aculeo solitarium flere credebat Monachum. Oratione autem facta surrexerunt, & consederunt: & de futuri Regni beatitudine, de seculi contemptu, de liberorum spirituali propagatione dulcem contexuere sermonem. Deus quomodo tribulatio patientiam,

Paphnutius obtinet videre Smaragd.

Cara sed incognita visitatio.

 pa-

patientia verò probationem operatur, nimia persusi suauitate alternis cælestia miscebantur colloquijs. Ita paternum dolorem filia prudenter lenire, curabat, & si inscius ille, ab eadem leniente acriter cruciabatur. Aliquantulum post horarum spatium, sancti viri admiratus grauitatem, & sermonum leporem, in gratiarum actione Paphnutius discessit.

Smarag. infirmat ad mortem.

10. Iam trigesimus octauus decurrebat annus, quo Smaragdus ipse fugiens à seculo se elongauerat, in solitudineq; manebat. Virorum nemo sexus fragilitatem vnquam penetrauit, Deus .n. per Angelos in occulto Smaragdine, veram Eufrosinam celabat. In hæc quidem tempora supremum vitæ suæ diem meritorum præmio claudendum cęlitus ei monstratum est. Incidit in morbum, quo in discrimen adducitur vita, ad Cœnobium de more diuina volente prouidentia, trahitur Paphnutius, quem per nunciũ ad languentem Monachum statim adducunt, cui serena facie, placida hæc dedit. Te vir bone rogatum cupio tribus saltem diebus ne graueris apud nos commanere, non .n. te pænitebit. Assentit, ad præfinitum temporis spatium, vel orando, vel meditando grata suauitatis aura detinetur. Extremus dies adest, quo se ad immortalem sponsum incognita Virgo præcingit. Paphnutius ad solitarij cellulam secretò vocatur, aduolat ipse; Ingressus aperto capite, vix lectulum tenet, cum hæc moriens Monachi extrema, sub murmure accipit verba. Paphnutie Pater, ab anxia filiæ tuę cura, te in domino tandem liberatum volo. Ego sum Eufrosina, ego filia tua, tu quidem Pater meus amantissimus. Ego anima me Deo sacrum hunc Mariæ habitum teneris sub annis, mentito nomine, non corde, vt mentienté ipsum ementirer mundum, alacri spiritu secreto sumpsi: me nemo virorum nouit, Hominibus incognitam soli Deo cognitam, Virginum Virgo protexit, inter Cęnobitas hosce ad octo supra viginti annos Deo seruire studens commansi. Nec me pœnitet. En tandem morior. Tu Pater me secreto ablue, Tu iusta filiæ solue, Tu benedic animæ meæ, iàm petenti, Tu Virgineum proprijs manibus humi sepeliendum trade. Carmelitana, Angelorum Caterua stipante, in languentis Patris manibus

Visitatur à Paphnutio.

Detegit se Eufras. Patri.

Extrema verba.

spi-

spiritum egit. Heu. Quis obsecro verbis paterni animi dolorem complectetur? Quis nouum hũc casum illachrymatus audiet? O suspirandum funus. Moritur cognitus Monachus, incognita filia, imò recognita filia, incognitus Monachus, frigescente extincto inter semimortui Parentis brachia carissimo cadauere, deficit auxiliantis Patris sensus, contremiscit manus, Angeli attollunt animam, Pater in recognitæ filiæ oscula ruit. Num in demortua filia respiret Pater, an in viuente Patre moriatur filia, difficile dictu. Moritur Eufros.

11. Disce mortalis, quantum in humanis, fluctis nostræ vitæ incerti casus. Hanc benemerendi syluam in amissa filia inuenit Paphnutius. Hãc sempiternæ gloriæ segetem inter Carmeli claustra messuit relicto Patre Eufrosina Virgo. In tantis autem lachrymarum profusis nymbis, & in mellifluis Angelorum concentibus, quot quanta misceãtur gaudia calamo mei peccantis exarrare negatur. Tu sincere lector, ab hoc funere sacro mirram, & lilia excerpe. Auctor.

12. Interim incõsolabile funus, è Cellula prodit; accurrit Agapius, & oculis insperatum tenet spectaculum, flens admiratur, & inter suspiria fletu dissoluitur. Incertus dein murmur de certa Monachi morte, per claustralium aures subito volat, & ad speciosum obitũ, reuerentiæ gratia confluunt Carmelitæ omnes. Hymnodijs suspirantes ipsum acclamant, & laudibus defunctum fratrẽ ad sydera attollunt. De Agapio, & Carm. ad funus.

13. Nec silentio prætereundum. Monachum oculo orbatum, ad sacri corporis tactum illicò recipisse visum. Cæcus illuminat.

14. Sepulchralia demum excogitantur, honorificèq; deliberatum, itur, Nam segregato tumulo condendum corpus Pater, & fratres eiulantes deferunt. Mortis sanctæ Eufrosinæ Virginis vbiq; locorũ fama peruagata, omnium ordinum homines, venerationis ergo concurrere. Obijt Eufrosina Virgo ex Martyrol. Kal. Ianu. Nostri verò à translato corpore 5. Idus Februarij eiusdem memoriam solemni ritu colunt. Paulo V. P. M. concedente. Sepulchr. Eufr.

15. Ad hæc Paphnutius diuitijs omnibus pauperibus erogatis curauit hęredem habere cellulam filiæ; quæ bonorũ eius hæreditatem, à teneris, vt Christum lucri faceret possi- Paphnutij extremum vitæ.

dere, negauit. Ad decennium sanctissimè superuixit filiæ, eodem spirituali carcere ad gloriam mancipatus, & eadem post mortem sepultura humatus.

Autentificatio. 16. Hæc breuiter auita Patrum monumenta, è vita quam Paphnutius Pater lachrymarum attramento, vna cum actis sancti Onofrij in cellula filiæ scriptam reliquit. Didacus de Coria in vita S. Eufrasiæ. Claruit sub Theodosio Imperatore, & Archadio filio Anno Domini 430. & sequentibus. Ad maiorem Dei gloriam.



V 3

VITA
S. CYRILLI EPISC.
Alexandrini Carmelitę.

Ex his, quæ à Nicephoro lib. 14. Isidoro lib. 1. Epist. 270. Trithemio, Baronio, Villega, & nostri omnes.

Moritur anno 414. colitur die 28. Ianuarij.



ANCTI Pij, ac eruditi P. N. Cyrilli, quem Deus, vt Carmeli Eremiticum sodalitium sanctitate illustraret, clara Alexandrinam Ecclesiã regeret pietate, & Deiparæ Virginis honorẽ ab impijssimi Nestorij impijssimis blasphemiarum mendacijs gloriosè præ cæteris liberaret, delegit; admirabilem vitam sterili concinnatam, cum vberiori non valemus stilo, ob oculos apponimus; vt qui satis pro dignitate, minimè, laudari conceditur, legentium admirationibus, quasi veritatis imaginibus mirificè prædicetur. Præparatio.

2. Itaquè Alexandriæ antiquæ Aegyptiorum Regum sedis, nobilibus claret Cyrillus parentibus, Egregium domesticæ nobilitatis specimen inter fulgentissima Patris, & Patrui lumina à puero præ se ferens, à Patruo Alexandrino illustris memoriç Episcopo Theophilo, Athenas, quæ maximis tunc temporis studijs florebat, studiorũ causa mittitur. Hic adolescẽs omnia disciplinarum genera fide recepta pectore, adeò studio enutrit, diligentia excollit, vt exiguo temporis curriculo coætaneos omnes glorioso vincat nomine, Iuuenili ostendens industria, vbi alijs tempora desiebant, illum tempora indefesso superasse cursu. Cyrilli ortus nobilitas. Studia rerum naturalium.

3. Cùm plurimum antè Philosophicis imbutus discipli-

nis profecisset, & in litterarum studio sapientiæ bravium celeri profectu accepisset, de spirituali itèm eruditione illius maiores excogitarunt: Quare præceptorem Ioannem Hierosolymorum Episcopum 44. doctrinæ, & sanctitatis fertilissimũ sortitus, sese Christianæ vitæ perfectionib. imbuendum, illi pleno iurè tradidit. Tanti Patris consuetudine confirmatus (ex Breuiarij nostri Instituti monumentis) vt sanctiori quoque instrueretur abundãtia, in Carmelum iussus secessit. Ibi cum pluribus nostris Eremitis, sub Deiparæ tutela feliciter degentibus, cœlestem vitam in terris aliquãdiu egit Monachus eremi factus: Quo loci cum ineffabilis Incarnationis mysterij desiderio teneretur vehemẽti, vbi magno Eliæ Patri nostro Nubeculæ velamine dominicę Incarnationis mysteriũ reuelatũ traditur; ibi eiusdẽ occulta adeò intimè scrutatus est, vt diuinis illustrationibus credatur edoctus. Robertus Bellarm. Card. Trithem. & alij. Hinc in D. Eufrasiæ vita hunc pium, & doctum virum Carmelitam appellitat, moderniori vsus denominatione Pius Villegas.

Studia externa ... iam.

In Carmelo commoratio.

Studium circa Incarn. myst.

4. At ob lætalem Theophili Episcopi Auunculi eius morbum, Alexandriam vocatus coactè, ac renitenti animo in Patriam reuertitur. E vita dein eius sublato Patruo, cùm laudabilitèr viginti quatuor annis Alexandrinam rexisset Ecclesiam, post tres dies à Patrui sepultura, vacanti sedi maxima omnium lætitia, anno 412. sub Honorio, & Theodos. Imperat. sufficitur Cyrillus noster; quippè qui virtutibus, litteris, moribus, prudentia, ac pietate, nemini prædecessorum cessit. Hęc de D. Cyrilli Monachatu.

Alexandriam reuertitur.

NOTA.

4. Lector sincere aduertas oro. Illustriss. Baronius D. Cyrilli acta describens eius Monachatum omninò præterit silentio, ea fortè ratione, quod immensa rerum Ecclesiasticarùm, cum domesticarum, tum externarum sub Pontificibus, & Imperatoribus, mole pressus, antiquata priscarum rerum nostrarum penetralia ingredi, vel certè nequiuit, vel iurè proprio negauit. Hinc Axiomata scitu digna pro Carmelitis appono.

Baronius cur Monachatus D. Cyrilli sileat?

5. Qui

5. Qui falso illo quorundam fundamento nixi Institutum nostrum ab accepta Regula ab Alberto Hierosolymitano Patriarcha exordia sumpsisse scribunt, toto aberrant Cœlo, & vno dato inconuenienti multa sequuntur. Religio nostra in honore B. Dei Genitricis semperq; Virginis Mariæ ab Elia Propheta magno Dei iussu in Carmelo instituta; à Prophetis manuducta, à D. Ioanne Baptista prædicationibus cathechizata, a Christo approbata, ab Apostolis Baptizata, à B. Virgine erudita, à Patriarchis, & Prophetis dilatata, à Concilijs solidata, à Pontificibus confirmata, vbiq; locorum ore rotundo prædicatur. Hæc firma, & substãtialis nostrę familiæ continuatio, vti plenè alibi: Axiomata pro Carmel.

Qui bis mille annorum spatio nostræ Religionis varios status, casus, cæcos fortunarum euentus; non benè callet:

Qui nostræ Religionis varias mutationes, denominationes, fortunas, montium ac Vallium solitudines, speluncas, & infidelium oppresiones, ignes, carceres, machinationes, inuasiones, & lanienas pro Deo passas non optimè tenet:

Qui nostræ Religionis varia martyria, principia, ordimenta, discrimina, bella, certamina, statuta, decreta, & id genus alia non plenè cognoscit:

Qui demum Græcorum ac latinorum scriptorum differentem scribendi stylum Orientaliumq; gentium, populorum, Regnorum Regionum ac Vrbium, mores leges, & religiones non probe, ac studiosè cognoscit, is aut defaticatione lassatus, assumptum deserere opus; aut abditarum rerum nostrarum veritate ignorata in errorum foueam præceps labatur; Pluraq; neganda concedat, & concedenda neget, est necesse. Res nostræ Carmeliticæ non currenti, quidem, sed tardo conscribendæ sunt Calamo, iuxta illud festina, lentè; eruenda sunt abdita, detegenda absconsa, perplexa firmanda. Opus præpeditum incapax est facundiæ.

6. Hinc libentissimè Historijs, Chronicisq; Carthusianorum fidem adhibemus, quia quæ sua sunt scribunt; Item Prædicatorum, quia Prædicatores, Franciscanorum, quia Franciscani, Augustinianorum, quia Augustiniani, Iesuitarum Omnes Ord suas Hist. scribunt.

rum qui Iesuitæ res proprias, proprio iure scribunt, à defendunt; disertè illud; Peritis in arte credendum. Cur ergo Carmelitis denegabitur, quod cæteris vniuersaliter gratis conceditur? dabit igitur veniam, qui D. Cyrilli Alexandrini Monachū Carmelitam negat; cum rationibus, & authoritatibus, vt in vindicatione, luce clarius id ipsum cōstet. Tantum Græcorum axioma refero. Neminem temporibus D. Cyrilli, & supra per Orientalium ora, ad Episcopatus dignitatem assumere, nisi de Monachorum Monasterijs delectum licebat. Quod ex Monologio Grecorum nullo negotio comprobari potest. Ommissis igitur ab Illustrissimo Baronio, quæ ad Cyrilli Monachatum faciebant, ab Episcopali eius dignitate incipit eius nobilissima tractatio.

7. Post triduum autem ab ipsius Theophili obitu subrogatus est in locum eius Cyrillus ipsius fratris filius, non sine cōtrouersia, cum alij peterēt Timotheum Archidiaconum, cui fauebat, Studebatq; Abundantius Præfectus militum. Hæc ex Socrate lib. 7. cap. 7. simulac autem Cyrillus Alexandrinus Episcopus creatus est, ad eam Ecclesiam ab omnibus hęresibus expurgandam animum adiecit, atq; qui hactenus Alexandrię tolerati fuerant, Nouatianos ab ipsorum Ecclesijs expulit. Hæc Socrates supra. Nostri autem euacuata illa loca Eremitis Carmelitis concessa, & Catholicorum more exornata iurè suspicantur, cum innumera nostrorum Monasteria apud Alexandriam sub eodem Cyrillo adnumerentur Historijs nostris. Paleonidorus, Coria, & nostri omnes.

D. Cyril. creatus Episc.

8. Interim Atticus Episcopus Constātinopolitanus Chrisostomi nomen factus dypticis, quod impediente Theophylo locum habere nunquam valuit, restituit. Extant Attici litteræ apud Nicephorum lib. 14. c. 26. & 27. relatæ à Baronio, quibus Cyrillum rogat de restituendo Chrisostomi nomine. At è contra zelo Dei actus, Cyrillus ipse per Epistolam negabat restituendum sine Innocentij Pontificis maximi consensu. At dum, Isidori Pelusiotæ cohortatione, & Monachali plenam reprehensione, Epistolam legit, non paruum commouetur Cyrillus, vt apud Nicephorum lib. 14. c. 53.

In albo 85. Nom Chris est

Renuit Cyrillus.

9. Et quomodo per visum idem Cyrillus ad meliorem frugem (ita Baronius) fuerit restitutus accipito breuiter, ex Nicephoro lib. 1. c. 28. videre visus est se ipsum sacris ædibus expulsum à D. Ioanne, comitatu, & diuino quod circa eum erat satellitio maximè freto, & Matrem domini pro eo deprecantem, atq; cum multa etiam alia, tum illud præcipuè quod pro ipsius gloria plurimùm decertarit, sicut dicetur, referentem, vt in sacra templa reciperetur, orare. Quam visionem cum S. Cyrillus cogitabundus animo secum volueret, se ipsum, quod in sanctum virum inuectus esset, damnauit; & deinde ipse quoque re cognita, Ecclesiæ Chrisostomi addictus, virum eum admiratus est. Visio mirabilis.

10. Hic te lectorem monitum cupio, quæ à Socrate Nouatiano referuntur parum æquo animo esse conscripta, eo quod Nouationorum fuit infensus expulsor Cyrillus. De lite cum Oreste in Iudæorum expulsione, de turba Monachorum Nitriæ armata lapidibus pro Cyrilli defensione, de vulnerato Oreste ab Ammonio Monacho, de Hypatia Philosophorum celeberrima raptata, vestibus exuta, testis acutis ad necem vsq; dilacerata, & in Cinaron loco, igne combusta, & alia huiusmodi maxima cautela sunt legenda, cum è scriptoris Nouationis scrinnio eruantur. Socrate cautè legendum.

11. Longè clariora obuiant, Baronio referente, anno 429. Etenim Nestorius quam promulgarat hæresim Constantinopoli, cupiens per totum orbem amplioribus spatijs dilatari, omnes, quibus pollebat, vires impendit; parum enim sibi visus in primaria vrbe nouam hæresim disseminasse, ad eam latius diffamandam sua scripta ad diuersos dedit, & inter alios ad Aegypti Monachos (ità Baronius) quos vt deciperet, se nonnisi Nicenæ fidei professorem esse ostentans, nihil se nisi ex Niceni Concilij præscripto docere fraudolenter suis litteris præ se ferrebat, ex quo factum est, vt nonnulli, ex eisdem Aegypti Monachis ipsius errori consenserint. Hæc eadem apud Cyrillum nostrum. Epist. 1. Porrò non litteras tantum ad diuersos sparsit Nestorius, sed & libros eiusdem hæresis defensores dedit; quos etiam per Antiochum virum illustrem, ad Cœlestinum Pontifi- Nestorij hæresis contra Deiparã Virginẽ.

cem misisse, idem qui accepit ipse Cœlestinus Papa testatur Epist. 5. quales autem ij fuerint per visum ex Anachoreta viro sanctissimo refert Sophronius Prato spirituali c. 66. cū de Cyriaco Abbate lauræ Calamonis verba instituit.

Monach querit decipere Nesto.

12. Cum igitur inter Monachos Aegyptios, & alios nostri instituti, varia sint excitata dissidia contra blasphemū Nestorium, necesse fuit Cyrillum litteris, hac forma præmonere. Audio exitiales quosdam rumores inter vos proseminatos, nonnullos quoque oberrare, qui sinceram vestram fidem demoliri studeant, & inanium vocabulorum bullas apud rude vulgus eructantes, vtrum θεοτόκον sacram Virginem appellare liceat, in cōtrouersiam vocare audeant. Præstaret sanè eiusmodi quęstionibus omninò supersedere, & in ea quæ abstrusioris considerationis sunt, nec aliter fore, nisi veluti in speculo, & in ænigmate, etiam ab ijs celeritate, mentisq; subtilitate pollent, perspici possunt, nequaquam inquirere (nam simpliciorum captum subtiliora theoremata excedunt) At quoniam horum sermonum expertes non permansistis, sitq; probabile, contentiosos quosdam non defuturos, qui venenum quod semel hauserunt, veluti spicula quædam, in imbecilliorum animos defigere conabuntur: operæ me pretium facturum putaui, si pauca quædam his de rebus ad vos differerem, &c. Quibus apparet nedum tanquam Episcopus, & Pater, sed tanquam Monachus ad Monachos confratres sermonem facere. Docet autem ex Patrum sententia, qui Niceno interfuerunt Concilio, & ex ipso in primis S. Athanasio, sanctissimam Virginem Deiparam appellatam, quam propositionem adeò mentibus infixam retinuere semper Eremitæ Monachi nostri, vt propter huius perpetuæ veritatis celebrem confessionem, & generosam defensionē, subinde meruerint appellari, à Summis Pontificibus, & reliquo Christianorum populo. Fratres Eremitæ B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, cuius perpetui honoris extiterunt defensores.

D. Cyrilli prudētia cū Nest.

13. Quanta autem fuerit Cyrilli nostri prudentia, quantaue modestia, ad animum Nestorij conuincendum, antequam perfricta fronte in Deiparam Virginem venenū ma-

ledi-

ledictorum eructaret, ex his quæ in 1. & 2. Epist. & ad Cælestinum Papam dolenter tradit, conuincitur, ne videretur in Antistitem Constantinopolitanum pugnare pugnam, sed à Blasphemo dogmate penitus abhorrere. Quapropter nedum ad Monachos nostros scribens, sed, & in litteris ad Imperatorem Theodosiũ, qui Nestorium Antiochia accersiuit, & reiectis cæteris, in Episcopum Constantinopolitanæ Ecclesiæ deligendum curarat, & ad Reginas augustissimas, & ad Senatores, & Magistratus reliquos, Nestorij nomen semper reticuit; & supresit vt Antidotum paterna pietate conditum, per Epistolas, & nostrorum Monachorum Christianas missiones, vbiq; locorum factas præseruaret ne venenena Nestorij in Catholicorum animos illaberentur. Hoc Sanctum P. N. Cyrilli consilium declarat Epistola, quam post Ephesinum Concilium ad Theodosiũ dedit vt in actis Conc. Ephes. Tom. 1. c. 2. Diligentia.

14. Iussus ergò Cyrillus, anno 429. summa cum diligentia Blasphemum Nestorij dogma, mãdante Cælestino Papa, inuestigare, tanquam Papæ Vicarius, cæpit, num inter eius scripta venenum hoc latens reperiretur. Ad Monachos nostros primum, & alios, aduersus blasphemias, ad eos, ab ipso Nestorio missas, dein ad ipsum quoque Nestoriũ Epistolam modestiæ plenã scribit, vt in Act. Concil. Ephes. Tom. 1. c. 2. quæ incipit. Aduenerant viri aliquot veneratione, ac fide digni, qui pietatem tuam grauiter stomachari, nullumq; mei lædendi causa lapidem non mouere, mihi renunciarunt Cupienti, &c. & post multa, cupiens Nestorium emendari, sequitur. Ne graueris, obsecro, ijs qui non leuiter offensi sunt θεοτόκον vocem largiri, sacramq; Virginem deiparã appellare: quo illis qui non leuem hinc forte mæstitiam ceperunt, medentes, & nostræ quoque famæ, & existimationi consulentes populorum pace, consensione ecclesiasticos cõuentus celebramus, &c. Rursum aliam dedit Cyrillus Epistolam dogmaticam, qua hæresim confutat, & Nestorium admonet, eius exordium est. Intelligo quosdam meæ, &c. Respõdit ad hasce ambas Epistolas Nestorius, vt apud Cyrillum Epist. 3. & Epistola 9. litteræ ambæ arrogantia re- Inuestigatur hæresis Nest.

fertæ summa, atq; tumore in verba mordacia erumpente, fastuq; se super omnes Antistites efferente.

Cyrilli ad hæretics.

15. Qui Cyrillo adhęsere Nestorium auersantes, habētur inter Epistolas Cælestini Papæ, ex Cyrillo ipso, his verbis. Quin hoc ipso quoque tempore plebs Constantinopolitana (leuibus quibusdam vanisq; hominibus, qui ipsi adulantur dumtaxat exceptis) à Synaxi abstinet: abstinent ab eadem omnia penè Monasteria, eorumq; Archimandritæ: abstinet quoque, & maior pars Senatus, verentes ne ab illo, vel ab illis quoq; quos Antiochia discessurus inde secū abduxerat, qui & ipsi quoque, quiduis peruersum euomūt, &c. Et inferius item aperit omnes Orientales Episcopos commenta Nestorij exuflare.

Nest pro scium.

16. Vnde autem Nestorij tanta durities, vt aduersante licet Catholico orbe non dimitteret animum, patet ex eiusdem Baronij verbis, quia Imperatorem fauentem sibi natus fuit, non quidem vt eius patrocinaretur impietati, sed donec controuersia illa à sancta Ecclesia dilucidata foret. Ipsum Antiochia accerserat, reliquos dimisit Clericos, vt illi faueret; Imperatoris intuitu Cleri, & populi calculos obtinuit fauorabiles, vt quod semel fecerat, rectè factum esse defenderet (quod solent Principes) causæ Nestorij præsto erat. Hinc Cyrilli prudentia fulget, quod cum ad Cœlestinum scribat, numeratq; omnes Nestorio resistentes, nihil de Imperatore loqui, neque eum rursum accusare; sed solita modestia, quæ essent eius studia pro Nestorio reticere; quæ quidem potius per Legatum, quem misit Possidonium, ei secreto nuncianda, quam litteris credenda, putaret.

Vnde Nest. factus.

17. Imperatoris ergò fauore incalescens bestia illa, furere cæpit in orthodoxos omnes, vnde populus publice inclamare non est veritus, Regulum habemus Episcopum non habemus: qua voce ira percitus, partem crudeliter diuerberare; partem diris obiurgatam minis, dimittendam curauit. Dum item in Ecclesiam concionem haberet, non defuerunt coram illo aperte reclamantes. Imò simplex, quidem Monachus (nostri Instituti non dubitamus) zelo Eliæ vehemēter instigatus per mediam Ecclesiam progres-

sus,

sus, impietatis præconem, quod hæreticus esset, quodq; populi synaxis haberetur, ab ingressu prohibuit: sed & illum Nestorius cęsum Præsidibus tradidit; flagrisq; denuo dissectũ, publico præcone, non absque clamore præeunte, miserando spectaculo in exilium expulit.

18. Qualia autem dirè sint passi, & Nostri, & alij Monachi in libello Basilij Archimandritæ inter acta Concilij Ephesini relata leguntur, & fusè apud Baronium. Quare libellum modestia atq; pietate flagrante Theodosio Imperatori afferunt, ad cuius postremum ista subijciunt. Quamobrem iterum atq; iterum immortalem pijssimamq; fidem vestram obtestamur, ne Orthodoxam Ecclesiam, Orthodoxi pijssimiq; regni vestri temporibus, ab hæreticis adulteratam, in posterum neglectui habeatis. Non expetimus contumeliam indigne nobis illatam vindicari, Deus nouit: Desideramus autem Christianę fidei fundamentum inconcussum, immotumq; persistere. Vestra proinde Maiestas sacram, & Oecumenicam synodum primo quoque tempore coire, iubeat. Hæc sanctissimi Monachi. Mala à nostris perpessa.

19. Interim impijssimus Nestorius odio, & conuicijs in in sanctum P. N. Cyrillum armatur, at qui in Dei protectione commoratur, non verretur. Instabant quidem orientales Episcopi, Cyrillum synodum congregare, ad Anathemate feriendum, qui Mariam Deiparam negauerit; tamen & pacis, & modestiæ causa, sine Cœlestini iussu minimè faciendum censuit. Imò tanta pollebat mansuetudine, vt Clericos Constantinopolitanos adhortaretur, ne libellum in Nestorium ab eis confectum Imperatori darent. vt fortè resipiscentia ductus, pœnitentiam ageret Nestorius ille. Potius Epistolas adhortatorias conduplicauit, vt Cyrilli Epist. 6. 7. 8. & 14. videre est, vt quę sunt pacis obtineret. Odium Nestor in Cyrillũ.

20. Interim Nestorij litteræ per Antiochum virum illustrem Cœlestino Romano Pont. anno 430. sunt redditæ eodem quoq; tempore Cyrilli litteras, & volumina per Posidoniam Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconum accepit. At scripsit Nestorius vt in suam si posset traheret sententiam Cœlestinum Papam. vt ex 16. Cyrilli Epistola apertè conuinci- Nes apud Cœlestinũ Pont. malitia.

tur

tur, sed fefellit miserum inanis spes, cæca pręsumptio. Cyrillus verò, ex aduersò Nestorium Christo, & Deiparę Virgini lucrari studebat. Vnde dilatione, & pacientiæ studio impium saluti dare conabatur. Cùm igitur Cœlestinus valdè animo angeretur de Nestorij impijssimi temeritate, lectis vtriusq; partis delatis litteris, & voluminibus, tandem conuocat Episcopos; habita synodo, omnium sententia fuit tanta blasphemia condemnata; Auctori verò ipsius decem dierum ad resipiscendum concessum est spatium, eadem damnatione feriendus, & ipse si in asserto errore persisteret. Dein Epistola Cœlestini responsiua Nestorio, eius nuncio consignata fuit; quemadmodum, & Posidonio litteræ Cyrillo deferendæ, quibus summi Pontificis Vicarius constituebatur in prosequenda Nestorij causa. Vnde apertè tradit Theodorus Balsamonus in Nomoc. Photij. Tit. 8. cap. 1. Cœlestinum Phrigium pallium Cyrillo nostro misisse, quo significatur plena potestas: vt de Eliæ P. N. Pallio Eliseo collato sacræ tradunt historiæ, & eo Cyrillum esse vsum in Ephesino Concilio, & in sacris solemnijs more Romani Pontificis: quod priuilegium affirmat esse propagatū postea ad Alexandrinos Episcopos successores. Nicephorus lib. 14. c. 34. mitram qua Romani vterentur Pontifices, à Cœlestino missam affirmat, necnon nomen Papę; sed & concessum dicit, vt appellaretur vniuersi orbis iudex: l. c. 1. hæc omnia non benè à Baronio probentur.

Synodus Romana.

21. E quibus non absre deduci potest, nostros Eremitas, Monachos per Cyrilli auctoritatē à principio eis collatam denominationem, vt in honorem B. Virginis deinceps appellarentur. Fratres Eremitę B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, eo quod nostri omnes ab Ephesino Concilio originem traduxisse scribunt de titulo isto.

Pro Carmelitis.

22. Accepta Pontificis Epistola à Posidonio vna cum plena eius vicariali auctoritate, in causa Nestorij prosequēda, statim primores orientis Episcopos per litteras certiores de omnibus fecit. Acacium Berocensem, Ioannem Episcopum Antiochensem, Ruffum Thessalonicensem, Iuuenalem Hierosolymitanum, Macedonianos, Syrios, Aegyptios,

Auctoritas Cyrilli à Pont.

ptios, & alios, qui omnes hæresim Nestorij execrabantur. Nec deerunt Antistites, qui pro Nestorio fortiter steterunt. Theodoretus Cyri Episcopus, Theodorus Mopsuestenus, Diodorus Tarsensis, & alij Nestorij patrocinū suscipiētes.

23. Adhibita boni Prçsulis diligentia in causa fidei confestim collegit Alexandriç Synodum: in qua prçcognitis his, quç ab eodem Cçlestino Papa aduersus Nestorium scripta fuissent, quatuor in primis decernūtur legati, qui Constantinopolim proficiscantur reddituri litteras Cœlestini ipsi Nestorio, cum decreto damnationis, nisi intra prçscriptum terminum resipisceret: legatorum nomina hçc sunt. Theopensus Episcopus Cabasorum, Daniel Episcopus Darnensium, Potamon, & Macarius ex Monachali nostro Ordine; litteras sanctç Synodi acceperunt Nestorio personaliter consignandas. vt in actis Concilij Niceni Tom. 2. c. 16. quibus ad abiurationem, & publicam anathematizationem sanctè inuitabatur; Prçmissa ab Episcopis orthodoxis fidei professionem; decreta circa Eucharistiam, & Nestorij hæresis damnata capita duodecim sunt explicata illi; Addentes litteras S. Synodi ad clerum Constantinopolitanum, & alias quoque ad Monachos tum nostros, tum alienos, vt apud Cyrillum Epist. 19. Synodus Alexan.

24. Acceptis legati litteris à Synodo Alexandrina Constantinopolim adeunt, & die Dominica, cū synaxis peragetur ad Episcopalem domū ascendētes toto prçsentè clero, multisq; proceribus astantibus litteras Nestorio reddiderunt. Quibus nihil respondit, conueniunt priuatim die sequenti, sed aditum illis interclusit. quod, & altero præstitit die. Confusi, de redditu cogitant. Interim ad Imperatorem confugit Nestorius, eiq; suadet Cyrillum Apollinaris hæreses suscitare, & per Andream, & Theodoretum conflatis duodecim capitibus in Cyrillū inuehere student. Quamobrem Theodosius Imperator rem eo progressam ratus, vt opus esset vniuersali Concilio (quippe quod non Nestorius tātum, sed & Cyrillus reus criminis hçresis diceretur) apud Cælestinum. R. P. egit de conuocando Concilio vniuersali in annum sequentem Ephesi. Factum id quidem Cælesti- Nest spernit legatos Alex.

rios Episcopos vna cum mandato sanctæ Synodi, quos superbè omnes audire negauit. Accusatur eius contumacia, visum est Patribus, iudiciario seruato ordine, vt Nestorius etiam tertiò per Episcopos citaretur, vna cum expresso Notarij mandato, at cum per milites fustibus armatos Nestorij domum ingredi negatum esset, expectatioq; frustraretur iàm tertiò facta est relatio de illius indurata peruicacia. Citatur Nest.

27. His auditis, spe aduentus Nestorij frustrata, ad Synodum celebrandam animum conuertunt, & impendunt officia. Lecta est Cyrilli Epistola ad Nestorium; qua ab omnibus Catholica comprobata, mox iussa est legi antigrapha Nestorij ad Cyrillum, quæ vt hæretica omnium sententia improbata est, & vt impia conclamata, pariterq; damnata, damnaturq; cum ea Nestorius his clarissimis vocibus: Quicunq; Nestorium non anathematizat, anathema sit, hunc recta fides anathematizat. Quicunq; cum Nestorio communicat, anathema sit. Omnes Nestorij Epistolas, & dogmata anathematizamus. Quicunq; hunc non anathematizat, anathema sit; Hunc recta fides anathematizat: Hūc sacra Synodus anathematizat, qui Nestorio communicat, anathema sit. Subinde lectæ sunt litteræ Cælestini Papæ, post factæ sunt relationes blasphemiarum prolatæ Constātinopoli, quæ cum execratione auditæ fuere. Aliæ quoque ad Concilium spectantes lectæ sunt litteræ. Nest. anathematizatur.

28. Verum sententia aduersus Nestorium sic se habet. Cùm inter cætera religiosissimus Nestorius neq; nostræ citationi parere, neq; sanctissimos rursus religiosissimosq; Episcopos nostros ad se missos admittere voluerit; non potuimus ad eorum, quæ impiè docuit, examinationem, animum non adiungere. Edocti itaq; partim ex litteris, commentarijsq; illius hic publicè lectis, partim rursum, e sermonibus quos in hac Ephesiorum Metropoli habuit, quiq; testimonijs comperti sunt, illum impiè docere, & sapere, per sacros Canones, sanctissimiq; R. Eccl. Episcopi Cælestini P. N. Litteras: lachrymis suffusi, & penè inuiti ad lugubrem hanc sententiam ferendam vrgemur. Igitur D. N. Iesus Christus, quem suis ille blasphemijs, vocibusq; impe- Sententia cōtra Nestorium.

tinit, per sacram hanc Synodum eundem Nestorium omni prorsus Episcopali dignitate priuatum,& ab vniuerso nihilominus Sacerdotum consortio, & cœtu alienum esse decreuit: & ei omnes Episcopi subscripserunt, numero supraducenti. Statim litteras dederunt ad Nestorium deferendas, quæ incipiunt. Sancta Synodus iuxta religiosissimorum, Christianissimorumq; Imperatorum nostrorũ præscriptum in Ephesiorum Metropoli per gratiam Dei coacta, Nestorio nouo Iudæ. Agnosce te propter impias conciones tuas, &c. Hic finis actionis primi diei. Sic proiectus est Draco ille magnus, qui insidiabatur Virginis partui, inuidens illi diuinitatem. Et sicut in Cœlum magnum pertigit gaudium Angelos omnes easdem voces victoriæ iterum repetentes; Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius, quia proiectus est accusator fratrum nostrorum. Apoc. c. 15. ita, & in Ecclesia Dei fideles exultantes gloriam, & laudem Deo dederunt, & Christo eius cum Spiritu sancto, qui vindicasset per sanctos Patres sanctissimam Virginem Mariam Deiparam à Nestorij portentosa calumnia. Integra dies in hac actione consumata est, quæ fuit 22. mensis Payni. Perdurauit vniuersus Ciuitatis populus, à mane vsq; ad Vesperam sanctæ Synodi iudiciũ expectans, prout ex litteris D. Cyrilli ad Alexandrinos aperte significatum est, & vt audierunt infelicem illum esse depositum, cæperunt omnes vna voce sanctam prædicare Synodum, & Deum glorificare, quod cecidisset fidei inimicus. Quare Patres egredientes ab Ecclesia deduxerunt cum lampadibus vsq; ad diuersoria propria (erat enim iam Vespera) & facta, est multa lætitia, & luminaria in Ciuitate posita, ita vt mulieres, quoque adolentes thymiamata cum thuribulis Episcopos præcedebant. Hæc ex Cyrillo ad Verbum.

Secunda actio. 29. Secunda actio secuta est die 23. Iunij. In qua Cyrillus noster cócionem habuit ad Patres, cuius est exordium. Alacrem video congregationem Sanctorum omnium, qui hic promptè à sancta Deipara Maria vocati conuenerunt, &c. Vbi complura in laudem sanctissimæ Dei genitricis locutus, in Nestorium acerrimo (vt par erat) inuectus est.

Deu

Dein scriptę sunt litterę ad Theodosium Imperatorem, item aliæ ad Eucharium, & Clerū Constantinopolitanum. Interim funesta quæ acciderunt, ipse stylus, ait Baronius, magnopere exhorrescit. Etenim ira accensus Draco Nestorius, tragediam excitauit omnium funestissimam. Nam candidianus comes aduersus Cyrillum nostrum, & reliquos Patres, quod non expectassent Ioannem Antiochenum Episcopum, & alia multa in ipsos calumniatus est per litteras apud Imperatorem; calumnijs multis. Scripsit quoq; Nestorius eadem ferè mendacijs plena; cui subscripserunt nouem, qui cum eo erant Episcopi, Fritillus Heracleæ, Helladius Tarsi, Himerius Nicomediæ, Alexander Apameæ, Eutherus Tyanotum, Basilius Thessaliæ, Maximns Anazarbi, Alexander Hierapolis, & Dorotheus Marcianopolis Mysię. Nestorianæ fæces.

30. Die quinta à Nestorij damnatione (subdit Euagrius) Ioannes Episcopus Antiochenus vna cum suis Ephesum venit die 26. Iunij. in occursum eius, processerunt Episcopi nonnulli à Concilio missi, qui à militibus reiecti, Ioannem non sunt allocuti; associarunt tamē ipsum vsq; ad propriam domum, & post multas horas Episcopos vocauit per milites, de excommunicato Nestorio certiorem nomine Concilij reddiderūt; Episcopos verberari iussit cum discrimine vitæ: Qui ad sacrum Concilium venientes, & plagas ostendentes, ad indignationem mouerunt sanctum Concilium; & ipsum statim excommunicatum declararunt. Hic sessionis secundæ finis. Nest. superbia.

31. Tertia actio. Ioannes cum Nestorio, & suis Nestorianis quęrelas cōtra Cyrillum, & Memnonem effinxerunt; quod Memnon Nestorio Ecclesias clausisset, atq; eius clericis minas intentasset. Quod Cyrillus scriptis suis hæreses admiscuisset, & omnes Episcopos, qui legitima Synodo interfuerunt turpissimè infamarunt. Quare alios excommunicarunt, alios damnarunt, & nulla auctoritate fulti more schismaticorum, & hæreticorum sacros Canones subuerterunt. Tandem sententiam tulit Ioannes in Cyrillum, & Memnonem, aliosq; œcumenicos Episcopos, qua exauctora- Tertia sessio.

ti plectendi erant, nisi Cyrilli capita anathematizent.

Deinde libellum damnationis ab ipsis Nestorianis cõtra sanctam Synodum confinxerunt, cui quadraginta tres Episcopi subscripserunt, sed hæc omnia latenter, & occultè acta ad Imperatorem, & proximiores Ciuitates missa infamandæ sanctæ Synodi gratia. Et quod pessimum est Pelagianam hæresim restituerunt.

Quarta sessio. 32. Quarta sessio continet legatorum Cœlestini aduentum, litterarum Pontificis publicam in Concilio lectionem Nestorij confirmatam damnationem, & acta recitata vsq; ad hunc diem.

Quinta sessio. 33. Quinta sessio autem habet legatorũ sententiam pronunciatam contra Nestoriũ, vna cum singulorum subscriptione. Scriptæ quoq; Epistolæ sunt ad Imperatorem Theodosium Constantinopolim. Item ad Clerum Constantinopolitanum, eodem ferè argumentò. Dolosæ non defuerũt Nestorianorum Machinę aduersus sanctum Patrem nostrum Cyrillum, quem præ cæteris odio prosequebantur. Scribentes ad Alexandrinos Cyrillum nouas excitasse hæreses, & in Deo carum virum Ioannem Chrisostomum in furorem esse versum. Quem per litteras Isidorus Pelusiota monuit. vt lib. 1. Epist. 310. Victorem quoque Monachum sanctum in vulgus sparserunt, quod hostis Cyrilli esset, cum idem profiteretur institutum, & prædicare Nestorij dogmata, sed cum Ephesum se contulisset Nestorianorum mendacia, inculpato ore detexit.

Sexta sessio. 34. Sexta sessione Catholicis Episcopis innotuit, quę Nestoriani impudenter egissent aduersus Cyrillum, & Memnonem, & omnes reliquos œcumenicæ Synodi Antistites: cõsulturi, quid in re tanta agendum foret, decima sexta mensis Iulij in eandem Dei Genitricis Basilicam conuenere, oblatus est quærellarum libellus, à Cyrillo, & Memnone aduersus Ioannem Antiochenum. Citatus est ex Acacij sententia, vt ad sanctam Synodum conueniat, quod præstiterunt tres Episcopi Petrus, Paulus, & Archelaus, licet à militibus impediti, vestibulum ædium eius, vix ingrediuntur. Sed secundò per alios tres Episcopos decernit sancta Synodus,

dus,

dus, esse citandum, sed obuiam habent milites euaginatis gladijs, qui non permiserunt Ioannem alloqui posse. Imò declarauit Cyrillum excommunicatum, vna cum vniuersa Synodo, & ipsum hæreticũ esse Apollinaristam: & hæc omnia nũciarunt Imperatori; & publicã affixerunt schedulam.

35. Die 7. Iulij. habita est Concilij septima actio. In qua Cyrillus de affixa publicè charta quæstus, petijt Ioannem moneri. Sancta Synodus ergo voluit tertiò Ioannem per tres Episcopos citari, qui & ipsi tertiò reiecti fuere; recusantes chartam quandam ab Archidiacono Ioannis accipere, qua excommunicabantur, & vniuersa sancta Synodus, & Cyrillus, & Memnon Episcopi, tanquam incentores malorum, & hæresiarum omnium. Subscribebant autem triginta sex Episcopi. Vnde sancta Synodus ægrè ferens maximam hanc Ioannis sententiæ temeritatẽ, irrita duxit omnia illius acta, & Epistolam dedit ad Imperatorem Theodosium, per expeditos tabellarios. Scripsere insuper sanctæ Synodi Patres Epistolam Encyclicã ad vniuersos Christi fideles, quibus omnium Episcoporum nomina, qui damnati omnium cõsensu fuerant, voluit innotescere; est ipsius initium. Cum essemus Ephesi secundum Imperatoris litteras congregati, &c. cui adiacere, sex Canones, quibus sancta Synodus significauit, ne quis se coniungeret cum Nestorio, vel eius partes tutantibus, & inhærentibus schismaticis Ioannis, ac socijs, vel sectæ Pelagianæ viris; qui vero secus fecerint, vt deijcerentur ab Episcopatu, & subiacerẽt anathemati, iussit. *Septima sessio.*

36. Post hæc verò per dies quinq; cessatum est à sacris comitijs: quo tempore creditur illam habuisse ad Populum homiliam S. Cyrillum, cuius est exordium Hom. 3. Quæ dilectissimis in Christum sit virtus, &c. In qua notat aduersus Ioannem apostrophe, digna relatu, vbi ait. Ad te namq; mihi sermo nunc est, qui elatum aduersus omnes supercilium erigis, & ex orientalibus regionibus huc venisti. Itaq; hi vniuersi saluatoris nostri omnium ministri sumus, & concreditum est nobis prædicationis istius ministerium: ob quam causam non omnes cum illo summus, vt quæ illius *Cyrillus concionatur.*

sunt

sunt, velimus? erexit (vt vides) Draco ille multorũ capitum caput prophanum, ac scelestũ, vt in Ecclesiæ filios, impietatis suæ venenum expuat. Occurro illi nudatum habens sancti spiritus gladium; pugnoq; aduersus hanc bestiam propter Christum, Qua de causa non collaboras cum eo, qui hoc bonum facere conatur? Quare, & ipse non simul consistis in acie? Sternatur omnium manu. Commune reputemus hoc certamen, & simul vincentes, gratias referamus Saluatori, dicentes. Contriuisti capita Draconis, &c.

Octaua sessio. 37. Octaua sessio habita est post dies quinq; .i. vigesima secunda die Iunij, in qua cautum est neminem subscribere audeat aliam fidei professionem, quam Nicenam, absq; vllo additamento sub grauissimis pœnis; & hoc quoniã Nestoriani decipere quærebant multos quadam professione exhibita, erroribus plena.

Nona sessio. 38. Nona sessio subsequuta est die sequenti, nempe 23. Iulij, in quã actum est de damnatione hæresis Pelagianæ: iuxta præscriptum Romanum. vt apud Cyrillum epist. Synod. 12. Vnde ciues Ephesij ardore fidei Catholicæ æstuãtes, haud pati potuerunt, eosdem Pelagianos Episcopos intra Ciuitatis mænia contineri, sed populari vi atq; tumultu protinus expulerunt.

Causæ in Conc exa minatæ. 39. Post hæc Canones sex edidit, & Epistolam ad vniuersos Christi fideles, publicauit, atq; diuersæ causæ sunt productæ. Iuuenali qui primatum totius Palestinæ, sibi & successoribus arrogare tentauit, cum graui Cæsariensis Ecclesię prẹiudicio, restitit Cyrillus noster totius Ecclesiæ nomine. His ita absolutis S. Synodus ad Theodosium Imperatorem litteras dedit, quibus petijt, vt Episcopis iam mala valetudine, & inopia laborantibus daretur ad propria remeandi licentia: vt plenè apud Baronium.

Candidiani comi tis fraus. 40. Verum cum à Candidiano comite Nestorij atq; Ioãnis fautore nedum Imperator, cuius erat Vicarius fraudibus decipitur, sed omnes epistolæ, & sanctæ Synodi litterę detinebantur, Patres Concilij fidum nacti hominem, quem credimus ex nostris, concedente, procuranteq; Cyrillo, eũdem in mendicum, Eremitico nostro deposito habitu trans-

fo-

formârunt, cui loco baculi, quo peregrinantes vti solerent, præbuerunt arundinem, quę intus litteras omnes ab eis scriptas Constantinopolim ad diuersos includeret, exemplaria, nimirum omnium litterarum, quas ab interceptoribus ablatas acceperant; sicq; hac via benè consultum est, vt ipsorum litteræ, serò licet, peruenerint tamen ad Imperatorem. Non desistebant interim Nestoriani calumnias, & probrosas litteras in sanctam Synodum, tum apud Imperatorem, tum alios Constantinopolitanæ vrbis dare quotidie.

41. Dum autem S. Cyrillus videret sanctos Episcopos ærumnis præssos adhuc Ephesi detineri; vt merentes erigeret, egregiam habuit concionem, cuius est exordium huiusmodi. Propheta Dauid, qui spem suam ad Deum fixā habent, ad constantiam inflāmans ait; Viriliter agite, & confortetur cor vestrū omnes, qui speratis in Domino. Psalmus 26. &c. Cum hęc Ephesi gererentur, accidit vt litteræ per Monachum habitu transformatum ad mendicitatē missæ Constantinopolim deferrentur arundini inclusæ. Quibus lectis & cognitis tyrannidem, quam Nestoriani in sanctos Patres exercebant, zelō æstuantes eo fiduciæ peruenere, vt absq; metu in aulam irrumperent, omniaq; Imperatori palam facerent, vniuersamq; ciuitatem ad fidei catholicæ defensionem commouerent. Hi autem fuere Archimandritæ, quos Monasteriorū Priores appellitamus, Comarius, Potamon, Dalmatius, & alij tum ex nostris, tum ex alienis, qui Monachorum cateruis stipati exurgunt, hymnos, & psalmos cantantes ad Regiam contendunt. Archimandritę grato accepto responso, ad Monachorum turbam, quæ antiphonarum modulationi intenta foris expectabat, reuertuntur, & ex Regis voluntate ad sancti Mocij Basilicam contēdunt omnes; cum hymnis, & cereis procedentes, contra inimicum Mariæ exclamabant pijssimi viri. E suggesto per Dalmatium recitata fuit, ad Archimandritas, & populum Constantinopolitanum Sinodalis oratio.

S. Cyrill. iterum cōcionē habet.

42. Quam dum recitaret aperta est Imperatori Nestorianorum deceptio, & clamabat Populus anathema Nestorio. Hic multa consulto, pretereo, quæ Constantinopoli facta

fue-

fuere Imperatoris iussu, quæ à Baronio feliciter, vt omnia tradũtur. Interim ab eo mittitur decepto, ad tẽpus, ad Nestorianos legatus Ephesum, qui dubijs animum Imperatoris repletum, & ancipitem demonstrauit. Et prima die peracta litteris Imperatoris patefactis declarauit, Nestorium, Cyrillum atq; Memnonem iure depositos: quos omnes, ne dissidia maiora concitarentur in populo, carceri quemq; suo voluit mancipatos. Doluerunt Catholici, & ad Imperatorem litteras statim miserũt, gaudentes pro Domino tot malis agitari. Scribunt, & Nestoriani pro restitutione Nestorij, quod & Catholici Patres item præstarunt, at vbi Nestoriani fraudibus Catholicam fidem sunt professi, Catholici verò nunquam à veri tramitè nec lato vngue diuelli potuerunt. Scripsit Cyrillus ad Archimandritas, & Monachorum Priores, ac Patres, ne à fide, Nestorianorum suasu vnquã deficerent. Accesserunt Episcopi, & Monachi diuersorum ordinum, cum nostris, vt sanctam fidem Catholicamq; Synodum vsq; ad sanguinis profusionẽ defenderent. Ad quos, Episcopi Synodi litteras miserunt, & versa vice consolatorias item receperunt, Cyrillum summis laudibus animantes ad susceptos labores pro Christi matre Maria libenter perferendas.

Cyrillus carceratur

43. Interim Theodosio Imperatori libellus offertur à Catholicis Alypio, clero, & Monachis potissimum nostris, pro Cyrilli defensione, qui tanti ponderis apud Theodosium fuit, vt mutato consilio decerneret, aliquos vtriusq; partis Episcopos Epheso ad se vocare Constantinopolim. Sed ciuitatem neminem ingredi permisit, seditionis ciuium timore perculsus, & bonorum Monachorum impetum timẽs, sed in Ruffiniana villa illos seorsum audire, voluit. Interim Nestorius liberatur Constantinopolitano Episcopatu priuatus, quod accidisse tertia die Septembris ex Baronio non dubitamus; cum verò schismatici intellexissent Imperatorem, in Ruffinianam villam cõcessisse iterũ, audientiæ gratia, libellos cõduplicarunt aduersus Cyrillũ, & cõparere negarunt, ex quo Imperator orthodoxis Nuncijs vrbem ingredi potestatem fecit, & scripta aduersus Cyrillum, vt va-

Nuntij Concil. ad Imp. vocantur.

na

ita penitus abolenda censuit, iubens schismaticorum nuntios ad propria redire. Quo decreto consternati aduersarij, tertium libellum in Cyrillum ediderunt, sed omnia vana, vani illorum conatus, vani illorum libelli, omnis iniquitas oppillauit os suum. At vbi Diabolus comitum persuasionibus, Theodosij in orthodoxos propẽsionem perturbare conabatur, S. Pulcheria itèm pro sanctis viris laborare diu, noctuq; non desistebat, cuius quidem clamoribus excitatus Theodosius orthodoxis fauere decreuit.

44. Verum pijssimus Imperator, ne aduersarij confusione præssi discederent, voluit, vt vna cum Catholicis de Cyrilli. 12. Capitibus conflictatio haberetur: Sed recusarunt schismatici, ante Imperatorem venire in concertationem, quare dimissi ab Imperatore, desperatione victi, ad propria reddire iubentur. Negant Nest. congressum.

45. Nestorij defensor factus Theodoretus multa apud Calcedonenses concionatus est, multa item ad Imperatorem scripsit, ex quo tãdem metuit inter Nestorianos adnumerari: Quibus peractis, loco Nestorij suffectus est Maximianus in Ecclesia Constantinopolitana, & iussu Imperatoris sancitum est omnes Episcopos in propriam abire regionem. Vnde Cyrillus Episcopus ordinis nostri decus perpetuum post tot labores, in honorem Deiparę Virginis Mariæ de Monte Carmelo exantlatos, Alexandriam ingressus, Athir tertia, i. tertio Kal. Nouemb. à tota Ciuitate suscipitur cum multa excellentiæ gloria. Ei datæ sunt litteræ à legatis Constantinopolitanis, & à Maximiano Episcopo Constantinopoli, congratulationis gratia. Laudes Deo sunt cumulatim relatę, Laudes Cœlestino Pontifici Romano Maximo, laudes Cyrillo Episcopo Alexandrino, laudes Carmelitis, de cuius familia excerptus est miles, qui ꝑ Deiparæ Virginis Mariæ honore, cũ suis commillitonibus, tam indefessè, aduersus Nestorianam hæresim diu noctuq; gloriosè laborauit. Nest. dedi-tur.

46. Quatuor hic subijcienda censui pro Carmelitis; ad perpetuam Santiss. P. N. Cyrilli memoriam.

Primum, quod cum inter sanctos P. N. frequenter in Tem-

Ad Angelicam salutationem additamentum.

plis nostris ob partam victoriam cōtra Nestoriū canerent: Mater Dei Maria ora pro nobis; nedum titulus iste vbiq; locorum receptus in Templis nostræ Cōfraternitatis; verum, & additamentum illud accepisse in vniuersa Ecclesia Angelica salutario facile creditur. Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis pec. nunc & in hora, &c.

Titulus Carmel.

Secundum; quod N. Patres, ex consensu omnium nostrorum Historicorum, appellari cæperunt, hoc speciosissimo titulo Fratres Eremitæ B. Mariæ Virginis de monte Carmeli, in memoria Cyrillianæ victoriæ contra Nestorium; Titulus inquam à summis Rom. Pontif. confirmatus, & indulgentijs decoratus.

Templum B.V.

Tertium; Quod quemadmodum primæuis Ecclesiæ temporibus Eremitę nostri Monachi primi omnium in Carmelo Templum excitarunt, in honorem B. Virginis Mariæ, ita illorum suasu Pulcheria Virgo sanctissima excitauit amplissimum tantæ victoriæ monumentum, veluti triumphalem fornicem, erigens nimirum sub nomine Dei genitricis Mariæ augustissimum Templum, in Blachernis iuxta mare positum, cui consignati sunt Monachi nostri, vt credere par est, ob Pulcheriæ in nostrum Ordinem maximam propensionem.

Nest. punitio.

Vltimò. Quod pro Matre vindice Deo, exauctoratus est Comes Ireneus Nestorij fautor, pariter eisdem pœnis priuati sunt Candidatus, Palladius, & Ioannes Episcopi, tanquam Imperatoris Ludificatores, librosq; Nestorij vltricibus flāmmis absumendos Imperatoris iussu condemnauit iudex.

Opera D. Cyrilli.

47. Interim S. Cyrillus libros pro Catholicæ fidei defensione edere non desistebat; quorum Syllabum, ex censura Illustriss. Bellarmini, de scriptoribus Ecclesiasticis hic inserere lubuit.



Elen-

Elencus operum S. Cyrilli Episcopi Alexandrini Ordinis fratrum B. Mariæ de monte Carmeli.

Tomi Primi.

In Genesim ad litteram, & mysticè explanationum lib. 11
In Leuiticum. 16
In Isaiam. 5
In Euangel. S. Ioannis. 12
Dicta vet. Test. Anagogicè explicata, collecta ex Cyrillo, Max. & alijs.
Liber aduersus Iudęos, cum quæstionibus.
Breues anagogæ, de ijs qui floruerunt ante legem.

Tomi Secundi.

Epistolæ S. Cyrilli ad diuersos, & diuersorum ad S. Cyrillum num. 39
Homiliç præsertim de Incarnatione, quas edidit in Carmelo. 10
Apologia ad Theodosium Imperatorem. 1
Declaratio 12. Anathematismorum. 1
Liber Apologeticus pro suis Anathematismis.
Alius Apologeticus lib. ad Euoptium pro ijsdem capitibus contra Theodoretum.
Expositio Symboli Niceni.
Scholia de Incarnatione vnigeniti.
Epistolæ duæ ad successum Episcopum.
Synodales Epistolæ. 12
Dogmata Nestorij ex ipsius libris excerpta.
Oratio de exitu animæ, & secundo Aduentu.
Opus insigne, Thesaurus inscriptus. lib. 14
Dialogorum cum Hermia Monacho Carmel. lib. 7
De adoratione in spiritu, & veritate. lib. 17
Contra Iulianum Apostatam. lib. 10
De recta fide ad Theodosium, & Reginas. lib. 3
Aduersus Antropomorphitas. lib. 1
De sacrosancta Trinitate. lib. 1
Commentaria in Prophetas minores. lib. 1

Cælest. Papa lætatur

48. Nunc ad acta S. Cyrilli sermo reuertitur. Etenim Cælestinus Pontifex paulò ante obitum ex profligato Nestorio summopere lætatus, ad omnes Episcopos separatas dedit Epistolas enciclicas. ex Baron. an. 432. Litteras quoque ad Theodosium Imperatorem semper augustum, ad Maximianum Episcopum Constantinopol. Clerum, & Populum eiusdem Ciuitatis, vna cum laudibus S. P. N. Cyrilli serena facie dedit. Scripsit item ad Nestorium, sed vbi latro conuersus est ad Christum pœnitendo, Nestorius sacerdos, & Episcopus obduratus sēper restitit diuinę vocationi.

Moritur.

49. Demum Cælestino demortuo suffectus est Sixtus primus, qui & ipse Ecclesiam orientalē pacificare per summum Imperatorem, & Cyrilli studium valde laborauit. Quod excitauit in ipsum hæreticos, censores, maledicos, quorum calumnias quemadmodum prætexere nequiuimus, ita ab illis omnibus B. Virgo Maria Cyrillum suum plenè liberauit.

Sixtus primus creatur.

Eius Studium.

50. Nunc ad finem properantes scitu dignum referimus. Etenim Nestorius Imperatoris edicto, in Oasim relegatus fuit, quæ Ciuitas à barbaris capta, captiuus quoque ducitur Nestorius cum alijs, & dum Panoplim habitare censet, vagans incerta sede, varia mutare loca cogitur. Tandem miserandus Nestorij interitus ab Euagrio his explicatur verbis. Eius linguam vermibus exesam fuisse, sicq; cum huius vitæ miserijs ad grauiora supplicia, iusto Dei iudicio infligenda, eaq; sempiterna migrasse. Hæc Euagrius lib. 1. cap. 8.. addit quoq; Theodoretus lector in Collectaneis, totum eius corpus putredine fuisse consumptum.

Crudelis mors impijssimi Nestorij.

51. Anno 439. Multa ab Africanis Idololatris passi sunt Monachi nostri, à quibus diuina B. Mariæ Virg. ope tandem liberati fuere. Addentes illud in vitis SS. Patrum, quod cū Anachoreta quidam in hæresim laberetur; cum enim audisset de Melchisedech Dei Sacerdote, fuisse sine Patre, sine Matre, & sine genealogia, credebat cum Melchisedecianis Christū filiū Dei esse Melchisedech. Indicatur S. Cyrillo ab alijs Monachis, adijt ad illius Monasteriū, & vt mederetur ei dixit: Abba, rogo te, quia in cogitatione mea est, quod Melchisedech ipse sit filius Dei, & rursus alia cogitatio mea dicit,

Prudētia S. Cyrilli.

dicit, quod non sit Deus, sed homo sit, & summus Sacerdos fuerit Dei. Quoniam ergo hæsito de hoc, idcircò veni ad te, vt depreceris Deum, quatenus tibi reuelare dignetur, de hoc quid veritas habeat. Senex autem de conuersione sua præsumens: cum fiducia dixit. Da mihi tres dies inducias, vt ego deprecer Deum de hac re, & renuntiabo tibi quid mihi fuerit reuelatum de hoc. Intrans in Cellam suam, deprecabatur Deum de verbo hoc, & veniens post tres dies dixit Cyrillo, certò scito Melchisedech non esse Deum; cui Archiepiscopus, quomodo constat apud te Abba? & ille, Deus ostendit mihi omnes Patriarchas, ità vt singuli eorum coram me transirent, ab Adam vsq; ad Melchisedech; & Angelus mihi assistens dixit, ecce ille est Melchisedech, certò ergo est, quod sic est. Abiens autem Senex per semetipsum prædicabat, quod homo est Melchisedech, & gauisus est summopere Cyrillus.

52. Sed iam calamum cum obitu S. P. N. Cyrilli deponimus; plenus enim dierum, & bonorum operum anno 454. post recepta de more Ecclesiæ sacramenta, post effusas ad Deum preces, post pia ad Monachos nostros adhortamenta, post egregia facinora, cum Alexandrinam annos 32. rexisset Ecclesiam, vt Liberatus Diaconus tradit, tandem in Angelorum manibus astante Corona fratrum, ex hac vita feliciter ad Dominum migrauit. Quinto Kal. Feb. apud latinos. Vnde Græci in Menologio profitentur eiusmodi Elogio tanto viro dignissimo: Natalis S. Cyrilli Alexandrinæ Ciuitatis Episcopi eruditissimi, & Catholicæ fidei propugnatoris egregij, quem summus Pontifex Cœlestinus idoneum iudicauit, cui vices suas in Ephesino Concilio delegaret. Hactenus. S. Cyrilli mors preciosa.

Hæc pro Dei gloria; ex Baronij Annotationibus, & Calendis ad Verbum fideliter trãslata breuiter collegisse volui. Ille qui pro Deiparæ Virginis honoris diu laborauit, & alsit; qui pro fide Catholica in sudore vultus afflictatus innumera mala pacienter passus est; Qui Alexandrinam Ecclesiam tanta cum sanctitate, & prudentia laudabiliter rexit; Qui totum orbem immensa scriptorum suorum mole docuit, Peroratio.

cuit, illustrauit; Qui Carmeli nomen ab ortu vsq; ad occasum diffudit, expandit; ille inquàm pro me misero peccatore, suæ Religionis allumno, in Empireo Cælo Deum, assiduis orare precibus non dedignetur, vt ipso patrocinante, Deo frui cum ceteris Carmelitis, Deiparamq; Virginem æterno merear æuo, & videre, & spectare. O Deus da salutem, & pacem, meritis S. Patris nostri Cyrilli Alexandrinæ, Ecclesiæ Præsulis æterni nominis.

Monachatus S. P. N. Cyrilli Episcopi Alexand. pro Carmelitis vindicatus.

Sincero, & Candido Lectori.

Informatio, & quæstionis status nostra vindicationis.

Informatio.

COgimur inuiti pro S. P. N. Cyrilli Episc. Alexand. Monachatu, in religiosam hanc descẽdere arenam, & litterario Marti in veritatis Ara desudantem litare Calamum. Quæstionis hic status. In speculo Carmelitarum f. 54. pro informatione vetusti Ordinis nostri, tres explicantur Articuli. Tota lis è primo pendet. In eo enim cupiens Auctor probare nullam inueniri vetustam Religionem, quæ iurè possit sua ostendere principia, nisi per documenta, & traditiones prædecessorum (quas nostri verbum non scriptũ appellitant) nititur authẽticis veterum scriptorum monumentis, hoc idem de Ordine nostro plenè probare, ad pinguiorem Mineruam (vt aiunt) his formalibus verbis, Chronicon manuscriptum citans. Itèm ad illud facit explanatio sacrorum Conciliorum, & etiam quædam Chronica, quam habet Dominus Rex Franciæ tam in latino, quã in Gallico, vbi dicitur in Concilio Ephesino, quod fuit celebratum per 200. Episcopos, anno 431. præsidebat loco Papæ Cœlestini P. B. Cyrillus frater Ordinis de Carmelo doctor egregius Patriarcha Alexandrinus, &c. Quibus auctoris intentio est arguere a fortiori nostri Ordinis anti-

Et Quæstionis status.

qui-

quitatem, hoc modo; si in Concilio Ephesino., ex Chronico illo, Cyrillus Ordinis nostri professor loco Cælestini Papæ præsidebat; ergo antè illud tempus Carmelitæ antiquiora sui status, sibi vindicant iura. Quæ optima est illatio. Non .n. intendit probare D. Cyrillum fuisse Monachum, hoc enim pro comperto firmissimè supponit. Cum priscis illis temporibus mos esset è monasterijs omnes assumere (asserunt Græci omnes) qui ad Episcopatum euehebantur. Modo Antonius Posseuinus in Apparatu sacro in Cyrillum, vt eius Monachatũ funditus euertat, modestiæ limites transgrediens, acrius quam par, est, tribus nos pungit. Primo arguit citatum Chronicon. Secundo Ioannem Trithemium, & Petrum Lucium Belgam nimia leuitate taxat. Vltimò. Negat antiquitatem de Culto Carmelo à Professoribus nostris, ea ratione; Quod cum apud S. Hieronymum, Palladium, Euagrium, Cassianum, Theodoretum, Cyrillum Monachũ, & alios huius seculi scriptores frequens mentio sit de Monachis in Palestina degentibus, nusquam pænitus apud eos de Monachis Carmelitis: vnde respuit, & exuflat, tanquam figmentum quodam Cyrilli Monachatum, his deridentibus verbis. Facessat igitur eius modi de Monachismo Cyrilli, in Carmelo fabella. Itaq; nos non vt oppugnemus, sed vt Posseuino, ob suæ Religionis, quam in corde gestamus, immensa merita, quas possumus gratias referimus; qui excutiendæ veritatis latam nobis referauit viam. Ità in sole patebit, nulla nos flagrante auitæ nobilitatis cupidine nec cogi, nec delitare; quinimo vera, & antiqua nostræ familiæ iura, in Ecclesia de qua benemerita est S. Cyrilli Monachatum iuridicè tueri, & vindicare; sequẽtes quæstiunchulæ rei nostræ Ordinem, & diluci dationem, auxiliante Virgine Deipara præstabunt.

Posseuinus arguit Monachatũ S. Cyrilli.

De præcitato Chronico apud Regem Franciæ.

QVÆSTIVNCVLA I.

Citat. pro Carmel. Libellus

NOn possumus aduersariorum rationibus animum conuincere nostrum, vt calamo respuamus, vel dictis

exuflemus Chronicon, figmentū ab illis nuncupatum; Nam, appositis rationibus non videtur libellus ille respuendus. Primo, quia D. Cyrilli Monachatus, non ei innititur, tanquam fundamentum sine qua non, vt aiunt, iam firmiter in eo, vt appāret, supponitur; sed quasi auxiliariæ copiæ milles amplectitur, ad confirmandam nostri Ordinis, vetustam propaginem, non pro Cyrillo. Secundo non est respuendus libellus ille quantumuis lacerus, vetustus, & concisus. Etiam Chronicon victoris Tununensis Ecclesiæ Africanæ Episcopi, vna cum Chronico Ioannis Biclarensis Episcopi, Gerundensis superioribus annis, in Bibliotheca Toletana corrosa ferè iacebant, & tamen opera Henrici Canisij Nouiomagi lucis huius vsura fruitur ab anno 1600. apud Ingolstadienses. Quod & apud Baronium obseruatum accepimus; nam anno 1177. Tom. 12. pro Alex. 3. Pont. defensione duos citat Auctores, quorum alter incognitus, & fragmentis plenus, alter Romualdus quem asserit non inueniri Cornelius Frangipanis Iurisconf. in Hist. Alex. Papæ. Tertio. non est respuendus, quia manuscriptus; etiam legatio Luitprandi è corroso manuscripto codice per Christophorum Brouuerum collecta legitur. Edimus inquit Luitprandum eo modo, quo ex vetusto Codice descriptus est: Et Illustriss. Baronius è manuscriptis plura congerit testimonia, in Annot. ad Martyrolog. Imò rectius amplectendus est libellus ille, quia non fictus, vt ipsum fingit Posseuinus; repertus est enim in Bibliotheca S. Ludouici XI. Galliarum Regis, vt creditur ex Oriente deportatus. Amplectendus est, ex collectore qui ipsum citat, est .n. Magister Nicolaus Gallus Doctor Parisiensis, cuius sanctitatis fama adeo insignis, vt assumptus ad generalatus apicem, cum per aliquot annos sanctissimè rexisset, officio renuncians, ad Eremum priuata conuersatione contentus reuersus est. De ipso Euerardus in fasciculo temporum. Iacob. Philip. f. 248. & alij. Hic, libellum non veritati consonum, nunquam pro veritate tuenda citasset. Amplectendus est demum, ob insignem virum, cui dirigit informationem suam Generalis ille celebris: Est .n. Petrus Grossus de S. Egidio Nepos Cle-

Non est respuendus.

Libellus nō est pro Cyril. sed pro Religione cōpositus.

Libellus Bibliothecæ S. Ludouici Regis.

Clementis 4. de quo Ciaconus asserit, quod pauperes amauit, & maximè Prædicatores, Minores, & Eremitas omnes, quos multis honorauit priuilegijs. Cum igitur libellus ille, ad vetustatem nostræ Religionis, non ad Monachatum Cyrilli, sit & compositus, & citatus, aduersariæ obiurgationi locus non relinquitur.

Ioannis Trithemij testimonium expenditur.

QVAESTIVNCVLA II.

IOannes Trithemius in vico Tritenhem Diæcesis Treuirensis ad ripas Mosellæ, clarissimus Benedictinæ familiæ allumnus, Cænobij S. Martini Spanehimensis Diæcesis Moguntinæ Abbas laudatæ memoriæ. Hic vir sanctitate, & doctrina suo tempore clarus. Inter desudatos suorum scriptorum labores, quæ de laudibus Ordinis Carmelitarum, & de eiusdem viris illustribus conscripsit monumenta, non infimum sibi vindicant locum, tum quia inserta suis operibus, tum quia à Baptista Mantuano Carmelita secundò demandata typis, vt in 4. Tom. tum item quia à Græcorum fontibus fideliter traducta.

Trithemij ortus, & Patria.

Pro Carmel Trithemius.

Quare operę pretiū duxi tantū hęc duo veritatis lāce librare. Alterum quanti eius testimoniū pendendum. Alterum, à quo Monachatum S. Cyrilli acceperit. A primo. Trithemij testimoniū fidelitate plenum, haud dubio vertēdū, quando Illustris. Baronius ad comprobanda quorundam sanctorum Acta, in Annot. ad Martyrol. eius testimonium sæpe in auxilium vocat, tanquam fidele, & probabile. Quod & ante ipsum præclarissimi viri. Dein quis non videt, in de viris illustribus omnia, tanquam veridica sine tergiuersatione, à primæ classis scriptoribus æstimata, & passim citata? Addo in sua Religione benemerentem virum Monasterij S. Martini Spanehemensis spatio 23. annorum Abbatem constitutū fuisse: Postea S. Iacobi Herbipolensis Abbas reliquum vitæ sanctè consumpsit. Hæc vtiq; virum optimum ab omni liberant leuitatis incusatione, eiusq; fidele testimonium comprobant.

Trithemij testimonium quale.

Trithemi dignitas.

Trithemij è Græcis scriptorib.

Secundò. A quo S. Cyrilli Monachatum acceperit, ex eiusdem verbis satis clarè aperiemus: nam clarè patet non à suspecto libello illo, de quo supra, à Posseuino reiecto, & exu flato, sed à Græcorum fontibus, vt clarissimis verbis testatur inquiens.

Trithemij testimonium.

Trithemij elogiũ ad D. Cyril.

CYrillus ordinis Carmelitici Monachus, postea Episcopus Alexandrinus, natione Græcus, ex Constantinopoli oriundus, vir sanctus atq; doctissimus, Philosophus clarus, & Rethor insuperabilis, infinitis miraculis corruscauit, & Prophetiæ spiritu illustratus fuit. Hic tempore Theodosij Imperatoris, & Cælestini Papę primo contra Nestorium multa cõposuit, eumq; in Concilio Ephesino pręsidens confutauit. Scripsit Græco sermone multa præclara volumina, de quibus apud latinos pauca habentur. Hic primus permiscuit, Philosophiam Aristotelicam scripturis sanctis, & omnes errores hæreticorum argumentis fortissimis elisit: sicut in gestis tertiæ Synodi Ephesinæ inuenitur. Scripsit autem inter alia contra Iulianum Apostatam lib. 3. Contra Nestorium quoq; lib. 1. De incarnatione Domini plures homilias. Epistolas multas ad diuersos lib. 1. sententias in Synodo Ephesina plures. Hæc omnia apud Græcos vidimus, & partim legimus: sed nusquam apud latinos. Claruit sub Theodosio Imperatore magno, & Cœlestino Papa primo. Anno Domini quadringẽtesimo trigesimo. Hæc ille: Quibus non adeo leuiter Trithemius, & Petrus Lucius Belga S. Cyrilli Monachismum affirmant, neq; conuicijs insectandi huius sententiæ scriptores.

Quid cum negantibus Professores in Carmelo?

QVÆSTIVNCVLA III.

SVnt qui vehementius quàm par sit affirmãt, nullum penitus apud D. Hieron. Pallad. Euagrium, Cassianum, Theodoretum, Cyrillum monachum, & illustres alios illius seculi scriptores, testimonium de culto Carmelo à Mo-

na-

nachis Carmelitis reperiri, vt astruāt fidenter fabellam Cyrilli Monachatum. Nos ne auditum à veritate auertant,& ad fabulas conuertantur, oppositum spe diuina fulti contendimus. Duo in hac Quæstiuncula. Alterum, veterum Patrum testimonia suppeditat. Alterum Cyrilli Monachatum monstrat. Quæsti... tum

Primum distinctionem habet. Vel enim sermonem instituimus, de Carmelitis sub Regula Apostolorum. Vel sub Regula D. Ioannis 44. Episcopi Hieros. Vel sub Regula Alberti Patriarchæ Hieros. Distinctionem hæc ex tribus regularum nostrarum generibus inficiari nemo potest; declaratur tantillum hæc distinctio. Distinctio Regular. Carmel.

Prima Regula ab Apostolis collata, à D.Dionysio Areopag. in de Ecclesiast. Hierar. quodāmodo formalizata; per D. Marcum in Aegypto ampliata, & D. Hilarionem in Palestina tandem reparata, decurrit annos 400.

Secunda Regula à D. Ioanne 44. Episcopo Hierosol. ad Caprasium, diffluit per annos 771.

Tertia demum ab Alberto Patriarcha Hierosol. ex D.Basilij scriptis, & Ioannis 44. desumpta, atq; ab Honorio 3. cōfirmata anno 10. feliciter ad hæc vsq; tempora in Ecclesia perseuerat.

Modo in re nostra. Sub prima Regula Apostolica Patres nostri à sacris scriptoribus varijs pręsignātur appellationibus; Carmelitarum enim Nomen claustralium sceptis adhuc continebatur. Sub secunda verò Regula Ioannis 44. & pręsertim post Ephesinum Cōcilium primum anno 431. contra impijssimum Nestorium celebratū, Præsidente Cyrillo, de quo præsens vindicatio; Patres nostri, peculiarius insigniti vocari, cæperunt, vel Monachi, vel Eremitæ specialius B. Mariæ Virginis de monte Carmelo, rationibus vt infra. Sub Tertia demum Regula,& in Concilio Lateranensi, & in Confirmatione Regulæ per Honorium 3. hoc vniuersale nomen, & speciosum titulum Fratres B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo. breuiùs, CARMELITÆ, iurè in Ecclesia Rom. vniuersaliter adepti sunt nostri. Hac sincera, & candida distinctione Carmelitis memoriæ necessario in- De titulo Carmel.

ferenda, aduersariorum cauilli nullo negotio exuflatur.

Testimo-niũ pro Carmel.

Asseris, apud veteres scriptores Hieronymũ, Palladium, Euagrium, Casianum, Theodoretum, Cyrillum Monachũ, & alios, speciale hoc Carmelitarum nomen non habere locum, gratis concedimus, nõ enim extra nostra claustra prodierat; Negamus tamen ore rotundo, temporibus primæ Regulæ Apostolicæ apud præcitatos scriptores nostros Patres varijs quidem nominibus passim appellatos, non reperiri; cuius oppositum aduersarij probare nequeunt. Elenchum quorundam apponimus.

D. Hieronymi testim.

D. Hieron. pulchrè in Hilarionis vita. Exemplo eius, inquit, per totam Palestinam innumerabilia Monasteria cœperunt: & omnia, quæ erant in Palestina ipse visitabat, & instruebat. Lector oro, quorum erant Monasteria ante Hilarionem in Palestina? Vtriq; Essenorum, & nostrorum Patrum tantũ, non.n. adhuc Paulus primus Eremita, neq; Antonius contemporaneus eius, vt alias demonstrauimus.

Idem Hieron. ad Paulinum noster Princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filij Prophetarum. Iterum oro, quinam Prophetarum filij?

Adhuc Hieron. in Vita S. Pachomij Tabennensis, interprete Dionysio exiguo, clarius. Erat inquit per id tempus beati Antonij vita cœnobita, ad imitãdum præclarè proposita: Qui magni Eliæ, atq; Elisei, necnõ & sancti Ioãnis Baptistæ æmulator existẽs, &c. Illi an non in Carmelo vitæ Monasticæ professores?

Palladij testim.

Palladius Episcopus Cappadociæ, floruit anno 390. cap. pri no refert, se cum varijs Monachis versatũ esse, in Aegypti solitudine, in Lybia, in Thebaide, & Syene, sub qua etiã qui dicuntur Tabẽnesiorum, deinde in Mesopotamia, Palestina, & Syria, &c. Peto si Palladius Conchronus Antonio, & Paulo Eremitæ, tot visitauit Monachos, quinam oro illi Monachi? sub quo nomine cadunt? Nisi Essenorũ, uos Elisenorum? vel D. Dionysij, vel Hilarionis, & ij nostri Patres Carmelitarum suppresso nomine. Satis diximus.

Cassiani testim.

Cassianus quoq; de primæuis in Ecclesia Monachis, & eorum auctoribus colat. 18. cap. 5. inquit. Istud ergo solum,

lum (nota solum) fuit antiquissimum Monachorum genus, quod non modo tempore, sed etiam gratia, primum est; quodq; per annos plurimos inuiolabile, vsq; ad Abbatis Pauli, vel Antonij durauit ætatem (ecce Carmelitæ sub Monachorum nomine) cuius etiam nunc in districtis Cœnobijs cernimus residere vestigia. Et in sequenti cap. 6. affirmat Anachoretas ab eodem germine pullulasse, & vastos eremi secessus penetrasse ad imitationem Ioannis Baptistæ, Eliæ, & Elisei, de quibus Apostolus Heb. cap. 11. Circumierunt in melotis, in pellibus Caprinis. egētes, &c. Floruit an. 440.

Eusebius Pamphili Episcopus Cæsar. lib. 2. cap. 3. Ordinem nostrum, filiorum Prophetarum appellat. Inquiens, & Ecclesia Antiochiæ modo floret, atq; in dies magis crescit, & per multi Prophetæ ab Hierosolymis profecti, illi eodem tempore versarentur, &c. Et paulo post. Agabus etiam vnus è prophetis, qui cum illis vixerunt. Flor. an. 326. Eusebij testim.

Sozomenus qui post Eusebium scripsit, lib. 1. cap. 12. inquit, de primis in Ecclesia Monachis. Hanc præclaram viuendi rationem primi, vti quidam memorant, instituit Propheta Elias, & Ioannes Baptista. An non de Carmelitis verba facit? Floruit an. 440. Sozom testim.

Euagrius scholasticus qui post Sozomenem Historiam scholasticam scripsit, referens litteras Monachorū Palestinæ ad Alcisonem, de Xenaia Monacho, eorum instituti, qui reparatorem nostrum Hilarionem præcesserunt, cap. 31. & & de actis Concilij Calcedonensis an. 450. celebrati. cap. 33. apertè referri debet ad nostros Monachos, qui eo tempore in Palestina degebant, facta temporum collatione. floruit an. 560. Euagri testim.

Marcus Aurelius Cassiodorus, in Hist. Eccl. lib. 1. cap. 11. de primis Monachis, & eorum institutione inquit, Huius itaq; elegantissimæ Philosophiæ Princeps quidem fuit, sicut quidam tradunt Elias Propheta, & Baptista Ioannes, quibus sub Philosophorum nomine, Carmelitæ indicantur. floruit an. 556. De nomine Philosophi supra. Cassiodori testim.

Cyrillum Monachum Euthimij discipulum, dictū Ioannem silentiarium, si Posseuino credendum, à diuturno silentio Cyril Monachi testim.

rio, videre nequiui. floruit.a.491. Fortè de Carmelitis sub Regula Ioannis 44. apertè loquutus esset, quemadmodum alij.

Lector sincerè, ex præ habitis necessario colligas oportet, parum veridicè negari apud D. Hieronymum, Palladium, Euagrium, Cassianum, & alios priscos illos Patres nusquam penitus de Carmelitis haberi mentio. Habetur sanè sub varijs nominibus, iuxta variam rerum, & temporum sortitam denominationem; iuxta varias scriptorum sententias, & placita; iuxta varias Assiriorum, Palestinorum, Aegyptiorum, Chaldæorum, & aliorum appellationes, atq; diuisa orientalium genera; iuxta demum varios scribendi modos; Quæ quidem nominum varietas rei nostræ veritatem non aufert.

Arguere negatiuè nullius roboris.

Addo eneruatum, & nullius profectò roboris esse, hunc per negationem argumentandi modum. Non valet, D. Hieronymus, Palladius, & alij illius seculi scriptores, de professoribus Carmeli nullam habent mentionem, ergo Carmeli professores non extabant. Falsa, & parum amica illatio. Ex Philosopho.1.in Prioristicis cap.4. ex puris negatiuis nihil sequitur. Hac pulcherrima ratione præstantissimus, pariterq; religiosissimus Ioannes de Carthagena in sermone B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo, hanc eandem causam tutatus est. Nec valet, In Euangelio animæ Christi descensus ad inferos, non habetur, ergo Anima Christi non descendit ad inferos? Consimili argumentandi modo, vsus est Illustriss. Bellarminus, lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 8. dum ait. Respondeo, nihil concludi ex argumentis ab auctoritate negatiua, non .n. sequitur Lucas, Paulus, & Seneca, non dicunt Petrum fuisse Romam, igitur Petrus non fuit Romæ? plus credimus tribus testibus affirmatiuis, quā mille nihil dicentibus. Vide Ioannem Carthagenam supra.

Carmelitarum nomē à priscis olim scriptoribus cur prætermissum?

QVAESTIVNCVLA. IV.

Nominis necessaria cognitio.

INnuimus, quod pleniusculè præstamus. Causarum diuersitas prima ratio. Nomen enim inuentum cogno-

sci-

scimus ad distinguendas tum personas, tum res ipsas, quibus imponitur. Obseruarunt Diocletianus, & Domitianus Imperatores l. sicut C. de mut. nominum, cum lege lata vetuerunt fraudolentem nominis proprij mutationem; & post eos Iust. in Instit. de legat.§. si quidem. Quare cum in Ecclesia Dei, quæ tot viget Ecclesiasticorum Ordinibus, & Religiosorum familijs, necessaria esset certa denominatio, varij quoque modi in illorum denominationibus sunt excogitati. Quidam à loco vt Carthusienses, Cassinenses, Cistercieſes, Theatini, Sommaschi; Quidam ab officio, cui ex professo incumbunt. Vti Prædicatores, Fratres de Mercede, Hospitalarij. Tertio ab aliqua præcipua virtute ad quã Professores tenentur, vt Minores, & Minimi ob humilitatis virtutem nuncupati. Quarto ab aliquo viro sanctissimo, vt Sancti Ioannis, Lazari, Iacobi, Georgij, Michaelis, & si qui sunt alij denominandi modi. Varia Ordinum denominatio.

Modo nostra Religio, cum varietate causarum, varia itẽ obtinuit nomina; In primo nascentis Ecclesiæ seculo Essenorum, vel Elisenorum familia, nostri appellabantur. Philo de Essenis, Iosephus de Supplicibus, qui & Esseni. Carmelitæ varijs nominibus nuncupati.

Eodem seculo Lucas Euangelista ob pium cultum maximamq; Religionẽ Patres nostri Instituti, religiosorum nomine decorauit. Actorum cap. 2. In primo seculo.

Sub ijsdem temporibus à D. Dionysio Areopag. Corinthiorum Episcopo, eo quod relictis mundanis, vni soli Deo intenti nostri erant, vel Monachi nomine, vel ob ardorem colendi Dei, Theraupetæ i. cultores Dei sunt denominati: lib. de Eccles. Hierarch. cap. 6. anno 72.

In secundo seculo, Flauius Iosephus Hæbreus, anno 110. ob assiduum & orandi, & supplicandi studium, Supplicum nomine nostros exornauit. lib. de Supplicibus.

In ipso secũdo seculo Anno 130. Iosephus Antiochenus vetustissimus quidẽ auctor, de quo Anton. Possu. in apparatu sacro Tom. 2. quod & Philippus Riboth, & Thomas Vualdensis 4. Doctrin. cap. 27. Tom. 1. contuens nostros coadiutores Apostolorũ, solitudinis amantes, cõtemplationiq; deditos, illis Militum nomen indidit, solitarios, & contem- In secundo seculo.

plan-

plantes appellitans, vt in lib. prænotato, speculum perfectæ militiæ primitiuæ Ecclesiæ. Sed hæc fusè in Annal. meis.

In Tertio seculo.

In Tertio vero seculo. Eusebius Cæsariens. Episcopus sub anno 326. Regularium nostrorũ obseruãtiam, & quotidianã meditationẽ spectãs cum D. Luca Ascetas græcè .i. regularis obseruantiæ viros denominauit. lib. 2. hist. cap. 16. & lib. 8. cap. 20. & 21. Aliquando de Ordine Prophetarum, vel de genere Eliæ, & Baptistæ.

Eodem quoq; seculo, multiplicato Monachorum numero, & studijs placendi Deo diuersificatis, nomina item variarunt scriptores, ex quo nostri à Sozomeno propter maximam solitudinem βοσκοὶ .i. pastoritij, aut Syluestres nominantur. cap. 33. A D. Hieron. Palladio, Euthimio, Cassiano, Theodoreto, Cyrillo Monacho, & alijs scriptoribus modo Monachi, modo Eremitæ, modo Cœnobitę, modo Anachoretæ variatis nominibus, non variata substãtia Ordinis passim denominantur. Et hęc vnica, hac specialis ratio, cur à vetustioribus scriptoribus, nostri Carmelitarũ nomine à principio minimè vocẽtur; cum à virtutibus tantũ, quibus in Ecclesia florebãt denominationibus vterentur, nondum autem apud scriptores vsu venerat, à loco Carmeli montis illos publicè denominare, quamuis inter domesticos parietes à Carmelo Carmelitę dicerentur, vt supra dedimus.

Quo tempore Carmelitarum Nominis promulgatio.

QVÆSTIVNCVLA V.

In Quarto seculo Carmel. nomen.

NOn ommitto scitu digna. Ecce in tertio, & ineunte quarto seculo, in lucem prodit nostri Carmeli Montis, & Carmelitarum nomen. Ratio. Ita Monachorum ad immensum succreuerunt agmina, vt nullæ essent in Oriente vrbes, nulla oppida, nullus pagus, quem ad instar formicæ non occuparint Monachorum turbæ. Ita D. Hieron. in vitis Patrum. Palladius Historia Lausiaca. Vltraiectini Monachorum supputationem priscis illis temporibus appono. In Monasterio S. Eufrosinæ, quem S. Cyrillus ędificari curauit. Monachi num. 352. Sub Hilarione

num.

uum. 10000. & hæc Carmelitarum familiæ nostra propago, vsque ad nouam Ioannis 44. Regulam, seruata semper intacta; In Monte Nitriæ n. 5000. sub Abbate Or nu. 3000. In monte Pharnæ num. 5000. in Scithia num. 35000. in Aegypto num. 5000. in hoc igitur temporis spatio, & in tam grandi Monasticæ vitæ examine, singulare excogitare nomen, familiam nostram, à quacunq; aliorum Monachorum turba distinguens, nostris laborandum fuit. Facilè successu opus. Nam vbi aliqui ab insula Tabennensis; Alij à tota Thebaida; Alij à fundatore, vt Paulini, Pachomij, Basiliani, &c. Nostri ab originaria, natiuaq; Carmeli Montis sede, denominationem sibi vindicare decernunt, & nomenclatura Claustri extra scepta vagari patiuntur. Hinc Ephesino Concilio contra Nestorium damnatæ memoriæ Episcopum, per Cyrillum, & alios Coepiscopos gloriosè terminato, vox inter Patres satis amica irrepit, & extra Concilium inualescit, Monachos nostros Eremitas spetioso hoc perpetuò retinendo titulo præ cæteris in Ecclesia nuncupandos. FRATRES EREMITÆ B. M. VIRGINIS DE MONTE CARMELI. A voce amica, inquam, hoc est à collustrante, & inspirāte Virgine Benedicta Domina nostra Maria publicatum, & promulgatum reuerēter profitemur priscorum nostri Instituti titulum carissimum. Quo nostris illud vsurpare, licet; Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis. Cant. cap. 2. Titulus Carmel. terminato Ephesino Concilio.

Tituli nostri Instituti præstantia.
QVÆSTIVNCVLA VI.

TItuli nostri præstantiam, eius particulæ pandunt. Fratres, Eremitæ, B. Virg. Mariæ, de Monte Carmelo. Fratres, potiùs quam Monachi ad distinctionem ingentis Monachorum turbæ, quæ tunc temporis efflorescens Monachi nomen, iam occupauerat, genericè tamen hoc eodem tempore Monastico nomine, nos cum alijs frui concessum. Fratres item, quia sacræ scripturæ vox est vsatissima; Omnes vos fratres estis. Matt. cap. 23. & docente Pau- Tituli nostri declaratio.

lo pluribus in locis, fratres in Christo sumus. Et re vera, qui ab vno Patre, & vnica Matre spiritualiter sunt editi, Religionis iurè Fratres dicuntur; Edidit nos in veteri lege Pater noster Elias, edidit nos in noua lege Beatissima Virgo Mater nostra, ergo pleno iure fratres nuncupamur.

Eremitæ, altera particula vetustam nostræ Religionis claritatem innuens. Est enim Eremita, qui Religionis ergò solitudinem colit, à cæteris separatus, cum ἐρῆμος sit solitudo: locus est item, in quo nostræ Apes Eremitæ, sanctitatis mellificium construxerunt: nullam enim Cænobiorum fundationem, nisi in Eremis à quouis moliri non permittebatur, Vt in historijs nostris.

Beatissimæ Virginis Mariæ. Particula ostendens ordinem nostrum, per omnia à B. Virgine Maria pendere, originemq; ducere; Tum propter nubeculam de mari, ab Elia præuisam 3. Reg. cap. 18. Tum propter venerandam cum B. Virgine conuersationem, cuius colloquijs, ac familiaritate feliciter frui potuere nostri: Tùm demum propter insignem eidem purissimæ Virgini dicatū sacellum primum, post eius in Cœlum gloriosam assumptionem, vt in Breuiarijs nostris reformatis 16. Iunij.

De monte Carmelo. Ratione fundati nostri Instituti, primæueq; Patrum nostrorum memorandæ habitationis. Hæc satis è latius alibi.

Cur hic titulus sequuto Concilio Ephesino &c.
QVAESTIVNCVLA XII.

Rationes nostri tituli de monte Carmeli.

EA sanè potest reddi ratio: vt quemadmodum à principio in B. Virginis honorem nostra præ cæteris instructa præiuit Religiosa militia; quemadmodum sub venerandi nominis huius tutela, pallioq; induta pubescebat; quemadmodum præconia, laudes, eremos, Cænobia, Templa, Aras, Tura, ignes, vota, delubra, atq; vexilla regio Mariæ nomini, vbiq; gentium summo cumulabat studio, indefessoq; frequentabat labore, & sub tanti nominis amplitudine populorum procurabat salutem; sicuti demum in Ephesino

no Concilio; per Cyrillum vener. mem. Episcopum Alexandrinum nostri Instituti iubar splendidissimum, pro illius honoris tutamine, contra Nestorium Deiparæ Blasphemum gloriosè pugnatum est: Ita versa vice gratissima Regina nostra de plenitudine gratiarum, quibus summopere abundat, liberalissima manu, sub eodem Concilio, nos adeò gratijs, honoribus, & beneficijs cumulari curauit; vt nedum in Angelica salutatione, ob partam Concilij victoriam contra Nestorium per præsidentem Cyrillum, & alios per vniuersam Ecclesiam particulam illam addi voluit; SANCTA MARIA MATER DEI ora pro nobis Peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen. Verum etiam per vniuersum Orbem splendidissimum titulum euulgari, mandauit; vt ex illius appropriatione infixũ cordibus perpetuò retineremus, liberalissimę Patronæ nostræ, Dominę nostræ, Reginæ nostrę, post IESVM, dulcissimum, suauissimum, & amabilissimum MARIÆ nomen. Essetq; nobis ęternum acceptorum beneficiorum monumentum, & assidua recordatio, cui specialiter, vouerimus, cui capiti copulemur, cui tutelę commendemur, cui omnia nostra dirigenda sint studia, corda, voces, & opera.

Quid ex Titulo nostro?

QVÆSTIVNCVLA VIII.

MAximè necessarius, atq; valdè vtilis Instituto nostro Titulus noster. Est enim veluti signum Distinctiuum. Declaratiuum. Memoratiuum. Obligatiuum. Propulsiuum. & Amplificatiuum. Singula percurrimus. Distinguit nos à quocunq; Ecclesię Catholicę Monastico, ac Eremitico Ordine. Eo, quarto modo specificamur. Declarat, nostrę Religionis statum, cuius nostra militia, à quo origo nostra. Memorat vetusta nostrę antiquitatis iura, ne cum pręclaris monumentis, obliuionis ędacitate corrosa perdantur. Obligat nos ad nostrum votorum obseruantiam, ad peculiarem B. Virginis Marię deuotionem, & ad plenam nostrarum cõstitutionum regularem disciplinam,

Tituli nostri præstantia.

Ecclesiasticá q; grauitaté retinendam. Propulsat nostri Ordinis obtrectatores, illorum ora dolo, atq; mendacijs obstruendo. Amplificat demùm magnificum nostrum nomen, & clarissimum statum obfirmat. Non grauamur quædam ordinata per secula breuiter apponere monumenta.

Post Concil Ephesinum nomen nostrorum clarum.

Tempore, quo Ephesinum Concilium gloriosè profligato hoste Nestorio, grauibus modum imponebat curis, rerum magnarum Nuntia latè adeò per Ecclesiam nostrorum diffudit nomen, vt inter præclaras illius seculi florentes Religiones præstantem obtinerent locum. Latebat in Eremis, & in foribus, atq; Regijs summa cum laude Eremiticum nostrum acclamabatur nomen: Quare anno 449. Ephesino coacto Concilio secundo proditorio vocato aduersus Eutichetem hæreticum damnatũ in Constantinopolitano Concilio primo, pro Flauiani Episcopi Constantinop. defensione contra Dioscorum, & Chrisapium eunuchum, quos non pertulere labores, Alexandrini, Ciprij, Antiocheni, Palestini, & alij quorum nomina in libro vitę? & præsertim in horrẽda illa Catholicorum Episcoporum directione, quando Flauianum Constantinopolum, Eusebium Dorilei, Ibam Edessenum, Theodoretum Cyri Episcopum, & alios Antistites cõdemnatos, sedeq; Episcopali; surrogatis alijs, amotos viderunt? Quot iniurijs, & maledictis persequti Episcopos animantes ne contra Flauianum prędatorij Conciliabuli decreta subscriberent, ne ignominiam inferrent glorioso titulo Ordinis nostri B. Mariæ de Monte Carmelo?

Sanctitas Carmel. nota.

Quos latere potest, quantum successiuis temporibus, sub felicissimis auspitijs tituli nostri sanctitate floruere nostros Eremitas? Insigne scribimus. Dum Antiochia Ciuitas (Abrahamo Bucholgerio referẽte) horrendo terręmotu, ferè tota quassaretur ciuium facta sepulchrum, nedum 14. Calend. Iunij anno 526. die veneris sub Iustino Imperatore, sed & anno 528. alium passa est terremotum, quo 4870. homines ruinis oppressi periere, Iustiniano Imper. anno primo. Nam ciues discalceati vrbe exeuntes, & Deum supplicationibus, ac litanijs placantes, cum crebris eiularent gemitibus, exclamantes, κύριε ἐλέησον, voti gratia ad no-

strum

strum conuolarunt sanctæ Mariæ Cœnobium, in quo pius ac religiosus Pater visione diuina monitus, ciuibus præcepit, vt superioribus ædium suarũ postibus inscriberent; CHRISTVS, & MARIA NOBISCVM, STATE. Quo facto ira Dei sedit. Iustinianus reparatam à se Antiochiam, Theopolim nuncupauit. Euag. Cedren. Diacon. Niceph. 17. En Tituli nostri speciosa imago.

Quis Anastasij Persæ glorioso martyrio, sub hoc Titulo coronati fortissimum ignorat certamen Anno 627? *Anastasius martyr.*

Quem Historiarum expertem fugit, quosdam è nostris Eremitis Romam euntes Barseum virum doctum, & Paulinum anno 707. à Senensibus vocatos Ecclesiam Sãcti Nicolai Senarum titulo Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo alectis, obtinuisse? & anno 802. Ciuium consilio, & optimatuum instantijs, pro expeditione ad Carolum magnum Imperat. facienda reuerenter cooptatos fuisse? Hist. Ciuit. Senarum apud Petrum Landucium; & Orlandum Malauoltam. *Carmel. apud Senenses.*

Cui non manifesta sanctissimi viri Gerardi Episcopi nostri Instituti decoris perpetui, acta immortali concelebranda æuo? quippè qui anno 1047. vt infra martyrij palma laureatus Ord. nostri Titulum illustrauit, & Ecclesiæ Catholicæ gloriam, morte vitali magnificauit. In monolog. istq. *S Gerardi Episc martyrium.*

Cui vnquam ignota perillustris Regulę nostræ Collatio anno 1171. subsequta? cum ipsam è Basilij, & Ioannis 44. scriptis desumptam, è Græco latinitati breuissimis capitibus donatam, & ab Alberto Patriarcha Bethlemi, & Ascalonæ collimatam prefixo Carmelitarum titulo Beatæ Marię de Monte Carmelo obseruantiæ nostrę consignatam, & acceperimus, & in hæc tempora peruenisse feliciter videmus. *Regulæ nostrę collatio vltima.*

Sed quid? An non grandem hunc titulum, ieiunia, sacrificia, lachrymæ, solitudines, studia, indefessęq; orationes, in ipsa Hierosolymitana recuperatione, per Petrum Eremitam nostri Instituti excitata, per Vrbanum 2. instructa, & Goffredum Bullionem executioni mandata, maiorem item reddiderunt? *Petrus Eremita ex nostris.*

Aa

Amplitudo Carm. familiæ

At cum hoc omnia fusè in Annalibus nostris, ad finem properãtes, duo notatu dignissima pręmittimus: Primum, à Guillelmo Tyro Belli sacri continuatore lib. 5. cap. 3. quod post acceptam Regulam ab Alberto, sub specioso B. Marię de Mont. C. titulo, adeò repullulauit breuis familia nostra, vt in omnibus Christiani orbis regionibus, septem millia, & quinquaginta Carmelitani nominis extarẽt Monasteria, in quibus cẽtum octoginta millia vncti Sacerdotes sacris opera dabant. Hæc ille. Petrus Maturus Iesuita, in Annot. ad Anton. p. 3. tit. 20. c. 5. Secũdò. Quod ad nominis nostri amplificationẽ Innocentius 4. an. 1352. decem dies Indulgentiarum & Vrbanus 6. P. M. anno 1378. cuilibet gratia Dei ornatus dicenti, dum aliquem ex nostris obuium habet. Hic est Frater Ordinis B. Marię de Monte Carmelo, Indulgentiam trium Annorum, & quadragenarũ trium, quam Nicolaus 5. conduplicari, voluit. Petrus Lucius Belga, & alij omnes cum Paleonidoro lib. 2. c. 8.

An scandalum negare Carmelitarum successionem ab Elia, & Eliseo sub titulo B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

QVAESTIVNCVLA IX.

Dilucidationis hic ordo. Distinguimus. Asserimus, Probamus. Primum, sunt qui vetustam nostram originem ab Elia, & Eliseo, & hęreditariam in Carmelo successionem sub titulo B. Virginis Marię, obstinatè negant: sunt qui de ipsa modestè dubitant: Sunt deniq; qui ipsam optimè, & erudite affirmant. Obstinatè nostra negantibus nostras quoq; rationes reuerenter negamus. Principia nostra obstinatè negantibus verba non damus. Procul abeant. Modeste autem dubitantibus, modestissimè itèm, & nos nostra suppeditamus. Optimè vero, & eruditè nostra asserentibus, non infensis Monachatui, sequentia liberalissimè offerimus.

An scandalum in Eccles. negare his

Secundum. Scandalum est, his quidem temporibus in Ecclesia obstinatè negare Carmelitas ab Elia, & Eliseo originem trahere, hęreditariamq; in Carmelo, sub Titulo B. Ma-

Mariæ Virginis successiuam per omnia secula, ab infantili Ecclesiæ ętate non habere firmitatem.

temporibus Carmel antiquus.

Tertium. Scandalum sanè est obstinatè negare, quod in Ecclesia apertis argumentis, & validissimis rationibus confirmatum habemus. Per Concilia, Pontifices, Canones, vniuersalem Sacerdotum consensum, & institutũ, Historias, Chronicas, Traditiones, Picturas, & Marmora. At nostri Ordinis originem ab Elia, & Eliseo, atq; interruptam successionem sub titulo B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo in Ecclesia publicè ratam, confirmatamq; habemus, è Concilijs Lateranense 4. cap. 13. & sexto, cap. Ne nimia de religiosis Domibus, & in Concilio Lugdunense 2. A Pontificibus, non sex numero tantum, vt asserit Franciscus Suarez de Relig. Tom. 4. cap. 11. de Religione Carmel. sed numero 26. quos nominatos habes in Annalibus meis; appellantes nos Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli; Verum quia hæc omnia fusè alibi, hac eadem ibi probata relinquimus. Inuisse sufficiat.

Cur veteres scriptores S. Cyrilli Monachatum silentio prætertere.

QVAESTIVNCVLA X.

Offensionis lapide sublato & scandali Petra tandẽ euersa, opportunè vindicati Monachatus S. Patris nostri Cyrilli filum adnectemus. Dubio verti potest, cur veteres scriptores S. Cyrilli Monachatum silentio prætériere? Duplex responsum.

Cur veteres Cyril. monachatũ silẽtĩ

Primum, quoniam Episcopatus acta tantum considerantes, tanquam potiora, ab illismet Historię exordium faciũt: Quare ridiculum est à veteribus de Cyrilli Monachatu petere, quem dedita opera silentio inuoluunt.

Secundum. Quia de re clara ambigere ingenij debilitatem arguit. Quis veterum vnquam in oppositum venit? Nemo vtiq; omnibus sufficiebat, apud familiæ nostrę Patres, venerãdam Monachatus Cyrilli diu retinuisse memoriam. Sufficiebat in Menologij albo, breuiarijs, atq; missalibus Carmelitici Instituti, orationibus tum publicis, tum

pri-

priuatis sanctitatis Monasticæ, & Eremiticę tāti Patris vbiq; locorum orientalium, cum Græcis Catholicis decantasse illustre nomen. Stato quidem tempore expectantes persummos Pontifices S. Cyrilli Monachismum in vniuerso orbe publicari, ac Deo volente manifestari.

Vnde S. Cyrilli Monachatum dubio quidam vertant?
QVAESTIVNCVLA XI.

Cur quidam de Monach. S. Cyrilli dubitēt.

EA est quorundam ingenij facilitas, vt quæ in oculis minimè ferunt, vel negent, vel dubio vertant. Extant de S. Cyrilli Monachatu, & Græcorum, & latinorū (teste Trithemio) præclara monumēta, extat sacræ Congregationis DD. Cardinalium publicum Decretum, quo inter nostros, apertè declaratur: & nihilominus ingenij facilitate lubet aliquibus oppositum mordicè, & obstinatè asserere. nulla vrgente necessitate, nullo vrgente veritatis argumento. Secundò. Nota. Dūm à nostris S. Cyrilli Monachatus pacificè domesticèq; tractabatur, nullus in hanc impingebat veritatem; At facta à summis Pontificibus facultate de sacro, & officio in Ordine nostro perpetuo habendo, tanquā de vno Pontifice, & Confessore, ægrè ferentes æmuli, quod certum hactenus fuit dubio verterunt: Sed iuuante Virgine domina nostra vbi abūdauit hominum malitia, superabundauit, quidem & gratia, ità vt ordo noster in S. Cyrilli Monachatu aperta possessione sit positus, & de summorum Pontificū benignitate inter nostros Diuos adscriptus.

Quare ex hac vindicatione concludamus oportet, & Monachos nostros in Carmelo ab Ecclesiæ infantilitate versatos esse, & inter Monachos eremitas Patres nostros B. Cyrillum Episcopum Alexand. nostri Carmelitici Instituti iubar, honorem, & gloriam effloruisse. Hæc itaq; breuiter voluimus, non auita nobilitatis cupidine acti, sed veritatis amore; quod æquum est, vt Deus magis, magisq; laudetur in sanctis suis.

VI-

VITA ET CERTAMEN B. ANASTASII PERSAE

A Simone Metaphraste, Zacheria Lipeloo Carthusiensi, & nostris Carmelitis Scriptoribus æditum.

Passus est Anno Domini 627. Heraclij Imperat. 18. Honorij verò Papæ 2. sub Cosrhoe Persarum Rege. Colitur 22. Ianuarij.



NASTASIVM natione Persam, & professione Monachum Eremitam Montis Carmeli sanctitate mirandum virtutibus illustrem, martyrio inuincibilem Virum optimum, in Conuentu S. Mariæ Virginis quarto ab Vrbe Hierosolymorum lapide Monachum creatum, omnes inclamant scriptores, omnes prædicant historiæ. Huius sancti Patris nostri instituti decoris, immortalia facinora, animi alacritate, studioq; ordinatissima serie prosequturi, à prima eius vitæ linea, vsq; ad Martyrij coronam, Deipara Virgine iuuante, pro ingenij modulo, & si exili stilo explicare conabimur. *Auctoris introductio.*

2. Anastasius è Vico Rasnum in Prouincia Razech Magni Persarum Regni lucem, & cunas obtinuit. Patrem Bau nomine, magicis artibus omnium sui temporis opinione, facile principem habuit; Ab incunabulis, & in ipsis vitę foribus, Magumdath à Persiano ipse appellatus fuit. A parentum lue infidelitatis, & vitiorum abhorrens militaribus copijs à Cosrhoa Iuniore Persarum Rege aduersus Hierosolymorum Vrbem constructis, se vltrò militem adiunxit, *Anastasij parentes.* *Fit miles.*

 qua

qua, vi capta, & profligata, salutare Crucis vexilli ferro rapto, & triumphanter in Persidem asportato, cum pluries de venerandi ligni virtute, atq; per ipsum humani generis reparata salute, à captiuis Christianis, sacri signi mysterijs curiosè multum, quotidie sciscitabatur. Ita ad fidei semina, cordis illius terra disponebatur. Interim Focæ demortui Heraclius Augustissimus Imperator, pro Christo suffectus fuit. Qui cum triplici Victoria Cosrohæ fregisset superbiam, prætiosissimi Christi vexillum fortitèr recuperatum Hierosolymam gloriosè reportauit. Confractis ergò Persarum exercitibus, nouus Athleta nouam militiam excogitare cępit; Nam Cosrhoa relicto, Christum inter Christianos milites apertè sequi decreuit. His associatus, Hieropolim, quæ & Bambyca Syriæ ciuitas Episcopalis, Deo ducente venit; Et Argentario Persæ Christum colenti adhæsit, vt Christianæ fidei aurum elaborare discat. Cùm autèm apud ipsum diù manibus laborasset, & corde orasset, vrgente Deo, baptismali lauari vnda enixè rogauit. At vbi prius Aurifex infidelium timore Baptismum in dies differebat, Anastasius verò adhuc cathecumenus Ecclesiarum limina frequentare non desistebat: Ità vas aureum septies spirituali foco probabatur. De perspectis Sanctorum Martyrum imaginibus, quibus sacra sunt nostra decorata templa, tragica illorum funeralia curiosè inuestigabat, & lachrymabiles eorundem historias attentissimè audiebat, mouebatur animo, torquebatur pietate.

Relicta militia Christũ sequitur.

3. At desideriorũ suorum dilationem sustinere non valēs Hierosolymam adire decreuit. Abijt, ò fælix iter, Sacerdotem obuium habet, Eliam nomine, qui de illius voluntate certior factus, statim ipsum hospitio perhumaniter recepit, & commanere voluit: Cui nostræ fidei arcana impenso studio aperuit, & de Christianorum Religione plenè erudiuit: Interim à Modesto Hierosolymitanæ Ecclesiæ Præsule vigilantissimo, baptismali de more lauatus vnda, octuaginta ferè diebus iuxta illuminatorum leges studij, & orationis gratia apud ipsum seorsum remansit.

Itinera-tur, & hospitatur Hierosol.

4. Paulò post, cum de Cœnobitarũ gente, studia, labores, vi-

De Monach. cogitat.

virtutes, pauperiem, obedientiam, integram continentiam, & Dei famulatum accepisset, diuino flagrans amore ad Monasterium S. Mariæ Carmelitarum, astruunt nostri, quarto ab Vrbe Hierosolymorum lapide constructum pedem contulit, & venerando Priori, cui nomen Iustinus, animum suũ humillimè aperuit, à quo benignè de communi Patrum assensu receptus, sacro nostri instituti habitu vestitur. Ad septennium summa cũ laude regularibus imbutus disciplinis, humillima Conuentus exercitia, sereno vultu, sacro non intermisso penso, amplexari auebat. Fit Carmelita.

5. Multus erat in sacra lectione, tragicas præsertim sanctorum Martyrum historias, ità quidem auidè legebat, vt nedum codices illos, & manibus, & lachrymis tereret, sed Dominum Deum iugiter precaretur Martyrum palmis pro Christo coronari, cui mille incursionibus, aduersante Christiani nominis hoste, nec deficiebat nec trepidabat inuictus Christi miles; imò diuino agitatus numine, & confessionis, & Orationis, & sacræ sinaxis ope vsus, victoria continuò potiebatur. Exercitia. Cupidus martyrij.

6. Verùm cũ vehementiori in dies teneretur Martyrij desiderio, per somnum se in Montis (an Carmeli?) cacumine eleuatum vidit, & sibi vir stola candida amictus, obuius factus crāterām auro, pretiosissimisq; lapidibus elegāter contextam, ori suo maximo cum honore apponens, generosum vt delibaret inclusum vinum ipsum mirificè hortabatur. Accipe, aiebat, fidelis, & bibe; Quo quidem hausto, suauitate perfusus inexplicabili, se Christi martyrem euasurũ quamprimum cognouit. Re cum Magistro communicata, matutinis solutis horis, & altera die sacra refectus communione, superiorum assensu, fratribus inter lachrymas amplexatis benè ominatus, dimissus est. Visio futuri martyrij.

7. Is in sanctam ciuitatem ad triumphale Resurrectionis Christi festum concelebrandum primum se contulit. Diaspolim postea, & Charizim, & ad cetera veneranda loca peregrinationis ergò proficiscens Cæsaream demum peruenit: Sacram illicò Deiparem ædem, cuius institutum iam deuouerat ingreditur, & apte illius Aram duobus diebus Peregrinatio.

flexus humi iacens orauit; atq; inde ad Ecclesiam Diuæ Eu-femiæ conuolatus, Persarum Magos, & Ariolos præstigijs occupatos reperit, quos cũ ab erroribus Magicæ artis, religionis zelo accitus reuocare adniteretur, ab eisdẽ comprehensus, tres dies sine cibo & potu, carcere inclusus obscuro detinetur. Hinc ad Prætorium ductus Marzabano Cosdroæ Persarum Proregi in Christianos quidem vehementissimo præsentatur, quippe qui pluribus illius constantia tentata, vinculis collũ ei, atq; alterum pedem in Ergastulo circumagi iussit, ingentesq; lapides contumeliosè ferre, compellit. Hic autem fortibus oculis laudabat Deum, superosq; omnes auxiliares precabatur. Inuincibilem Sancti Viri constantiam flectere non valẽtes, pluribus à perditis Persis exagitatus, eo loci ab ijsdem funibus, & loris vincere satagebant: Ipse verò impietatis Ministros summis orabat precibus haud funibus ligari, nec vestitus cedi, ne sanctorum Monachorum conspurcarent vestes, etenim flagra nudato corpore patienter sufferre sperabat. Humi deniq; extenditur, & durissimis mactatus verberibus crudeles totum exa-minarunt corpus. Anastasius verò in fidei confessione constantissimè perseuerans Magorum sacrificula execrãs, squa-lenti carceri miserè traditur.

Magos corripit

Vexatur in ædia in carcere.

Anastasij magnanimitas.

Solatur à mollis.

8. Dũm autem loris vinctus torquebatur cõsolatores illi non defuere, etenim duo ex nostris Monachis ad ipsum consolationis gratia diuertentes; dum generosè ad Martyrium properantem, pro Christi fide tuenda animarunt, Angeli quoq; innenarabili fulgore radiantes, succenso thure Anastasium vicibus alternis adolebant. Verùm cum nec minis, nec vllo tormentorum genere sancti Dei constantiam labefactare Iudex crudelis nec lato vngue potuisset, ad Idolorum cultum verborum officijs, & pietatis argumẽtis adducere, per impigros administros, singulari admodum diligentia molliebatur, cupiebat.n. vt vel publicè, vel priuatim Christianæ fidei omninò abrenunciaret, Monasticam quietem detestabili obiurgatione illi promittens.

Fortitudo

9. Spe igitur deceptus impijssimus Iudex in cõstãtiæ scopulum, se impingere, & retorqueri cognouit, quapropter

ita

ira succensus ferreis adstrictum manicis Persarum Regi illius Domino misit; cuius quidem iussu Præsidenti cuidam crudelitatis ministro sancti Viri causam cognoscendam statim demandauit.

Regi Persarum remittitur.

10. Rei euentū ordinatè exordimur. In limine, causæ statum placidis exponit verbis, placidèq; illum alloquebatur Iudex, & dignitates iubente Rege, honores, diuitias, & talia huiusmodi, vt pelliceret, & circumueniret, satis abundè promittebat illi. At viri Dei firmitatem impudentissimis verbis nunquam dimouere valuit, liberiùs, quàm à Barbaro expectari posset, semel iterumq; illi respódens se nullis neq; promissis, neq; terroribus adduci posse, tantum vt in Christi fidem necnon in sui instituti professionem vllam admittat facinus, cæliq; viam, & æternæ gloriæ premia perdat. Hic sancti Patris nostri constantia seuire Tyrannus cępit. Iubet super terram extendi, & dura inter genua apponi lignā, funibus deinde validissima Ministrorum manu adstringentibus, ossium prætendebant fracturam, postea altero brachio in erecta stipite leuato, altero quoq; pede immenso grauato lapide ad corporis conpaginem diuellendā, iussit contorqueri, vt pendens duarum horarum spatio violenter abrumperet Animam.

Noua tentatio.

Tyranni crudelitas

11. His quidem tormentorū generibus, cum nihil Tyrannus proficeret, inuicti Martyris fortitudine deuictus, Magistratus Regi suadere cępit, ne de imperterriti viri inaudita constantia periculum in Regie Maiestatis dedecus amplius faceret, satius existimans mortis sentētia ipsum damnandum fore, quàm tantis victorijs onustum diù viuentem admirari. Hinc septuaginta Christi fideles vinculatos è carceribus extractos, vnà cum nónullis plectendis malefactóribus, omnes singillatim ad Anastasij pedes, laqueorum nodis stragularunt, atq; in vicinum flumen præcipites dedere. In hac singulorum Martyrum laniena, & efflatu, talibus sanctum nostrum crudeles commonebant. Cur misselle execrando huic funeri, mauis corpus inferre tuum, quàm diù viuere Regio mandato parendo? Ipse vero cęlum suspiciens compressis labijs, humili quodam affectu, gratias

Cōstātia.

Mortis sententia.

refer-

VITA S. GERARDI EPISC. Canadiensis, & Martyris Carmelitæ,

Ex Laurentio Surio, Petro de Natal. Antonio Bonfin. Lipeloo, Paleonidoro, Breuiario Zagabrensi, & vetustioribus Carmelitatum monumentis eruta;

Martyrio coronatur an. 1047. colitur autem die 24. Septemb.



BEATI Gerardi Carmelitæ; Vngarorum Apostoli, Virginis, Martyris, & Episcopi Canadiēsis immortalia facinora satius indicasse, quàm percepisse profiteor. Vir fuit laboriosus, & diuturnus diuinę sapientiæ custos, professione pauperimus, sanctitate ditissimus; cuius Anima in sanctorū benedictionibus; oritur felici sydere anno Nongentesimo octuagesimo sexto die verò 23. Aprilis ex Villega in illius vita. Patriam habuit Venetiarum inclytam Italiæ Vrbem, quæ ab Henetis, non in soli firmitate, sed in aquarum inconstantia, solido ingenio, constanti iudicio, ad octauum orbis miraculum extructa; infortunæ campis, contra fortunæ impetus mirabiliter defensa, nullo muro nisi ciuium, quin triplici muro inexpugnabili iustitia, fortitudine, prudentia stipata floret. Ex illustri, & antiqua Sagredorū familia flos aureus Georgij nomine baptismali renatus vnda insignitur. Antonius Bonfin. decade 2. Hic superatis ephebis, moribus affabilis, Deo plenus, Deiparæ carus, sanctitate magnus, statura paruus, virtutibus ita dicatus, vt conciuibus omnibus magnæ esset admirationi.

S. Gerardi Patria.

Venetiarum laus.

Prosapia. Nomen.

Statura.

2. In-

Canonicus S. Marci.

2. Iuuenis illustris, ex Petro de Natal. lib. 3. c. 146. Canonicus S. Marci Venetiarum maximo illius Ecclesiæ ornamento creatur. Mox grauissima attritus infirmitate, de qua Virgine benè precante citò leuatus, accepti non immemor beneficij, ad sacrosanctum D. N. sepulchrum visendũ, & adorandũ, ad quod Gerardus Pater suus itineratus, paullo ante, e vita sublatus apud ipsum gloriosè iacebat, se transferre, decreuit; ita bina sepulchra vnico petens itinere, Mediteraneo superato æquore, felici cursu Portum Ioppen tenet, alterum adorat, alterum recognoscit, vtrumq; planctu madet. Locis tandem sanctis sanctè peragratis, ex Paleonid. lib. 2. cap. 20. ad sacrum Carmeli montis Eremum in Palestina se recipit. Eremitico obtentu Deiparæ Virginis habitu, ignotus quidem in oriente, notus autem in Cœlo, religiosissimis Carmelitarum institutis diuturno inseruire labore, studet.

Infirmitate sanatus peregrinatur.

Fit Carmelita.

Moniales curat.

3. Vix dùm Gerardus noster sacerdotali fulget dignitate (quam sæpius humilitatis gratia recusauit, satius laicorum more fratribus inseruire ducens, quàm indignè digna tractare) cum Monialium nostri ordinis curæ sufficitur, prope vrbis Hierosolymitanæ Portam; quibus quanta cum diligentia administrauerit, quanta cum sanctitate concreditas animas curauerit, inexplicabile dictu. Diegus de Coria lib. 1. cap. 22.

Moniales relinquit.

4. Verùm ægrè ferẽs animo tyrannicum barbarorum Imperium in sanctos Dei Sacerdotes, & fideles Christi populos in dies inualescere, seuissimeq; crudescere, atq; rem Catholicam penitus periclitari; corde cruciabatur sacra D.N. vestigia nullo obsistente fideli principe calcata penitus deleri, peregrinosq; varijs affici contumelijs, & vitæ periculis dari: Monialium curam reliquit, vt quæ generoso animo diù euoluebat ad exitum pro Christi fide, impedimentis abiectis, securius perducat, Ieiuniis, & orationibus assiduè inseruit, ante aram sæpissimè, vbi rem diuinam quotidie peragit, lachrymis procumbens ingenua dissoluitur, & afflictarum Christi gregem, æterno pastori commendat.

5. Sancti viri precibus annuit Christus Iesus: Paulò post, enim,

enim, ordinis Equitum Hospitaliorum Sancti Ioannis in peregrinorum subsidium ordimenta excogitare cæpit, vna cum nobilibus, & Patriarcha Hierosolymitano. Francisci Mennenij Antuerpiensis testimonium, in libello de militarium ordinum originibus adfero. Quo tempore, inquit, terra Sancta Catholicorum Principum expeditionibus celebris esse cæpit, Christiq; nomini recuperari, quatuor præcipuè sacri militarium Ordines Hierosolymis aut exorti, aut restituti, auctiq; fuere: Hospitalariorum, qui & S. Ioãnis dicti sunt à Gerardo quodam (quem Ordo noster insignem agnoscit alumnum) Diegus de Coria supra, & Paleonidorus lib. 2. cap. 10. Templariorum ab Hugone, & Gotifrido. S. Mariæ Teutonicorum à Germanis, & Ordo S. Lazari origine antiquissimus, & diù ante à D. Basilio cõditus. Quem Gregorius Nazianzenus tradit hoc titulo Nosocomium excitasse. Atq; eius antiquitati pariter fidem facere aiunt, tot Procotrophia, Nosocomia, seu Hospitalia, vt vulgò loquuntur sancti Laxari nomine per orbem Christianum sparsa. Temporum porrò decursu, cum instituti huius dignitas iaceret, æquites Rhodij ab Innocentio 8. P. M. anno 1490. impetrarunt, vt cum Rhodio, seu Ioannitico confunderetur. Sicq; paulatim sodalitij Lazarini memoria, cum apud Gallos, tum apud Italos est obscuarta, at Pius. IV. amplissimis excitauit priuilegijs. Gregorius verò 13. quo maiorem huic militiæ dignitatem conciliaret, eius principatum, seu magisterium in Emanuelem Philibertum Inuictissimum Allobrogensium Ducem, atq; illius successores anno 1573. contulit. Quò quidem factum est, vt Ioannitæ Ordinis illius Principatum, ac Præfecturam penes se retinuerint vsq; ad Acmarum Castum, virum natalibus, multisq; virtutibus clarissimum, qui in Gallia operam dedit, vt Lazarinorum militia, iterum innouaretur, & bona patrimonialia primis possessoribus restituere conatus est. Quo laudabili in opere morte preuentus, Philibertus Nerestanus demortui locũ, ac magisterium excepit, professione tamen, aut vitæ genere Melitensibus nõ obstrictus. Itaq; Romam profectus a Paulo V. obtinuit, vt Lazarini Equites

Hospitalariorum ordinem excitat.

Militariũ Ordinum num.

Militaris ordo S. Lazari, & B. Mariæ de monte Carmelo.

Galli, in posterum Equites S. Mariæ de Monte Carmelo, & S. Lazari nuncuparentur, & violacei coloris Crucem Virginis matris effigie insignem, ex collo pendentem, itemq; clamydi adfixam exemplo Melitensium præferrent. E quibus patet Lazarino Ordine velut in duo sodalitia, Mauritianum, & Carmelitanum partito, ex his alterum Sabaudis, atq; Italis, alterum Gallis velut proprium hodie censeri. Renouationis militaris huius Ordinis Bulla, habetur in Bullario Laertij Cherubini, à Paulo V. anno 1608. promulgata, Henrico 3. Francorũ Rege postulante, ad S. R. Ecclesiæ exaltationem, ac hæresum extirpationem. Pontificiæ ordinationes de quibus in Rubrica, subduntur apud eundẽ.

A quo Carm. Regula.

6. Hæc inseruisse placuit, vt lectori nostro pateat, quod quemadmodum à D. Basilio Magno Cæsariensi Episcopo nostri Instituti sydere fulgentissimo, à quo Regulam manuscriptam, & per Albertum Patriarcham breuissimis capitibus concinnatam accepimus, militaris S. Lazari ordo originem duxit, & subinde quasi per gyrum, tandem almo Ordini B. Mariæ Virg. de monte Carmelo diuinitus annexus fuit, vt insertus repullularet, primæuo ampliatori nostri Ordinis restituendus: Ita à B. Gerardo Sagredo Veneto nostri Instituti candidato laudabili Hospitalariorum in terra sancta Ordo militiæ initiatus fuit, maximo cum Ecclesiæ Rom. emolumento; licet post longum Annorum curriculum à Rom. Pontifice confirmationem obtinuerit. Extant adhuc DD. Magistrorum Hospitalariorum, & Templariorum litteræ commendatitiæ ad Bonifacium 8. in subsidium, & pro roboratione sacræ nostræ Carmelitanæ Religionis, ab infidelium persecutionibus, & intestinis bellis, abiectæ, dilapidatæ, trucidatæ, atq; perpetuò mulctatæ exilio. Litteræ DD. Magistrorum hoc habent exordium. Sanct. P. & D. Bonifacio diuina prouidentia sacrosanctæ Rom. Eccl. summo Pontifici, Fr. Nicolaus Lorginus Domus Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani magister, & pauperum Christi custos: ac frater Guillelmus de bello loco pauperis militiæ Templi magister humilis, cum suppliciti terræ sanctæ recõmendatione deuota pedum oscula Beatorum. Sedentes super

S. Gerardus Hospitalariorum primus excitator.

Litteræ Hospitalariorum, & Templariorũ pro Carmel.

per flumina Babylonis flere amare (proh dolor) compellimur, &c. Tenor verò litterarum Prælatorum terræ sanctæ in eundem finē talis est. Sanctissimo in Christo P. ac D. Bonifacio diuina prouidentia sacrosanctæ, ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici. R. Nicosiensis Archiepiscopus. G. Episcopus Ebronensis vener. P. D. Patriarchæ Hierosolymitani Vicarius, Guillelmus Tyberiadensis Episcopus, eius ad Deum oratores assidui: deuota pedum oscula beatorum & cum terræ sanctæ recōmendatione se ipsos. Gustato frequenter amaritudinis Calice super dilatatis oppressionibus terræ sanctæ, &c. Vide Ioannem Paltonidorum lib. 2. cap. 10. Diegum de Coria lib. 9. cap. 31. Petrum Lucium, Belgā in Cronico Carmel. & speculū Ord. nostri. Hactenus.

7. Nunc ad B. Gerardi acta reuertitur Calamus. Aegrè quidem ferebat animo, tot Saracenorum depredationibus terram sanctam dirè vexari, quare bona cum superiorum venia, à Palestina soluit, Italicaq; ora contendens, Romam venit ad Benedictum 8. sub anno 1012. vt notat Coria noster lib. 9. cap. 31. ad apicem Pontificatus euectum, à quo de more post pedum oscula benignè receptus, orientalium rerum imaginem ordinata suppeditauit breuitate; quem verò dolenter Pontifex audit, in spem diuinam paternè erigit & Christianis solatur monitis: At eodem fere temporis momento nouis afficitur ærumnis; Etenim Romanam sedem schismate laborare intelligit: Nam aduersus Pontificem, vt in Breuiario Chronolog. sub anno 1012. Romanorum nonnulli Gregorium quendam intruserant, qui potens suæ factionis viribus Benedictum ab Vrbe pepulit. In mutuis hisce congressionibus, neq; asperis, neq; aduersis horrescit Pontifex, sed incredibilem animi æquitatē ostendens, ac velut in gradu persistit. Protinus ad Henricum 11. Imperatorem semper augustum in Germaniam conuolat, vt ad iurium Ecclesię Romanæ defensionem, in Italiam armata Cohorte secum adducat; Hunc autē Alpium iugibus feliciter superatis, ad aulam vsq; Imperatoriam celeri cursu, indefessoq; itinere, comes indiuiduus sequutus est Gerardus.

B. Gerardus in Italiam nauigat.

Romanū Pont. adit

In Germ. graditur.

Apud Germanos remanet.

8. Nunc Romanarum rerum exitum, deliberationemq;

aliorum relatu alibi lectitato. Nam disponente Deo, apud Germanos, in Pontificis discessu permanere coactum videmus Gerardum nostrum, in vinea domini laboraturum. Fertur .n. quosdam Imperatoriæ familiæ pari sanguinis, & fidei nobilitate viros pijssimos, ipsum deuincisse precibus, & in Aula religiosè retinuisse, mira illius sanctitate captos, & rei diuinæ procurandæ gratia. Quare vir sanctus Dei gloriam contendens, Italiç obliuiscens, Germaniam est amplexatus in qua, & morum integritate, & doctrinæ præstantia, paucis diebus, multos mortales partim in recta fide confirmauit, excoluitq; partim ab hæreticæ prauitatis stipendijs, ad Christi fidem sub Romano Pontifice salubriter tenẽdam traduxit. Cumq; admirandæ sanctitatis maxima totius Germaniæ admiratione specimen exhibuisset, quatuor apud inclytos Boemos prçclaris ædificatis Carmelitarũm Monasterijs, Deiparæ Virgini perpetuò dicatis, ad vngaros vnà cũ Mauro socio, & alijs quibusdam diuertere, decreuit: Serenissimi enim Stephani Vngarorum Regis vbiq; locorum sanctitatis fama tunc temporis latè diuulgabatur. Qua quidem accensus Gerardus, vt inter pertinaces orientalium, & occidentalium calamitates, quibus Ecclesia Dei miserè affligabatur, se paci, quæ exuperat omnem sensum (vt in breuiarij Vngarorũ lectionibus) daret, ad ipsum Regem, aula relicta, præeunte Deo conuolat. Mox autem vt Vngaricam ingreditur planiciem, Cœlum illi serenum illucet, tellurem satis decoram, aut ingentium molibus Alpium, aut potenti fluminum decursu vallatam inuenit: Disterminant ipsam à cæteris prouincijs iuga montium adeò celsa, vt ipsos auium volatus fatigare dicantur. Regio præ alijs amæna; Cœli admodum iucunda, salubrisq; temperies; & quia tota fermè plaga soles habet purissimos, ac nitidissimos, fontibus, & omnibus scatet mirificè; syluas illicò quæritat aptas, & recondita petit nemora, in solitudinibus enim, & occultis terræ cauernis Angelorum societatem facilius, familiariusq; fruendam, sibi conciliare credebat. Quare in Budensi agro, inquiunt Petrus de Natal. & Ant. Bonfin. opaca Beol, tale erat Syluestri loci nomen. Hic, solitarias & an-

Labores Gerardi, apud Germanos.

Ad Vngaros digressus.

Vngariæ laudes.

angustas cellulas sibi, comitè Mauro, cæterisq; socijs ad quietè commanendum, non longè ab aquarum scaturigine, de more antiquorum Eremitarum mōtis Carmeli, pro virium tenuitate exædificare curat. Quo in loco ad septentrium sanctitate clarus, habitatione obscurus, assiduis vigiliarum Ieiuniorum, orationum; contemplationumuè exercitationibus vacans, Eremiticam sanctissimè duxit vitam; Coruos ad Eliæ P.N. instar cuius admirandæ vitæ vestigia prophetico imitabatur spiritu, domesticos quidem ad conuiuendum habuit. Scribit Villega in vita ipsius.

Gerardus in solitudine.

9. E Syluestris illis latebris jam tandem noui Eremicolæ, noua austeræ vitæ prælucens erumpit claritas, adeò vt Regiæ aulæ aciem nimio perstringeret fulgore. Religiosam Eremum Rex sanctus adit, pauperrimũ inuisit tectum, lociq; sanctitatem admiratus, & Viri Dei Gerardi venerando allectus aspectu, spiritualium allocutionibus deuinctus, atq; gregatim peregrinantium in Syluis ordine simplici, silentio miro, charitate alterna mirum in modum oblectatus, illum Regia manu, Regio more amplexus munificētissimè (ex Vngarorum Historia Bonfinij) ad victum, & vestitum necessaria suppeditanda curauit, & quæ rudis erat Domus, in amplum construxit Religiosorum Cœnobium.

S. Stephanus Rex Gerardũ visitat.

Alit cum suis.

10. At cùm de animarum salute, & catholica in Vngaricum regnum introducenda propagandaq; fide Rex sanctus valdè anxius esset, à Rom. Pontif. pro spectatæ vitæ sanctitate, Gerardum in Episcopalem Canadiensis vrbis sedem euehi impetrauit; Ciuitas est, quę prius Morossena, seu Morissena appellabatur, In Iazygo, hoc est inquit Philippus Ferrarius in Topograph. ad Martyrolog. Rom. Hungaria Transdanubiana sita vltra Tibiscum flumen, ad Marysium amnem, in Transyluaniæ confinio, apud Segedinum, inter Coloniam Metrop. ad Danubium, & Lyzysim. Quo in munere sæpius à Gerardo humiliter recusato, se adeò præclarè gessit, vt per Vngarorum ciuitates, & Pagos quotidie discurrens concionando, cathechizando, & erudiendo, vna cum comitibus fratribus nostris eremitis, Dei verbum indefessè disseminet, & agros infidelium Christianæ facundiæ vomere

Creatur Episcopus Canadiensis.

Labores in Episcopatu.

re proscindet, & Christi fidem, admirando spiritus affectu inferet; nihil sanè eorum, quæ ad Episcopales tractandas functiones spectabant omittens, vt concreditas sibi animas pro virili Christo lucri faciat, & viam sacerdotibus Christi ad Euangelizandum sternat.

Mariæ Vng. deuotio apud Vngaros.

11. Obseruatu dignum duco B. Gerardum adeò sacratissimè Virginis Mariæ deuotionem apud Vngaros omnes tanto feruore, & Spiritu inculcasse, vt totum Regnum ad illam vbiq; locorum inuocandam, venerandam, pingendam, ac eius imaginem deferendam excitasset: ex quo Regni Dominam patria voce omnes appellitant, & festum Assumptionis eius sacrum, adeò celebre in vniuerso Regno reddit, vt proprio nomine tacito, suo idiomate, diem dominæ vniuersaliter dicant, in cuius rei testimonium, communes vngarorum pecunias, Deiparæ Virginis Mariæ icone obsignatas esse cudendas decreuere. Hinc Gerardus noster Vngarici Regni Coapostolus nuncupari Regis Catholici Stephani nomine meruit.

S. Stephani Regis pietas amplificatur per Gerardum.

12. Imò eidem Regi adeò carus Gerardus noster, vt beneficentiam, ardentissimamq; Regis pietatem Regni sui finibus concludi non permiserit, sed in longinquas etiam regiones, vrbesq; celeberrimas diffudit, propagariq; curauit. Etenim Hierosolymis, & in alijs Palestinæ locis Rex Stephanus, Gerardo suadente, Monastica nostrorum Eremitarum Cœnobia extruxit, & proprijs expensis reparauit. Romæ item (ex ijs quæ tradit Charthuitius Episcopus ad Colomannum Regem) duodecim Canonicorum Collegiũ protomartyri Stephano dicatum honori condidit, rebusq; vitæ degendæ necessarijs instruxit; quod & Constantinopolim præstasse legimus. Et quamuis Rex ipse proprijs manibus innumeris distribueret largitiones egenis ad ipsũ cõfluentibus, plures tamen per Guntherum diuinum Eremicolam primæ domus nostri Instituti, & Gerardum ex Monacho, scribit Carthuitius supra, Episcopum Canadiensem, & postea martyrem, erogabat.

Magnalia D. Gerardi

13. Sed præstantiora suppetunt; Etenim ad Moritij fluenta Templum D. Georgio, cuius nomine ab ortu insignitus, val-

valde insigne erexit; Monasterium quoq; sub Deiparæ Virginis tutela cœgremitis suis exedificauit; Decernés vt in eiusdem Ecclesia ante Deiparæ Aram argenteum Thuribulum thimiamate oppletum perpetuò adoleret; quodq; eiusdem Virginis officium nouem lectionum, singulis hebdomadibus concelebraretur. Imò tanto deuotionis ardore in beatissimam Virginem corde flagrabat, vt qualiscunq; reus per Mariæ nomen indulgentiam precaretur, mox lachrymis perfundebatur, & ipse ac reus à reo ipso veniam postulare non dubitabat. Hic sępè ad Carmeliticum sodalitium in eremo diuertebat, sępè apud fratres diù multumq; ieiunijs, & orationibus versabatur, modo æternę vitę monita, ad illorum memoriam reuocabat, modo sermones illis dictabat, modò Homilias concinnabat, modo pręconis munere apud illos fungebatur. Hęc S. N. P. quotidiana studia.

14. Quamobrem Stephanus Rex Hungarici regni pientissimus è vita migraturus, in pęnitentię signum, ait Baron. Tom. 12. Monasticum induit habitum, quem ob eximiam in Deiparam Virginem deuotionem, & insignem erga D. Gerardum beneuolentiam, sacri nostri Instituti non dubitamus. Accipe Abrahami Buckolzeri nota in Indice Chronol. Rex Stephanus moritur die Assumptionis Mariæ anno 1038. adscriptus sanctorum Catalogo. Aliud Bonfinij suggero, refert enim sancti huius Stephani dextram (quod & de Osualdo Angliæ Rege etiam scribitur) non esse putrefactam: & meritò inquit, nàm manus illa corruptionis expers esse debuit, quæ neminem mendicare, esurire, & in captiuitates, aut quauis miseria iacere perpessa est: Quæ inquàm (addimus nos) in alendis, fouendisq; Carmelitis, ob Carmeli Dominam, adeò impigra, liberalisq; fuit. Mors pretiosa S. Stephani Regis.

15. Demortuo igitur Regi, notat Bonfinius decade 2. lib. 2. suffectus est Petrus Keislæ defuncti Regis sororis filius, quippè qui belluina feritate rugiens, à Proceribus Hungarici Regni eiectus est, & Abam de stirpe Regia, in Regem eligitur. Hic verò pulsato Petro, & ipse in Hungaros sęuire cæpit. Vnde & ipso Imperatoris ope corona priuato, Petrum iterum reuocarunt, qui tyrannidem in dies magis Ob nouos Reges à fide defecit Vngaria.

ma-

magisq; exercens, Pannoni ferè omnes à fide apostatarunt. Quare diuiso Regno, aduersus Petrum, è Ruscia Andream, & Leuentem, de genere S. Stephani Regis, qui eiusdem Regis extorres in Boemiam aufugerant, aduocarũt nobiliores Vngari; At isti quoq; à Christi fide deficientes iniquè, proh dolor, Catholicos omnes, Antistites in primis, & sacerdotes quoscunq; cõtrucidaris, & medio tolli, Sciticosq; Deos, heu, recolendos districtim mandarunt.

S. Gerardi constãtia.

16. Interea autèm dùm Vngaricum Regnum tot premitur malis; Dùm inter ipsas omnium ordinum exardescentes flammas Catholicorum numerus miserè deperditur, atq; Catholica fides paulatim à suo splendore deficit, Gerardus Prophetarum filiationem intrepidè profitens, nullis cõsternebatur ęrumnis, nec suorum memoriam in ipso vitę discrimine ammittebat: Imò eodem tempore diuino actitatus spiritu talia vaticinatus est. Iàm sermonem in Regis Palatio, cum aulico Iuuene, Guido nomine, ait Coria noster, Lemouicensi Malefaidę familię, Equestri ordinis aurei, de illibatę Virginis Marię laudibus, & ipsum adeò feruido spiritualium ore, & facundis verborum incrementis, alloquutus est, vt viri sancti oratione captus, cor eius in Dei Deiparæq; Virginis famulatum raperetur, eiq; indiuiduum se adiungere comitem perpetuò deliberatus. Dum verò puer hęc apud se alta mente reuoluit, vox quidem cœlica, nocte sequenti illius demulcens aures, ad propria citò remeare iubet: Expergefactus tremens ad B. Gerardum prima luce accurrit, quem illicò prostratus efflagitat, vt Beatę Virgini Marię precibus commendare nõ dedignaretur; cui serena facie, hęc Dei voluntas subdit. Domi te pręstò recipe, vxoremq; data occasione, sacris connubijs ducito; etenim è lumbis tuis bina lumina oriẽtalium Ecclesiam collustratura prodibunt. Quod rei euentus successiuis temporibus propheticum dictum veritate compleuit. Bertholdus enim qui in Carmeli monte pro sua virtute primus inter latinos anno 1121. generalatus dignitate decoratus fuit; & Haimericus frater eius vterinus, ex Claudio Roberto Lingonensi in sua Gallia Christiana, qui Antiochenum

Eiusdem Proph.

Prophetiæ declaratio.

Pa-

Patriarchatum obtinuit, è Guidone prodeuntes duæ fuere oliuæ, & duo Cãdelabra lucẽtia super Carmeli montem coram Domino.

17. Liceat modò prophetici dicti dilucidandi gratia hęc pauca contexere; anno quo B. Gerardus extremum clausit diem, Guido de Malefaida, cuius supra meminimus, iuxta morientis Patris Vaticinium ad proprios conuolat lares, & annum agens 19. nubilem, pariterq; nobilem puellam, omnibus congratulantibus, in vxorem duxit, quippè quæ puerũ Bertholdum noĩe enixa est, cuius acta infra. Ad seniũ autẽ vergens Guido ipse anno 1092. præter cõem omnium expectationẽ filiũ possedit, at qui filiũ vitæ dedit, è vita ipse sexagenarius decidit. Haimericus igitur puer affabilis, & posthumus, Christianis imbutus moribus, adolescens philosophicis eruditur litteris, & sacris demum initiatus, diuino dicari cultui perpetuò voluit. Romam venit, & ob morum elegantiam, vitæq; integritatem, ab Innocentio 2. anno 1138. Antiochenæ Ecclesiæ Archidiaconus creatur; vt varios postea orientalium animorum motus, occasione cõtrouersiarum Fulcherij Tyrij Archiepiscopi Galli, & Aquitanię profugi, cum Villelmo Hierosolymorum Patriarcha excitatos componeret, Apostolicæ Sedis legationis munus obire coactus est. Cùm verò anno 1143. ex hac vita sublatus esset Rodulphus Antiochiæ Patriarcha propinato illi veneno, Haimericus eiusdem Ecclesię Decanus, & Apostolicæ Sedis legatus (ex Baronio) in eius locũm statim subrogatus est. Ità Gullielmus Tyrius lib. 14. cap. 11. & lib. 15. cap. 23.

Guido Pater Bertholdi & & Haimerici.

18. Haimericus ergò Patriarchali Antiochiæ sede obtenta B. Bertholdi eius fratris, & nostri Instituti Generalis latinorũ primi, summis rogatus precibus, Monachos eremitas nostros diris saracenorum depredationibus, & crebris persecutionibus, per Carmeli speluncas dispersos, & saltus errantes, in cauernis macidos, & antris repositos conuocare, alere, & in vnum cõgregare excellenti curat studio; Et id tanta præstat sedulitate, tantoq; Religionis ardore executioni mandare studet, vt Deipara opitulante Virgine, sub

Haimer. Carmel. reparat.

FF Ber-

Bertholdi regimine, & obedientia, Eremitarum agmina dispersa, mira suauitate ad conuiuendum in Carmelo, paulatim allexerit. Quibus ne Religionis vinculum desiderari permitteret, Bertholdo ipso petente, D. Ioannis 44. Regulam ad Caprasium olim traditam, è græco in latinum, vt singulis etiam exteris, & peregrinis aptior esset vsui, traduci mandat. Testatur B. Cyrillus olim Carmeli montis Eremita, lib. de peculiaribus gestis Carmelitarum, & in Epist. ad Abbatem Ioachinum, in spec. Ord. nostri lib. 8. cap. 1. his quidem verbis.

D. Cyrilli gestim. 19. Propter quod cœpit tunc cultus Religionis in monte Carmeli ampliari. Quamplures enim deuoti peregrini, qui ab occidente superuenerãt, odore huius sãcti loci tracti, & deuotione Religiosorum eremitarum montem hunc inhabitantium permoti, mundo renuntiabant, & pro contemplatione cœlestium se eorum contubernio iungebãt. erat autem in diebus illis Patriarcha Antiochenus, & in terra sancta Apostolicæ Sedis legatus, vir quidam amabilis Deo, & hominibus, nomine Haimericus Malefaida, natione Lemouicensis, de villa appellata Salamiacum; qui prædictorũ antecessorum nostrorum Eremitarum fratrum B. Mariæ de monte Carmeli laudabilem conuersationem attendens, eos multum specialiter suo tempore in Domino enutriuit. Intelligens autem quosdam eorum, qui ex occidente superuenerant, spretis seniorum monitis, non rectè ambulare ad veritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ, in prædicto Ioannis libro descriptæ; & perpendens, hoc idem maximè contingere, quia Græcas litteras ignorantes nesciebant codicem illum legere; fecit librum illum de græco in latinum transferri. Hæc ille Onufrius Pãuinus in Cron. Eccl. circa annum 1141. Ordo Carmelitarum restitutus, & reformatus ab Haimerico Malefaida Patriarcha Antiocheno, & sedis Apostolicæ legato. Idem Gullielmus Tyrius lib. 5. continuationis capit. 3. Polidorus Virg. de inuent. rerum lib. 7. cap. 3. Sabellicus lib. 5. æneade 9. Thomas Discalceatus in Comm. Regulæ nostræ, & alij. Quoto autem anno id subsequutum certò determinari non potest; hæc .n. pietatis

exer-

exercitia longo annorũ tractu durasse certò scimus ab anno 1143.

20. Hinc Illustriss. Baronij adnotatio illa Tom. 12. an. 1181. p Carmelitis, imò potius in Carmelitas, diligẽter inuestigata parum continet firmitatis. Imò mendum propter tria habet. Primò, mendũ est asserere Haimericum Patriar. Antioch. promotorem, & propagatorem Carmelitarum fuisse. Altiora quidem petenda sunt principia nostra. Princeps noster Elias, Dux noster Eliseus. Cum D. Hieron. scribimus, Epistola ad Paul. Assertum vtiq; in Ecclesia decãtatum, à Romanis Pontif. concessum, & classicis scriptoribus euulgatum. Carmelitica tamèn nostra religiosa familia, & omnia prorsus pietatis officia, ab Haimerrico, eo quidem tempore accepisse apertè confitetur; & ei vicissim gratitudinis ergò omnia sua debere studia, quidquid potest, quantum valet perpetuò profitetur. Reueremur enim summis gratulationibus inclytum maximùmq; virum Haimericum Malefaidam Lemouicensem Patriarcham Antiochenum tanquam nostri Instituti propagatorem non promotorem, collectorem non conditorem, reformatorem nõ formatorem. Secundò, mendum est Haimericum complures, ex occidente qui venerant vitam eremiticam acturi in terra sancta, hinc inde dispersos, expositos barbarorum incursibus, in vnum collegisse, duxisseq; in Carmelum mõtem Eliæ habitatione egregiè olim nobilitatum, & nullam eis viuendi formulam tradidisse; cùm apertè constet Regulam S. Ioannis 44. ab eodem, è græco in latinum translatam Nostris ad conuiuendum collatam fuisse. Vltimò, mendum est in supputatione, siquidem nostri Instituti originem ponit sub Haimerico anno 1181. quod falsissimùm esse conuincitur, primò, quia Regulã Alberti Patriarchę Hierosol. non anno 1181. sed anno 1171. ab eodem, vt videre est, accepimus. Secundò, quia ab Haimerico circa annum Domini 1143. aut 1144. cæpit nostri Ordinis reparatio, & subindè Regulæ Ioannis 44. translatio.

Baronii dictum co[n]sideratur.

21. Quare optimò quidem iurè respuimus, & exuflamus, figmentum hoc de Haimerico nostri Instituti promotore,

Reprobatio.

FF 2 cum

cum sine ratione, sine veritate esse cõuinca tur. Facessat igitur huiusmodi de nostro excogitato Anctore fabella, sicut illa haud impar, qua negatur Ioannem 44. Hieros. Episc. atq; Cyrillum Episc. Alexand. Monachos Carmelitas fuisse. Vindicabimus Cyrillum, vindicabimus, & Ioannem 44. At reuera contendimus hanc mẽdosam adnotationem irrepsisse calido scribarum alicuius ingenio, vt hac inaudita nouitate, noua cogantur nostrorum responsa. Hactenus.

S.Gerardi modestia. 22. Nunc rerum gestarum S. Pat. Gerardi dilabens fluuius in suum reuocetur ordinem. Etenim plenis castris, & redũdante populorũ multitudine noui Principes Andreas, & Leuente Pesth Portum, cui nomen, secundò vento tenẽt, cùm vir sanctus Gerardus associantibus Bezterta, Buldo, & Benetha Coepiscopis, eis lætus obuiam prodit, vt ipsos Regum more honorificè susciperet. Hoc præstat Vngarorum Historia. Cumq; festinè Episcoporum agmen ad Gyode pagum peruenisset, illicò in D. Sabinæ Templo sacrum facere Gerardus religionis ergò summa deuotione studet: vix sa- Deuotio. cerdotalibus indutus vestibus celebraturus Pater, diuino actus spiritu, in hæc gemens erumpit verba. Nos dilectissimi fratres hodierna luce martyrij coronam cõsecuturi sumus; etenim hesterna quidem nocte, in Pluteo Deiparæ Virginis Mariæ, inter fulgentissimas nubes Iesus Christus Dominus noster, visibili hominis spetie, in somno mihi admiranti apparuit, & nobis iam circumflexis genibus, ad se placidè vocatis, Euchari...icũ corpus, & sanguinem, vehementi desiderio porrigere, satagebat; cum ad Benetham verò Prophetia. dolenter peruenisset, manũ retrahere, citò videbatur, ipsum martyrij palma turpi inconstãtia pressum, fortè priuaturus. Magno ea reflectu, & mox precationibus faustis audita, ac si vitæ modum certò posuisset, omnes in lachrymas solutos, ad occulta expianda facinora, vehementi oratione adhortatur, & cordis gemitibus acutè stimulat. Terminata circumuoluta suspirijs sancta sinaxi, sacrisq; ritè peractis, vt aduentantibus Regulis opportunò tempore occurrerent, Pesthum Danubij portum versus, ordinato ac religioso ma-

iesta-

iestatis apparatu, iter festinè dirigunt.

23. Cæterum Gerardus statura breuis, licet virtutibus magnus, ob rigidam religiosæ vitæ austeritatem viribus sanè destitutus, humili vehebatur curru. Cumq; ad Danubium ventum est, Vata dux, qui se cum liberis Dæmonibus planè deuouerat, omnes in viros Dei irruptionem turmatim facere, iubet, & saxorum fulminibus illos inuadit, vt disijciat, & perdat; Mox densiori perditorum agmine factò, vehementius currunt, & fortius lapidum imbribus, & dissonis clamoribus insultantes longè illos arcere, conantur. Gerardus autem inter obsistentes, & implacabiles armatorum cateruas, viam sibi socijsq; intrepidè struit: atq; mirabile dictu, signo Crucis munitus, saxa vel aere compellente reprimit, vel impios lapidatores panico terret stupore. Quo sanè miraculo crudeliores effecti, rabia spumantes, inumbrante vespero, militari violentia trahuntur, & impetu facto, irruũt in eum, euersoq; curru eundem tumultuosè rapiunt, atq; biga distensum in montem Kehenfeld humeris clamantes aduehunt; nulla facta mora, e perupta rupe in subiecta fluminis saxa, ipsum ira furentes, proh scelus, dant horrendè præcipitem. Nec is crudelitatis finis. Etenim post dolendum casum, cùm adhuc palpitante pectore, & serena facie semiuiuũ Gerardum cõspectarẽt, spiritum in eo adesse putantes, sub murmure enim in hæc erumpentẽ verba sæpius audiebant; Domine Iesu ne statuas illis hoc peccatum, omni fugata pietate (tradunt lectiones Zagabrensis Ecclesię) lancea pectus morientis Episcopi patris nostri, vt securè cadat transuerberarunt. Ita sanguine laureatus miles gloriosus, seculi huius ærumnis exutus obdormit in Domino, & inter Carmeli Diuos relatus æterna requie fruiturus conuolat. Lapis contriti capitis viri sancti rubricatus, nulla, & si superba Danubij inundatione ad septennium allui potuit, donec per Sacerdotes sacri Corporis venerandæ reliquiæ collectæ, & in Canadiensis Ecclesiæ sacello maxima populorum veneratione, atq; pompa reconditæ fuerint; In cuius rei testimonium, in ipsa altaris superficie, lapis ipse, veluti morientis Patris perpetuitatis

S. Gerardi martyrium.

Mors pretiosa.

catis vestigium situs adspicitur. Nunc verò in Budensi suburbio, vbi sanctus Carmelita Gerardus funestè deturbatus Templum venerando nomini eius, tanquam primo Pannoniæ Martyri sacrum integrum sistit.

Sepulchrum. Moritur sanctus Carmelita noster anno Domini 1047. vt creditur, ætatis suæ sexagesimo primo. sacrum corpus eius à Venetis obtentum, & summa veneratione, in Ecclesia sancti Donati Murani miraculis corruscās collocatum, à fidelibus piè veneratur die 24. Septemb.

NOTAE AD B. GERARDI VITAM.

EX Martyrologio Rom. In Pannonia S. Gerardi Episcopi, & Martyris: Vngarorum Apostoli nuncupati: Patricij veneti, Sagredorum familiæ, qui primus Patriam nobili Martyrio illustrauit.

Ad hæc Illustris. Baronius. Eius vitam descripsit ex veteribus monumentis Laurentius Surius Tom. 5. Plura de eodem in Actis S. Stephani Regis, quæ eadem habet Tom. 4. Bonfin. de rebus Hungaricis decad. 2. lib. 1. & 2. Trithemius de viris illustribus ord. S. Bened. lib. 3. cap. 239. P. Arnoldus Vuion Belga Monachus Bened. in eius vita. Mart. coronatur anno 1047.

Ioannes Molanus in Martyr. Vsuardi. In Hungaria S. Gerardi Episc. & Martyr. octa. Kal. Octob.

Franciscus Maurolycus in Martyr. sub die 24. Sept. In Hungaria S. Gerardi Episcopi, & Martyris.

Petrus Præmonstratensis in sua Cronica, inquit, Tempore Benedicti Noni, qui floruit anno Domini 1030. Gerardus Ordinis Carmelitarum Episcopus Canadiensis, item addit. Patriarcha Antiochenus in Vngaria super Bigam ligatus de alto proiectus præcipitij martyrio coronatus est.

Iacobus Bergom. in supplem. lib. 12. ait Gerardus patricius Venetus, Pannonum Episcopus, virtutiq; bonus, atq; doctissimus ijsdem etiam temporibus martyrium ab hostibus Christianæ Religionis, æquissimo pertulit animo. Nam ipsum sanctissimum Pontificem increduli capientes ad cur-

rum

rum quendam ligauerunt, & in montem altissimum educentes, in præceps dederunt, & turpissimè laceratum interfecerunt.

Ioannes Paleonidorus lib. 1. cap. 4. Diegus de Coria, Petrus Lucius Belga, & alij ex nostris eadem quæ supra.

Magister Philippus ferrarius vir omni scientiarum genere refertus, in sua Topographia ad Martyrol. verbo Pannonia ait. Gerardum nostrum fuisse Seruorum instituti; sed cum rē interius rimatus esset, cognouissetq; Seruorū ordinē initium sumpsisse circa annos Domini 1290. S. verò Gerardum è vita migrasse an. 1047. in Cathalogo sanctorum sub die 24. Feb. se ipsum hac censura correxit; Quod ab aliquibus loco Seruorum ponitur Carmelitarum nomen. Ità veritas fortior omnibus.

Hic nocturno tempore, scribit Surius, leprosum in suo reponebat lectulo, & securi arrepta ad siluam solus pergebat, lignorūq; fasciculos pro sui corporis castigatione proprijs baiulabat humeris seruorum suorum labores anteuertebat, ac subleuabat.

Hæc collegisse volui, pro Dei gloria, & S. P. N. Gerardi perpetuo honoris, & memoriæ monumento, vt eius ope adiutus in hoc mortali ergastulo, fruar tandē expectata beatę vitæ requie.



VITA

15

S. BERTHOLDI CONF. ORD. CARMELITARVM Generalis Latinorum primi.

A Ioanne Paleonidoro, Diego de Coria, Petro Lucio Belga, & alijs excerpta.

Excessit ex humanis anno 1165. Colitur die 29. Martij.

1 ELIGIOSA Carmelitarum familia facie renouata, & Latinorum sanctioribus, satius quàm Græcorum moribus, augustissimam sui ipsius imaginem à Bertholdo viro sancto delineatam post diuturna tempora vidit. Ad præclara huius principis seculi sui monumenta, mentem manumq; auspice Deo, accommodamus.

Quo tempore vixit Berthold. 2. Tempore, quo vniuersalis Christianorum Respub. Saracenorum apud Orientales publicis armis, & assiduis incursionibus vexaretur, quo nil cunctis erat acerbius; dum itèm Petrus Ambianēsis in Morinis eremita noster expeditionem belli sacri sub Vrbano 2. vehementèr vrgebat, anno circiter octuagesimo supra millesimum; Bertholdus Gallus patria Lemouicensis, nobilium de Malefaida, & Parisiensis facultatis Doctor egregius, cuius frater Haimericus, de quo in vita S. Gerardi, gallico succēsus ardore, ensem pro Christo, Christi bellator factus, super fœmur accinxit, nedum fidei hostes expugnaturus, sed vitiorum radices excisurus. Inimicorum Crucis triumphator, vt euadat, in frequentissimo illo militum Christianorum numero, quo occi-

Cōditio. Patria. Professio.

Occidens vniuersus in orientem demigrasse, credebatur ad-
scriptus, Mediterraneo itineri se cũ aliis Cruce signatis tra-
dit; maris procellis vorticibusq; feliciter superatis, Antio-
chiam tandem peruenit. In ea vrbe orationibus Deo fu-
sis, votum vouit se B. Virgini Mariæ, pugna feliciter pu-
gnata, perpetuò dicaturum. Triumphanter à nostris pu-
gnatum est. Antiochia enim Noni mensis obsidionis die
3. Iunij expugnata est à Christianis, dein 15. Iulii die di-
uisionis Apostolorum, feria sexta, qua Christus mortuus
est GODEFREDVS Bolioneus Princeps lotharingiæ, qui
primus conscensis, & superatis mænibus in Vrbem Hieroso-
lymam irruperat, creatus est primus Rex Hierosolymorum
sancta illa terra à Catholicis Principibus gloriosè recupe-
ratur. Voti compos B. Bertholdus promissis stetit. Carme-
li namq; iuga diues miles ascendit, & in Carmeli arenam
nudus eremita descendit. Ille quem clausit Eremus, Ere-
mum ipse innumeris aliis aperit, & ne de se ipso triumphet
mundus, de mundo lętè triumphare studuit, atq; cella cœ-
lum contendens, à castris militũ, ad castra Mariæ contendit.

3. In sacra igitur Religionis palestra se Christi Athleta
exercens, cæteros Eremitas nostros vitæ asperitate vincere
conabatur. Vnica in die contentus refectione, radicibus,
& coctis oleribus, frugali mensa vtebatur, quam sacris me-
ditationibus, & lectionibus gratissimam reddebat palato:
vestibus laneis, illisq; Eremitarum nostrorum vsu rudibus
incedebat amictus. Nulla sanè decurrebat hora diei, qua su-
spirijs, ac orationibus Deiparam Virginem humi aduolutus
non salutaret, non conueniret.

4. Quosdam ex nostris sæpius audiuimus referentes, hunc
sanctum virum in præruptis Carmeli montis, septies quoti-
diè reclinatus, Mediterraneum Mare Angelico Aue, reli-
gioso vsu consalutare, in illius Nubeculę memoriam, quam
Dux noster Elias, e marinis fluctibus ascendentem septima
vice cõspexit; futuræ Incarnationis sacrum prognosticon.
Imò his quoq; temporibus, vsu publicè venit, vt vniuersi
Ordinis nostri fratres, in sing. Canon. horis flexis genibus
Canticum illud mellifluũ, maximo deuotionis ardore reci-
tare consuescant.

Pugna Hierosol.

Votum

Fit Carm.

Exercitia.

Deuotio

Haimericum vocat.

5. Dum autem Bertholdus Commilitones Eremitas diu tacitè dolenter obseruasset, non vniformem, eo tempore, impedientibus bellorum turbinibus, Regularis obseruantiæ rationẽ esse, ad Haimericũ fratrem suum, iam Apostolicæ sedis legatum, & Antiochenę Ecclesię Patriarcham sese contulit, & rogatum humiliter voluit, vt Carmeli gregem sua præsentia non dedignaretur. Nec abnuit, vterini erant. Anno ergo 1120. Carmeli iugra conscendit Haimericus, Eremum nostrorum paternitatis affectu visitaturus. Obuium habet monasticum agmen. Hoc tantulo religiosorum comitatu recreatus, iucũdissimis illum exceperũt amplexib⁹. De moribus autem, legibus & institutis diligenter rimatus intelligit, quosdam eorum, qui ex occidente superuenerãt, spretis seniorum monitis, non rectè ambulare, ad religiosæ Eremiticæ vitæ perfectionem, in Regula Ioannis 44. descriptã, quod ex eo maximè contingere cognouit, quia græcas litteras, vt diximus, codicem Ioannis legere non valebant, vnde libellum illum græcum, rogante Bertholdo, latinitate donari iussit; quod quidem spiritus sancto dictante, qui linguarum dona concedit, tanta facilitate exequtioni mandarunt latini interpretes, vt in omnibus Euangelicæ humilitatem, melius quam Græcorum magniloquentiam redoleat. Et vt in obedientium coherceret audaciam, tutaq; esset seniorum Eremitarum sancti Mõtis Carmeli innocentia, ipsos omnes obedientiæ vinculo deuinxit. Statuit insuper, ex ipsis vnum, qui diceretur Prior, omnibus ità præesse, vt quilibet aliorum ei obedientiam deuoueret, atq; sub eius cura, ac regimine omnes viuerent: Quibus antea licet vnus præesset Abbas, lingua Syria, Pater latinè nuncupatus, cui spontè omnes obedientiam præstabant, nunquam tamen alicui obedientię voto sese adstrinxerant. Haimerici opera latinorum more, hoc primum factum fuisset habemus in speculo Ordinis; de institutione primi Prioris in monte Carmeli per D. Haimericum Patriarcham Antiochenum fol. 58. ex quo primum tridui supplicatio indicta Bertholdum fratrem suum virum religione, ac sanctitate præstantem, de vnanimi omnium assensu communibus

Haimerici aduentus in Carmelum.

Regulam tradit Carmel. Ioã 44.

Berthold. primus latinorum generalis.

suffragijs anno 1121. in primum Priorem generalem eis constituit, cum animarum, & bonorum temporalium solerti cura habenda. Huius Patriarchalis aduentus, & reformatæ Religionis initiorum, diem fœstum solemni ritu singulis annis in Carmelo prisci Patres illi diù obseruarũt. Interim Haimericus tanta sanctorum Eremitarũ pacis conuersatione allectus, Sanctimoniæq; odore repletus, pluries ad astantium solatium protulisse fertur; Nunquam adeò spirituali recreatione animo leuatus fui, quàm inter Carmeli speluncas, & antra, eo tempore, quo apud Carmelitas assiduam habeo conuersationem. Etenim de diuinis rebus familiares illi congressus, sermocinationes, disceptationes, Chorum, Mensam, Silentium, & id Religiosorum alia communia, habere non est dedignatus; sacrum quotidie non intermittebat, vt secundum Apostolicam Regulam illis placere, ad ædificationem posset.

Festum deuotionis.

Haimerici suauitas.

6. Iàm Bertholdus noster fortiter renuerat, illo affici generalatus honore, negans se munus adeò humeris suis subiturum impar: At spiritu sancto afflante, rebus compositis, & difficultatibus superatis, ingentes Superis actæ sunt gratiæ, & data manu victus, omnes Virgini Deiparę laudes Erimicolarum more communiter canunt, quod cæptis adfuerit, quod Carmelũ innouauerit, quod Patrem illis constituerit. Vix quidem datur Calamo, quæ Bertholdi menti suppetunt exarrare, pro domestica disciplina constituenda inter susceptos pro Christo Filios. Is verò ne quid iniuncto muneri desiderari permittat, quæ ad spiritualem vitæ cathechesim facere cognoscit, ardenti animo, præmissis præcibus, vt Numina propitia habeat, amplectitur. Hic diuina excitat studia; Hic rerum sacrarum deuotionem auget; Hic vota iàm promissa memorat; Hic paupertatis amorem prædicat; Hic in victu cultùq; religiosam frugalitatem docet; Hic officia singulis prudenter distribuit; Hic infirmos maxima pietate solatur; Hic demum nihil intentatum relinquit, quod animi, & corporis necessitatibus singulorum paterno non præstet affectu. Imò tanta in omnes charitate ardebat Bertholdus, vt sæpè visus sit vultu radiare, ac

Bertholdi Generalis diligẽtia.

veluti Moysis faciem solo splendidiorem haberet.

Templum in Carmelo novum.

7. Obtinuit demum ab Haimerico Antiochiæ Patriarcha fratre suo, Monasterium in Carmeli monte in D. Margharitæ honorem, ob Margharitæ piorum fratrum memoriam, propris Haimerici expensis, magnificentissimè à fundamentis extrui; licèt alij à Benedictinis Monachis hoc constructũ asserãt, vt regularis disciplinæ amantiores, latinorum more cohabitarẽt; At morte præuentus, ceptũ opus nequiuit cõsumare. Interim varijs orbis terræ locis certatim huic renouatæ militiæ spirituali, date noia in dies contendunt.

Berthold. Coronæ B. Virg. cooperator.

8. Fama fertur apud nostros S. P. N. Bertholdum ingenti, quidem feruore, ad augendã piorum deuotionẽ, publicationi cooperatũ esse modo orãdi per Globulos, in annorum B. V. Mariæ piam cõmemorationem. Qui orandi modum primùm excogitasse Petrum Eremitam nostrum belli sacri incentorem, testantur Iacobus Vitriacus lib. 1. Hist. Orient. cap. 16. & Polidorus Virgil. lib. 10. imò globuli isti, seu calculi à Petro ipso excogitati, ex ligno ad orandum in via militibus monstrabantur. Quod & B. Bertholdus suis Coeremitis passim præstabat, vt Virginem gloriosissimam ordinate, & attente consalutarent.

Missiones operariorum.

9. Is operarios quamplurimos fratres ad messem faciendam in opus Euangelij misit, quippè qui concionibus, eruditionibus, & fidei misterijs cognitu necessarijs, apud omnes Ordines, ità se præclarè gesserunt, vt non modo plebis, verum etiam præstantium virorum frequentiam, à grauibus flagitijs, in meliorem frugem traduxerint; assuetosq; peccatores ad Sacerdotium pedes prouolutos confitendi gratia, singulis horis, tanto pietatis impetu, & eruditionis conatu prouocabant, vt in spiritualem admirationem nedũ Orientalium verum etiam, & occidentalium regiones mirificè raperent: Nil enim illis antiquius erat, quàm Christo, in animarum salute cooperari, illasq; cœlo tandem lucrifacere; vnde in occiduis Regnis, teste Guillelmo Tyrio de Bello sacro, lib. 15. auctus est in immẽsum sacrę nostrę Religionis numerus. Quod orationibus, & incredibili B. Bertholdi sanctimonia contigisse, nostri apertè testantur.

10. Hic

S. Bertholdus prophetus spiritu pollet.

... Hic dum in congressibus fratres suos ad salutem sæpissime alloqueretur, prophetico afflatus spiritu de Ecclesia Dei, de Ordine suo, de terra sancta, diras infidelium persecutiones, & imminentia barbarorum mala vehementi spiritu eructare, audiebatur. Quare Fasciculus temporum sub anno 1184. in S. P. Nostri honorem hoc habet Elogium. Sanctus Bertholdus Carmeliti montis Hermicollis ab Haimerico Antiocheno Patriarcha, in Priorem assignatus fama celebriori multos innotescit. Hic inter cætera præclara suæ sanctitatis indicia, Animas quam plurium fratrum, quos Saracenorum absumpsit gladius, cum Corona martyrij, ab Angelis in Cœlum deferri, vidit; Nostri verò Historici apertè asserunt B. Bertholdo reuelatum fuisse, vsq; ad illa tempora quadraginta millia vtriusq; sexus nostri instituti martyrij laurea coronatos ad Cælos feliciter conuolasse.

Aliud Monast. in Carmelo.

11. Huius precibus Balduinus de Burgo tertius Hierosolymorum Rex, vt ex Paleonidoro lib. 3. cap. 1. qui tredicim annis regnum administrauit, Monasterium in Carmeli monte B. Mariæ V. dicatum, quod antea à felicis recordationis Haimerico, à fundamentis, vna cum sacello D. Margharitæ cæptum, ad exitum, regia magnitudine compleuit; vt Cænobiticæ vitæ amantes, à Pendicibus, & Cauernis Carmeli montis, in quibus antea Anachoretarum more delitescebant, gregatim latinorum consuetudine, cum libuerit conuiuere, liceret. Anno 1128.

S. Berthol mors prætiosa.

12. Interim autem, cum D. Bertholdus sacri nostri frena annis 45. maxima cum sanctitate moderatus esset, miraculis sæpè patratis, salutis monitis tum scriptis, tum verbis relictis, mira charitate, ac pietate fulgens, Carmelitis ab ortu vsq; ad occasum diffusis, senio venerando confectus; etenim quintum decimum ætatis suæ annum supra centesimum agebat, sanctissimus Pater Animam in Candidissimæ Columbæ specie, relicto corpusculo, arabicis fragrante odoribus, Deo tandem creatori suo mirificis operibus plenam, atq; virtutibus refertam, gloria, & honore coronatam, ac Angelorum choris stipatam feliciter, & lætanter tradidit. Quarto Kal. Aprilis anno 1165. sub Eugenio 3. Pont. Max.

13. Ho-

Sepultura.

13. Honorificum verò tanti Patris Corpus in Carmeli monte, in Ecclesia gloriosissimæ Virginis Mariæ Ordinis nostri Patronæ, paulò ante cum nouo Monasterio reædificata, ante illius Aram, tanquam Thimiama odorem sanctitatis, & miraculorum diffundens, ad ceteros Eremitas Christi Aduentum præstolaturum, maximo omnium luctu appositum fuit.

Oratio.

14. Tu ergò Pater sancto, qui Carmeli clauum omnium latinorum primus, tot annis rexisti, tot virtutibus illustrasti, tot exemplis munijsti; Tu iuquàm in rebus omnibus humano gloriæ contemptor egregie, tuæ posteritati impetra, vt per secula cuncta, te imitatione sequatur te precatorem, teq; Ducem habere mereatur.

APPENDIX.

Carmel. tres Generales insignes.

15. Religio nostra Carmelitana tres præclaros Patres, & insignes Magistros generales cognoscit, ac reueretur. Primus est Elias omnium Prophetarum Vates eximius, qui Instituto nostro in Carmeli monte, alta dedit initia. Secundus est Ioannes Baptista Eremi cultor, qui in Spiritu, & virtute Eliæ veniens, à Christo domino, eodem nomine alter Elias vocatus est. Vltimus est Bertholdus, de quo in præsenti, qui omnium latinorum primus, ordinem nostrũ rexit. Sub Elia fundata est nostra Religio; sub Ioanne Baptista fide, & pænitentiæ baptismo ad Christum perducta: Tandèm sub Bertholdo viro sancto per Haimericum reformata, & Ioannis 44. Hierosolymorum Patriarchæ Regula in Carmelo colligata.



VI-

VITA S. BROCARDI

Latinorum Carmelitarum Generalis secundi.

Ab Vsuardo, Molano, Diego de Coria, Ioanne Paleonidoro, & alijs excerpta.

Moritur anno 1207 Colitur verò die 2. Septemb.

1 NTER præcipuos sacri nostri Carmelitici Eremi cultores, quos Palestina diù summa pietate venerata est, vir sempiternæ memoriæ B. Brocardus in vetustis rerum nostrarum monumentis nulli secundus, quarto Nonas Septembris, lætissima festiuitate, concelebrandus occurrit. Cuius admirandæ sanctitatis vita, & si eo anno cæptum sit scribi, quo è viuis ipse ad Cœlum gloriosè translatus est, ipsum tamen Didaci, Vsuardi, Molani, Paleonidori probatorum virorum testimonio; natione Iudeum, patria Hierosolymitanum, professione Carmeli, Eremitam fuisse habemus. Nascitur à die mortis, retrograda facta supputatione, anno 1117. sacra leuatus vnda, Christi fidei Cathechesi illustratus, in ipsa pubescente ætate, Catholicæ Ecclesiæ amplitudinē, ac propagationem tanto feruoris impulsu, & diligentiæ studio est amplexatus, vt fidelis Eremita ab omnibus communiter appellaretur. Is in angustam pauperiem, largas opes commutauit, Eremum, vrbi præponens: nostro igitur sodalitio adiunctus, & religiosæ militiæ in Carmelitis arenis balteo præcinctus, eo sanè virtutum splendore prælucet, vt à nullo Eremitarum, eremitica sanctitate, Ieiunijs, orationibus, solitudinibus, & continuis Deiparæ laudationibus indefessus Athle-

B. Brocardi festum.

Natio.

Vita.

Mores.

Religio.

Athleta vinci permittat. Vnde singulare illud Vsuardi Elogium. Beati Brocardi presbyteri, & Carmeli Prioris generalis magnæ sanctitatis viri. Ex aliud Philippi Ferrarij in Nouo Cathalogo sanctorum. In monte Carmelo B. Brocardi secundi Prioris Carmelitarum.

Encomia

Creatur generalis

2. Bertholdo itaq; viro Eremi nostri laudatæ memoriæ, vita functo, Ordinis habenæ B. Brocardo Aurigæ perito, omnibus Eremitarũ calculis fauorabilibus, sub anno 1166. vniuersali applausu conceduntur. Cùm autem de administranda, diffundendaq; reparatæ nostræ Religionis propagine; cùm B. Alberto Hierosolymorum Patriarcha, sermonem sæpius instituerit; & quæ à prædecessore, cùm Haimerico Antiochenæ Ecclesiæ Præsule, maturè diù sunt discussa, Brocardi tandem intuitu B. Albertus ad exitum mira dexteritate perduxit. Etenim B. Albertus cùm Bethleemiticam Sedem, cuius tunc temporis Episcopatum gerebat, Accone haberet; sub anno 1171. Regulam ex D. Basilij, & Ioannis 44. scriptis excerptam, & illi, & posteris obseruandam in membranis tradit; cuius compendio decernitur, qualiter in Eremo nostro quilibet vitam ducere teneatur. Regularum autem ordinibus conferendarum auctoritas Patriarchis, & Episcopis ordinaria quidem potestate, olim reseruabatur; Quod ex Regula nostra facile conuinci potest. Regulæ exordium tale. Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha dilectis in Christo filijs Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, salutem in Domino, & Sancti Spiritus benedictionem, &c.

Regulam ab Alberto impetrat.

Episcopi olim ordines de licentiare gebant.

Difficultas enodata circa Alberti Regulam.

Regulæ Alberti difficultas

3. Non aspernenda sanè difficultas oritur circa tempus quo B. Alberti Regula tradita est Carmelitis. Etenim si verum est B. Albertum eo tempore Regulam Carmelitis tradidisse, quo Patriarchatus Hierosolymorum dignitate fulgebat, vt initio his verbis traditur. ALBERTVS, Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha: Falsum profectò erit anno 1171. vt in calce Regulę ab eodem latam

profecto erit anno 1171. vt in calce Regulę ab eodem latam fuisse: erat enim eo anno Episcopus Bethleemiticus, vt ex litteris Vuillelmi Tyri Archiepiscopi, à Baronio relatis sub anno 1178. in quibus hæc formalia verba. *Profecti sunt de nostro Oriente, ego Vuillelmus Tyrius Archiepiscopus, Albertus Betleemita Episcopus, Heraclius Cæsariensis Archiepiscopus, & cætera.* quibus refert, quinam Episcopi Orientales Lateranensi Concilio tertio, sub Alexandro tertio interfuerunt anno 1179. inter quos enumeratur Albertus noster Episcopus Bethleemiticus.

4. Hanc sanè difficultatē subodoratus est Petrus Lucius Belga in Compendio Carmelit. soluit; mendum irrepsisse in supputatione, cum notandum esset, hæc accidisse anno 1204. Nos verò fortè clarius nullum esse mendum in supputatione, aut tituli inscriptione, sed omnia veritati consona, hac distinctione censemus; Albertum ante Concilium Lateranēse tertium fuisse Episcopum Bethleemiticum; Post Concilium verò, obtinuisse Patriarchalē Hierosolymorum sedem; dùm erat inibi Episc. Bethleemit. anno 1171. scripsit Regulam, quam primitiuam appellant, cùm verò Typis est tradita, eo quod Patriarchatum Hierosolymitanum obtinuit, post Concilium Lateranense tertium, facta denominatione, à nobiliori, habet initio hunc titulum, *Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha.* Ità Regulæ nostræ Auctoris præstantia fulget, & eius obseruantiæ tempus à principio clarè designatur. Et nulla adest difficultas. Solutio.

5. Reliqua B. Brocardi vitæ prosequamur. Tanta eidem sancto viro inerat in subditorum conuersatione humanitas, tanta in gerendarum rerum administratione iustitia, fortitudo, & prudentia, tanta in acceptæ Regulæ obseruantia, vt ab omnibus confratribus Eremitis, eodem tempore vehementer amaretur, timeretur, obseruaretur. Nullum sanè erat virtutum genus, quo non ornaretur, nullum deuotionis specimen, quo præclarè non fulgeret. Ab exaltatione Dominicæ Crucis, vsq; ad Domini nostri Iesu Christi resurrectionem, Ieiuniū singulis quoq; diebus rigidè obseruabat; Eremitica obseruantia.

Abesu carniũ toto anni tẽpore abstinebat; officij diuini pẽsum, ad Dominici sepulchri nocturnam sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, cum cæteris Eremitis diu noctuq; in Choro deuotissimè soluebat; Armatura Dei aduersus inimicorum insidias indutus incedebat; Castitatis cingulo præcinctos retinebat lumbos, nunquam vacabat otio, sed anxio pectore sanctis munitus cogitationibus, pro Dei gloria, aliquid operis semper operabatur, quibus cælestia potius, quã terrenis crederetur homo; Meditationibus, & rerum diuinarum contemplationibus, eo mentis feruore insistebat, vt ei à sensibus alieno modo Crucifixum Christum, modo Deiparam Virginem in sanctorum splendoribus alloqui concederetur. Miraculorum dono ita præstabat, vt Eliæ P. N. ad instar adolescentem è vita sublatum, ad hanc eandem mortalium vitam, oratione reuocasset, lugentibusq; parentibus festiuè restituisset; qui postea seculo relicto, nostrorum Eremitarum contubernium, Ionam nostrum imitatus, maximo sanctitatis exemplo obtinuit.

Mortuum ad vitam reuocat.

6. Hinc ingenti B. Brocardi religionis fama allectus Albertus Hierosolymorum Patriarcha, ad temperandos animos, & sedandas lites inter Saladinum Syriæ, Aegyptiq; Regem, & Damasci Proregem subortas ipsum sæpius, expeditione facta, delegauit. Cùm verò Damasci Prorex lepra laborasset, S. Brocardus signi Crucis medicamento statim sanitate donatum reliquit; quem postea in Iordanis fluenta vnà cùm multis alijs baptismali lauatum vnda, ad Eremitica nostra Claustra, feliciter traduxit, in quibus mira quidẽ sanctitate prælucens, vsq; ad Cœlorum ascensum perseuerauit.

Legatus in Damascum.

7. Euerardi in Fasciculo temporum testimonium inserere lubet. sub anno 1204. Albertus Hierosolymitanus Patriarcha fratrum Eremitarum sanctæ Dei matris, in Carmelo Monasterium in melius erigit; sanctoq; loci illius, tunc Priori Brocardo, mortui suscitatione, quam pluribus miraculis corrusco, & suis confratribus Regulam iure suo ordinario tradidit; quam prius Lateranense Concilium, Honorius Papa tertius, ac demum successor eius Gregorius nonus

Euerardi testimonium pro Alberto, & Brocar.

su-

cutissimè confirmauerunt. Vincentio teste, in speculo Historiali. Hæc ille.

8. Brocardus tandem innumeris exantlatis laboribus, nonagesimum agens annum virtutibus, & miraculis, cœlo terreq; clarus, ad exitum properans vitæ, tanquam bonus Parens, de filiorum salute valde anxius, Iacobi ad instar, eremi filios ad se vocari iussit; quibus eiulantibus, post manus oscula, inter suspiria alto pectore ducta, in hæc melliflua, florido ore erupit, suprema illi verba moribundus Pater. Filioli desideratissimi corona mea, & gloria mea. Vocauit nos Deus ad Prophetarum Ordinem, ad Eremitarum suorum numerum, glorioso hoc titulo decoratum. Fratres B. Mariæ Virginis de monte Carmeli. Videte, oro, ne post discessum meum, vobis hunc titulum ineptè concreditum esse reprehendamini. Estote fortes in bello; induite brachium domini; in sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequio constantes perseuerate; Diuitiæ si affluant nollite cor apponere; & si mundus vos odit, mementote quia Christum Iesum Dei filium prius odio habuit. Interim oculis in cœlum intentis iteratò precabatur. Bone Iesu suscipe me, & conserua meos, quos dedisti mihi, vt quemquam illorum non perdã. Quibus in verbis, vbi frigescere pedes, manusq; cœperunt paulatim ab extremis spiritum cessit, superna cum Angelis æterno æuo petentem. Anno 1207. Huius viri sancti anniuersaria dies Pauli V. sempiterni nominis pietate, die 2. Septembris per vniuersum Carmelum festiuè recurrit.

Extrema verba.

Mors pretiosa.



VITA
S. CYRILLI CONFESS. Carmelitæ Doctoris Græci, Tertij Carmelitarum Prioris Generalis Latinorum.

Ex Breuiario Carmelitico, Petro de Natalibus, Euerardo in fasciculo temporum, Ioan-Paleonidoro, Didaco de Coria, & alijs.

Vixit ab anno 1126. vsq; ad annum 1210.

Elogium ad D. Cyrillum.

1 
AVDATISSIMI viri Cyrilli eximij Doctoris Græci Carmelitarū familiæ Syderis fulgentissimi acta, immortalitati donata, Deo duce, scribimus; Ab Euerardi in fasciculo temporum Elogio libenter exordimur. S. Cyrillus mellifluì Carmeli Prior, Doctorquè tùm vitæ Sanctitate, à prophetiæ spiritu conspicuus, multa conscripsit posteris profutura seculis, & copiosis miraculis, Deo procurauit gloriam, mundoq; stuporem. Hæc ille sub anno 1204.

D. Cyrilli Patria.

2. Venerabilis ergo Pater noster Cyrillus Constantinopoli nobilibus ortus parentibus, creditur ab orbe reparato 1126. sub Honorio secundo. Vix ablactatus, in ipsa pueritia Ioannis Baptistæ, & Samuelis exemplo, Deo Deiparæq; Virgini suam dicat Virginitatem, & in clericalem tandem militiam adscribi voluit. Quare ad Presbyteratum Ordinem sanctissimè euectus, ad omnia doctrinarū genera capescenda indefesso sanè labore, se totum tradit; adeò proficit, vt in disputationum munere accerrimus, in prædicationum desudationibus ardentissimus, breui temporis spatio, vbiq; locorum sit acclamatus.

Pueritia. Votum. Studia.

3. Euul-

3. Euulgata virtutum fama, & viri Dei religiosa sedulitate, Cathechista deligitur à matre soldani Iconij, vt filium Christi fide, plenè ad salutem instruat. Quomodo autem ista se habuerint, ex Baronij relatu enarremus anno 1169. Erat huic mater Christiana, sed occulta ob metum, quæ proximè moritura filio significauit se esse Christianam, & in fide Christi constantem ex hac vita migrare, hortans eũ, vt & ipse fieret Christianus. Hæc Matthæus Paris anno citato: sed Robertus in appendice ad Sigebertum anno millesimo centesimo octuagesimo primo plura tradit: Soldanus igitur cùm verbis matris, tùm libris diuinæ scripturæ, quos legebat D. Cyrilli opera, & industria, flagrans ardore Christianæ fidei suscipiendæ, eundem Cyrillum legatum vna cùm alijs ad Alexandrum Pontificem misit, petens de Christianæ fidei mysterio plenè instrui, mittiq; ab eo virum aliqum cum Cyrillo, à quibus Christianam religionem edoceretur. Accipiens Alexander litteras, atq; legatos, reddit ad eum Epistolam, cui Cathechismum totius Christianæ Fidei inseruit. Litterarum exemplaria extant apud Petrũ Blesensem in tractatibus eiusdem: Earundem initium tale. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei Soldano Iconij, veritatem agnoscere, & agnitam custodire. Ex tuis litteris, & Nuntiorum tuorũ fideli relatione cognouimus, quod in votis habeas, ad Christum conuerti, & cetera. Soldanus igitur, per litteras à Pontifice salubribus informatus admonitionibus, Baptismi à Cyrillo clãculo accepit sacramentum. Ibi verò Baronius, ait sibi incompertum esse, & quos promisit Pontifex Catholicos viros, & quos miserit nescire prorsus; Ioannes Paleonid. tamen lib. 3. c. 4. qui præcessit Baronium ab hinc ducentis annis, nedum legationem, sed & eruditionem per sacros codices Soldano allatos, memorat, atq; nuntios his prænotant verbis.

Cathechista Soldani Iconij.

Legatus ad Pontificem.

Litteræ Pontificis ad Sold.

4. Prædictus Cyrillus Constantinopolim claris ortus parentibus, omnibus diuinarum humanarumq; litteris eruditus. Dùm audisset Soldanum Iconij, sacros Christianæ Religionis libros optare, sumptis codicibus, quorum lectione, eius animum facilius existimauit imbuendũ, Iconium

Paleonid. Testimonium.

venit. Breuibus igitur adeò ipsum monendo, persuadendoq; perorauit, vt Cathecumenum factum, in paschali solemnitate, baptismi lauacro intinctum Christo generaret. Interea Cyrillum misit ad Alexandrum tertium, qui ex eius relatione scripsit illi, dicens. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Soldano Iconij salutem veritatem agnoscere, & agnitam custodire, & cęt. His litteris acceptis; & legatione fideliter peracta, Cyrillus rediit Constantinopolim. Hæc Paleonidorus noster ante Baronium rerum nostrarum scriptor fidelis.

Manuelis Imp. Legatus.

5. At memoranda itèm sequuntur. Etenim Manuelo Comneni filio Imperatori magno adeò carus Cyrillus noster, vt paulò post Romam ab eodem ad Alexandrum 3. P. M. pro rebus Orientis, & Occidentis Imperij componendis mitteretur. Legationis littera apud Baronium habes anno 1170. At res nimis alta, valdè periculosa, atq; perplexa infecta cadit: Dedita enim manu Orientalium, & Occidentalium Imperia diuisa insociabili separatione disterminabantur quare Cyrillus muneri non desiderio satisfecit. Hæc eadē vetustus Paleonidorus noster his quidem verbis ante Baronium.

Paleonidori aliud testimon.

6. Interea Cyrillum cogebat Manuelis Imperatoris Constantinopolitani, ad Alexandrum tertium Romanæ vrbis Pontificem legatio, pro Imperio Romano ante diuiso, in vnum corpus redigendo. Missi sunt simul cùm Cyrillo oratores, qui magna pollicerentur; si Pontifex in sententiam eius descenderet; quibus respondit Pontifex, non esse facile in vnum iungere, quod Prædecessores sui de industria disiunxissent. Hæc ille. Plura apud Baronium anno 1170.

Disputat cum Patriarcha Constantinopol.

6. In Patriam tandem feliciter reuerso Cyrillo, inter ipsum, & Constantinopolitanum Patriarcham de Spiritus sancti Processione, magna quidem orta est discensio; inquit Breuiarium nostrum, illo nimirum asserente à Patre solo, Cyrillo verò à Patre, & filio constanter affirmante. At iniurijs lacessebat ille, quem rationibus vincere nequibat. Quare obstinati procacitati, cedere animo reuoluēs, ne illorum laboribus se immiscere, videretur; In somnis à B. Virgine

Maria, quam sibi patronam à teneris delegerat, sequenti nocte, venerando aspectu, inter fulgentissima lumina, talia paucis accepit: Noli mi fili trepidare, si priscorum errores euadere cupis, sacra Carmeli inquirito, ibi afflues, & dilataberis: monitis Cyrillus inter suspiria addit. O DOMINA VIRGO MARIA, sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo, esto mihi cõsolatrix, & Magistra: Pauperibus illicò omnia sua liberaliter elargitus, Syriam versus enauigauit. Vix inter equoris vndas Carmeli iugum, præ ceteris se extollens, à longè aduertit; à Nautis ibi Propheticos viros Eremitas diuinam interpretantes, docẽtesq; Philosophiam religiosissimè commanere, quibus tutelaris B. Virgo Maria, significatum est illi: è Naui, soluto naulo, egressus, vix terram, quam sanctam appellitant, pedibus tenet, en disponente Deo, Brocardus obuius illi; qui inuiso Eremitarum montis Carmeli habitu indutus, lepidissimis consalutationibus illum idiomate græco est alloquutus. Salue, quid negotij vir bone? cui Cyrillus, Deo eiusq; matri Mariæ toto corde inseruire, Hoc quidem vrgens negotium. Plura intercessere amoris verba. Brocardus tandem socium præire iussit, & Cyrillũ associans, Carmeli via gradiebãtur, diuina mira suauitate pertractantes. Amborum corda dulcissimis charitatis ignibus exurrebant, & mutuo necessitudinis vinculo, O miram Dei prouidentiam, incedentes sensim connectebantur. Ad Carmeli radices ventum, inter sacri montis cellulas, & Eremitarum cauernulas, Cyrilli anima nimia eliquebatur dulcedine. Quo propius ad Diuæ Templum, & sanctorum Cœnobium appropinquabat, eo fortius exardescebat Cyrillus.

Virgo M. apparet ei

In Palæstinam nauigat.

8. Hic nequaquam prætermittenda D. Brocardi verba ad eruditionem, etenim percunctanti, & admirabundo Cyrillo, relatu digniora dicendo aperit; en hospes amice, Eliæ P. N. suaue iugum; en vetusta Prophetarum schola, sanctitatis sodalitium; Ab hoc sanè primordialiter omnis Religio, & Religiosorum imago, forma, ac viuendi norma; En Eliæ spelunca, Cælica habitatio; Adspice nostri Ducis fontem aquarum venis indeficientem, sparsas intuere Cauernulas,

Brocardũ obuiat.

Colloquutio Broc. & Cyrilli.

B. Virginis Mariæ admonitio.

vacuum admirare grotulas, & sacras oraculorum, ac sanctorum reuerere ædiculas. Mons ipse Cœnobium est. Hic Reginæ nostræ sacellum, ab eius in Cœlum ascensum candido lapide, & mixto disposito ordine, figuris, & emblematibus spectabile, primò dicatum ostendo. Flecte genu, & Deiparæ aram mecum exosculare. Blandis hisce terminatis, hospitio, quā liberaliter recipitur, eremitis consalutatis, cibo recreatus, tādem declinantibus alijs, solus orandi gratia relinquitur. Ei inter mirificos splendores præsto fuit B. Virgo dicens. HIC TVTVS ERIS. Quare altero die sumpto Dei Genetricis habitu, Eremitarum more ieiunijs, orationibus, sacris lectionibus, & charitatis officijs, Deo gratissimus diuinis reuelationibus sæpissimè dignatus est.

Paleonid. tertium testim. de Armenorum conuersione.

9. Non ommittemus Paleonidori lectissima lib. 3. cap. 4. Nam orationibus noctu in Deum rapto, quidam aspectu eximius, vir facie venerandus, capite infulatus, & religioso amictus vestitu, apparuit, loquens. Ne timeas Cyrille, ego sum Basilius, quondam sacri huius montis Eremita, nunc Cæsareæ Capadociæ Pastor. Scias Christi voluntatem esse, vt in Armeniam, quam primùm pergas, Euangelij verbum disseminaturus, & Christo Domino lucernam paraturus. Nocturna Priori insinuata visione, venia ab eodem impetrata, præmissis orationibus, associante fratre Eusebio, Armeniam petit, & inter Christianæ fidei desertores, Christi fidem plantare, semine diuini verbi contendit. spatio annorum decem laborat, quo temporis cursu quantum pro Catholica Ecclesia profecerit, aperit Paleonidorus asserēs Armeniæ Regem cùm omnibus Episcopis Cyrilli suasu obedientiam per Nuntios, & Lucio tertio hæbraicarum litterarum peritissimo, patria Bononiensi ex parte Viseo: & post discessum eius (regnauit enim menses vndecim, & dies quatuordecim) Eugenio tertio obedientiam summis honoribus præstitisse Viterbij.

Armenorum legatio ex Baronio.

10. Libenter Armenorum legationem ex Baronio anno 1145. inserere curamus. Ea, inquit, tempestate legati Armenorum Episcoporum, eorumq; Metropolitani, quem ipsi Catholicam, idest vniuersalem, propter infinitum, idest amplius

plius

plius quam mille Episcoporum sub se habentẽ numerum vocant, Legati ab vltimo penè oriente, summũ Pontificem Viterbij, laboriosum iter per annum, & sex menses cõplentes, adeunt; eiq; ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam eum consalutando offerentes, causas viæ nobis cum alijs multis præsentibus, apud veterem aulam aperiũt, quę tales erant. Inter ipsos, & Græcos quædam de ritu sacrificij habitudo est in quibusdam, in alijs verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi, aquam autem vino non admiscent, sicut nos, & illi. Præterea Natiuitatem Domini Epiphaniæ cõtinuantes, duas illas festiuitates vnam faciunt. Pro his, & alijs, dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formamq; sacrificij iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt. Armenorum legatio ex Baronio.

11. Quos Romanus Pontifex gratanter suscipiens, Missarum solemnijs, ac sacrificijs secretis adhibuit, diligẽterq; ea, quæ fiebant ibidem, eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentiq; sacro Altari astarent, vnus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut post modum in plena curia retulit, in B. Martini octaua, quando dedicatio Ecclesiæ B. Petri celebrari solet, summo Pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & inuicem descendentes vidit. Cumq; diligentius hac illacquè oculos circumferret, nullumq; aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret: deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitus hoc sibi monstratum affirmabat; vt videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat sacramẽtorum virtutem veritatis luce perfusam cognoscerent, ac deinceps quali ea reuerẽtia, & forma tractare deberet, addisceret. Retulit etiam præfatus Episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fœtus suos fœtentes generarent, eosq; statim ad aquas Armeniorum lauandos transmitterent. Quos cùm illi bap- Instruũtur Armeni diuina visione.

Sepultura [illegible]

13. Honorificum verò tanti Patris Corpus in Carmeli monte, in Ecclesia gloriosissimæ Virginis Mariæ Ordinis nostri Patronæ, paulò ante cum nouo Monasterio reædificatæ, ante illius Aram, tanquam Thimiama odorem sanctitatis, & miraculorum diffundens, ad ceteros Eremitas Christi Aduentum præstolaturum, maximo omnium luctu appositum fuit.


Oratio.

14. Tu ergò Pater sancto, qui Carmeli clauum omnium latinorum primus, tot annis rexisti, tot virtutibus illustrasti, tot exemplis munijsti; Tu iuquàm in rebus omnibus humano gloriæ contemptor egregie, tuæ posteritati impetra, vt per secula cuncta, te imitatione sequatur te precatorem, teq; Ducem habere mereatur.

APPENDIX.

Carmel. tres Generales insignes.

15. Religio nostra Carmelitana tres præclaros Patres, & insignes Magistros generales cognoscit, ac reueretur. Primus est Elias omnium Prophetarum Vates eximius, qui Instituto nostro in Carmeli monte, alta dedit initia. Secundus est Ioannes Baptista Eremi cultor, qui in Spiritu, & virtute Eliæ veniens, à Christo domino, eodem nomine alter Elias vocatus est. Vltimus est Bertholdus, de quo in præsenti, qui omnium latinorum primus, ordinem nostrũ rexit. Sub Elia fundata est nostra Religio; sub Ioanne Baptista fide, & pænitentiæ baptismo ad Christum perducta: Tandèm sub Bertholdo viro sancto per Haimericum reformata, & Ioannis 44. Hierosolymorum Patriarchæ Regula in Carmelo colligata.



VITA S. BROCARDI

Latinorum Carmelitarum Generalis secundi.

Ab Vsuardo, Molano, Diego de Coria, Ioanne Paleonidoro, & alijs excerpta.

Moritur anno 1207 Colitur verò die 2. Septemb.



1 NTER præcipuos sacri nostri Carmelitici Eremi cultores, quos Palestina diù summa pietate venerata est, vir sempiternæ memoriæ B. Brocardus in vetustis rerum nostrarum monumentis nulli secundus, quarto Nonas Septembris, lætissima festiuitate, concelebrandus occurrit. Cuius admirandæ sanctitatis vita, & si eo anno cæptum sit scribi, quo è viuis ipse ad Cœlum gloriosè translatus est, ipsum tamen Didaci, Vsuardi, Molani, Paleonidori probatorum virorum testimonio; natione Iudeum, patria Hierosolymitanum, professione Carmeli, Eremitam fuisse habemus. Nascitur à die mortis, retrograda facta supputatione, anno 1117. sacra leuatus vnda, Christi fidei Cathechesi illustratus, in ipsa pubescente ætate, Catholicæ Ecclesiæ amplitudinē, ac propagationem tanto feruoris impulsu, & diligentiæ studio est amplexatus, vt fidelis Eremita ab omnibus communiter appellaretur. Is in angustam pauperiem, largas opes commutauit, Eremum, vrbi præponens: nostro igitur sodalitio adiunctus, & religiosæ militiæ in Carmelitis arenis balteo præcinctus, eo sanè virtutum splendore prælucet, vt à nullo Eremitarum, eremitica sanctitate, Ieiunijs, orationibus, solitudinibus, & continuis Deiparæ laudationibus indeffessus Athle-

B. Brocardi festum.

Natio.

Vita.

Mores.

Religio.

Encomia

Athleta vinci permittat. Vnde singulare illud Vsuardi Elogium. Beati Brocardi presbyteri, & Carmeli Prioris generalis magnæ sanctitatis viri. Ex aliud Philippi Ferrarij in Nouo Cathalogo sanctorum. In monte Carmelo B. Brocardi secundi Prioris Carmelitarum.

Creatur generalis

2. Bertholdo itaq; viro Eremi nostri laudatæ memoriæ, vita functo, Ordinis habenæ B. Brocardo Aurigæ perito, omnibus Eremitarũ calculis fauorabilibus, sub anno 1166. vniuersali applausu conceduntur. Cùm autem de administranda, diffundendaq; reparatæ nostræ Religionis propagine; cùm B. Alberto Hierosolymorum Patriarcha, sermonem sæpius instituerit; & quæ à prædecessore, cùm Haimerico Antiochenæ Ecclesiæ Præsule, maturè diù sunt discussa, Brocardi tandem intuitu B. Albertus ad exitum mira dexteritate perduxit. Etenim B. Albertus cùm Bethleemiticam Sedem, cuius tunc temporis Episcopatum gerebat, Accone haberet; sub anno 1171. Regulam ex D. Basilij, & Ioannis 44. scriptis excerptam, & illi, & posteris obseruandam in membranis tradit; cuius compendio decernitur, qualiter in Eremo nostro quilibet vitam ducere teneatur. Regularum autem ordinibus conferendarum auctoritas Patriarchis, & Episcopis ordinaria quidem potestate, olim reseruabatur; Quod ex Regula nostra facile conuinci potest. Regulæ exordium tale. Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha dilectis in Christo filijs Brocardo, & cæteris Eremitis, qui sub eius obedientia iuxta fontem Eliæ in Monte Carmeli morantur, salutem in Domino, & Sancti Spiritus benedictionem, &c.

Regulam ab Alberto impetrat.

Episcopi olim ordines de licentiare gebant.

Difficultas enodata circa Alberti Regulam.

Regulæ Alberti difficultas

3. Non aspernenda sanè difficultas oritur circa tempus quo B. Alberti Regula tradita est Carmelitis. Etenim si verum est B. Albertum eo tempore Regulam Carmelitis tradidisse, quo Patriarchatus Hierosolymorum dignitate fulgebat, vt initio his verbis traditur. ALBERTVS, Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha: Falsum profecto erit anno 1171. vt in calce Regulę ab eodem la-

tam

profecto erit anno 1171. vt in calce Regulę ab eodem latam fuisse: erat enim eo anno Episcopus Bethleemiticus, vt ex litteris Vuillelmi Tyri Archiepiscopi, à Baronio relatis sub anno 1178. in quibus hæc formalia verba. Profecti sunt de nostro Oriente, ego Vuillelmus Tyrius Archiepiscopus, Albertus Betleemita Episcopus, Heraclius Cæsariensis Archiepiscopus, & cætera. quibus refert, quinam Episcopi Orientales Lateranensi Concilio tertio, sub Alexandro tertio interfuerunt anno 1179. inter quos enumeratur Albertus noster Episcopus Bethleemiticus.

4. Hanc sanè difficultatē subodoratus est Petrus Lucius Belga in Compendio Carmelit. soluit; mendum irrepsisse in supputatione, cum notandum esset, hæc accidisse anno 1204. Nos verò fortè clarius nullum esse mendum in supputatione, aut tituli inscriptione, sed omnia veritati consona, hac distinctione censemus; Albertum ante Concilium Lateranēse tertium fuisse Episcopum Bethleemiticum; Post Concilium verò, obtinnisse Patriarchalē Hierosolymorum sedem; dùm erat inibi Episc. Bethleemit. anno 1171. scripsit Regulam, quam primitiuam appellant, cùm verò Typis est tradita, eo quod Patriarchatum Hierosolymitanum obtinuit, post Concilium Lateranense tertium, facta denominatione, à nobiliori, habet initio hunc titulum, Albertus Dei gratia Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha. Ità Regulæ nostræ Auctoris præstantia fulget, & eius obseruantiæ tempus à principio clarè designatur. Et nulla adest difficultas. Solutio.

5. Reliqua B. Brocardi vitæ prosequamur. Tanta eidem sancto viro inerat in subditorum conuersatione humanitas, tanta in gerendarum rerum administratione iustitia, fortitudo, & prudentia, tanta in acceptæ Regulæ obseruantia, vt ab omnibus confratribus Eremitis, eodem tempore vehementer amaretur, timeretur, obseruaretur. Nullum sanè erat virtutum genus, quo non ornaretur, nullum deuotionis specimen, quo præclarè non fulgeret. Ab exaltatione Dominicæ Crucis, vsq; ad Domini nostri Iesu Christi resurrectionem, Ieiuniū singulis quoq; diebus rigidè obseruabat; Eremitica obseruantia.

Ab esu carnium toto anni tempore abstinebat, officij diuini pensum, ad Dominici sepulchri normam, ritu Hierosolymitanæ Ecclesiæ, cum cæteris Eremitis diu noctuq; in Choro deuotissimè soluebat; Armatura Dei aduersus inimicorum insidias indutus incedebat; Castitatis cingulo præcinctos retinebat lumbos, nunquam vacabat otio, sed anxio pectore sanctis munitus cogitationibus, pro Dei gloria, aliquid operis semper operabatur, quibus cælestia potius, quàm terrestrius credebant homo; Meditationibus, & rerum diuinarum contemplationibus, eo mentis feruore insistebat, vt ei à sensibus alieno modo Crucifixum Christum, modo Deiparam Virginem in sanctorum splendoribus alloqui concederetur. Miraculorum dono ita præstabat, vt Eliæ P. N. ad instar adolescentem è vita sublatum, ad hanc eandem mortalium vitam, oratione reuocasset, lugentibusq; parentibus festiuè restituisset; qui postea seculo relicto, nostrorum Eremitarum contubernium, Ionam nostrum imitatus, maximo sanctitatis exemplo obtinuit.

Mortuum ad vitam reuocat.

6. Hinc ingenti B. Brocardi religionis fama allectus Albertus Hierosolymorum Patriarcha, ad temperandos animos, & sedandas lites inter Saladinum Syriæ, Aegyptiq; Regem, & Damasci Proregem subortas ipsum sæpius, expeditione facta, delegauit. Cùm verò Damasci Prorex lepra laborasset, S. Brocardus signi Crucis medicamento statim sanitate donatum reliquit; quem postea in Iordanis fluenta vnà cùm multis alijs baptismali lauatum vnda, ad Eremitica nostra Claustra, feliciter traduxit, in quibus mira quidē sanctitate prælucens, vsq; ad Cœlorum ascensum perseuerauit.

Legatus in Damascum.

7. Euerardi in Fasciculo temporum testimonium inserere lubet. sub anno 1204. Albertus Hierosolymitanus Patriarcha fratrum Eremitarum sanctæ Dei matris; in Carmelo Monasterium in melius erigit; sanctoq; loci illius, tunc Priori Brocardo, mortui suscitatione, quam pluribus miraculis corrusco, & suis confratribus Regulam iure suo ordinario tradidit; quam prius Lateranense Concilium, Honorius Papa tertius, ac demum successor eius Gregorius nonus

Euerardi testimonium pro Alberto, & Brocar.

entissimè confirmauerunt. Vincentio teste, in speculo Historiali. Hæc ille.

8. Brocardus tandem innumeris exantlatis laboribus, nonagesimum agens annum virtutibus, & miraculis, cœlo terreq; clarus, ad exitum properans vitæ, tanquam bonus Parens, de filiorum salute valde anxius, Iacobi ad instar, eremi filios ad se vocari iussit; quibus eiulantibus, post manus oscula, inter suspiria alto pectore ducta, in hæc meliflua, florido ore erupit, suprema illi verba moribundus Pater. Filioli desideratissimi corona mea, & gloria mea. Vocauit nos Deus ad Prophetarum Ordinem, ad Eremitarum suorum numerum, glorioso hoc titulo decoratum. Fratres B. Mariæ Virginis de monte Carmeli. Videte, oro, ne post discessum meum, vobis hunc titulum ineptè concreditum esse reprehendamini. Estote fortes in bello; induite brachium domini, in sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequio constanter perseuerate; Diuitiæ si affluant nollite cor apponere; & si mundus vos odit, mementote quia Christum Iesum Dei filium prius odio habuit. Interim oculis in cœlum intentis iterato precabatur. Bone Iesu suscipe me, & conserua meos, quos dedisti mihi, vt quemquam illorum non perdā. Quibus in verbis, vbi frigescere pedes, manusq; cæperunt paulatim ab extremis spiritum cessit, superna cum Angelis æterno æuo petentem. Anno 1207. Huius viri sancti anniuersaria dies Pauli V. sempiterni nominis pietate, die 2. Septembris per vniuersum Carmelum festiuè recurrit.

Extrema verba.

Mors pretiosa.



VITA
S. CYRILLI CONFESS.
Carmelitæ Doctoris Græci, Tertij Carmelitarum Prioris Generalis Latinorum.

Ex Breuiario Carmelitico, Petro de Natalibus, Euerardo in fasciculo temporum, Ioan. Paleonidoro, Didaco de Coria, & alijs.

Vixit ab anno 1126. vsq; ad annum 1210.

Elogium ad D. Cyrillum.



1 LAVDATISSIMI viri Cyrilli eximij Doctoris Græci Carmelitarũ familiæ Syderis fulgentissimi acta, immortalitati donata, Deo duce, scribimus; Ab Euerardi in fasciculo temporum Elogio libenter exordimur. S. Cyrillus melliflui Carmeli Prior, Doctorquè tùm vitæ Sanctitate, à prophetiæ spiritu conspicuus, multa conscripsit posteris profutura seculis, & copiosis miraculis, Deo procurauit gloriam, mundoq; stuporem. Hæc ille sub anno 1204.

D. Cyrilli Patria.

2. Venerabilis ergo Pater noster Cyrillus Constantinopoli nobilibus ortus parentibus, creditur ab orbe reparato 1126. sub Honorio secundo. Vix ablactatus, in ipsa pueritia Ioannis Baptistæ, & Samuelis exemplo, Deo Deiparæq; Virgini suam dicat Virginitatem, & in clericalem tandem militiam adscribi voluit. Quare ad Presbyteratum Ordinem sanctissimè euectus, ad omnia doctrinatũ genera capescenda indefesso sanè labore, se totum tradit; adeò proficit, vt in disputationum munere accerrimus, in prædicationum desudationibus ardentissimus, breui temporis spatio, vbiq; locorum sit acclamatus.

Pueritia. Votum. Studia.

3. Euul.

3. Euulgata virtutum fama, & viri Dei religiosa sedulitate, Cathechista deligitur à matre soldani Iconij, vt filium Christi fide, plenè ad salutem instruat. Quomodo autem ista se habuerint, ex Baronij relatu enarremus anno 1169. Erat huic mater Christiana, sed occulta ob metum, quæ proximè moritura filio significauit se esse Christianam, & in fide Christi constantem ex hac vita migrare, hortans eũ, vt & ipse fieret Christianus. Hæc Matthæus Paris anno citato: sed Robertus in appendice ad Sigebertum anno millesimo centesimo octuagesimo primo plura tradit: Soldanus igitur cùm verbis matris, tùm libris diuinæ scripturæ, quos legebat D. Cyrilli opera, & industria, flagrans ardore Christianæ fidei suscipiendæ, eundem Cyrillum legatum vna cùm alijs ad Alexandrum Pontificem misit, petens de Christianæ fidei mysterio plenè instrui, mittiq; ab eo virum aliqum cum Cyrillo, à quibus Christianam religionem edoceretur. Accipiens Alexander litteras, atq; legatos, reddit ad eum Epistolam, cui Cathechismum totius Christianæ Fidei inseruit. Litterarum exemplaria extant apud Petrũ Blesensem in tractatibus eiusdem: Earundem initium tale. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei Soldano Iconij, veritatem agnoscere, & agnitam custodire. Ex tuis litteris, & Nuntiorum tuorũ fideli relatione cognouimus, quod in votis habeas, ad Christum conuerti, & cetera. Soldanus igitur, per litteras à Pontifice salubribus informatus admonitionibus, Baptismi à Cyrillo cláculo accepit sacramentum. Ibi verò Baronius, ait sibi incompertum esse, & quos promisit Pontifex Catholicos viros, & quos miserit nescire prorsus; Ioannes Paleonid. tamen lib. 3. c. 4. qui præcessit Baronium ab hinc ducentis annis, nedum legationem, sed & eruditionem per sacros codices Soldano allatos, memorat, atq; nuntios his prænotant verbis.

Cathechista Soldani Iconij.

Legatus ad Pontificem.

Litteræ Pontificis ad Sold.

4. Prædictus Cyrillus Constantinopolim claris ortus parentibus, omnibus diuinarum humanarumq; litteris eruditus. Dùm audisset Soldanum Iconij, sacros Christianæ Religionis libros optare, sumptis codicibus, quorum lectione, eius animum facilius existimauit imbuendũ, Iconium

Paleonid. Testimonium.

venit. Breuibus igitur adeò ipsum monendo, persuadendoq; perorauit, vt Cathecumenum factum, in paschali solemnitate, baptismi lauacro intinctum Christo generaret. Interea Cyrillum misit ad Alexandrum tertium, qui ex eius relatione scripsit illi, dicens. Alexander Episcopus seruus seruorum Dei. Soldano Iconij salutem veritatem agnoscere, & agnitam custodire, & cęt. His litteris acceptis; & legatione fideliter peracta, Cyrillus rediit Constantinopolim. Hæc Paleonidorus noster ante Baronium rerum nostrarum scriptor fidelis.

Manuelis Imp. Legatus.

5. At memoranda item sequuntur. Etenim Manuelo Commeni filio Imperatori magno adeò carus Cyrillus noster, vt paulò post Romam ab eodem ad Alexandrum 3. P. M. pro rebus Orientis, & Occidentis Imperij componendis mitteretur. Legationis litteræ apud Baronium habes anno 1170. At res nimis alta, valdè periculosa, atq; perplexa infecta cadit: Dedita enim manu Orientalium, & Occidentalium Imperia diuisa insociabili separatione disterminabantur quare Cyrillus muneri non desiderio satisfecit. Hæc eadē vetustus Paleonidorus noster his quidem verbis ante Baronium.

Paleonidori aliud testimon.

6. Interea Cyrillum cogebat Manuelis Imperatoris Constantinopolitani, ad Alexandrum tertium Romanæ vrbis Pontificem legatio, pro Imperio Romano ante diuiso, in vnum corpus redigendo. Missi sunt simul cùm Cyrillo oratores, qui magna pollicerentur; si Pontifex in sententiam eius descenderet; quibus respondit Pontifex, non esse facile in vnum iungere, quod Prædecessores sui de industria disiunxissent. Hæc ille. Plura apud Baronium anno 1170.

Disputat cum Patriarcha Constantinopol.

6. In Patriam tandem feliciter reuerso Cyrillo, inter ipsum, & Constantinopolitanum Patriarcham de Spiritus sancti Processione, magna quidem orta est discensio; inquit Breuiarium nostrum, illo nimirum asserente à Patre solo, Cyrillo verò à Patre, & filio constanter affirmante. At iniurijs lacessebat ille, quem rationibus vincere nequibat. Quare obstinati procacitati, cedere animo reuoluēs, ne illorum laboribus se immiscere, videretur; In somnis à B. Virgine

Ma-

Maria, quam sibi patronam à teneris delegerat, sequenti nocte, venerandu aspectu, inter fulgentissima lumina, talia paucis accepit: Noli imi fili trepidare, si priscorum errores euadere cupis, sacra Carmeli inquirito, ibi affluës, & dilataberis: monitis Cyrillus inter suspiria addit: O DOMINA VIRGO MARIA, sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo; esto mihi cōsolatrix, & Magistra: Pauperibus illicò omnia sua liberaliter clargitus, Syriam versus enauigauit. Vix inter equoris vndas Carmeli iugum, præ ceteris se extollens, à longè aduertit; à Nautis ibi Propheticos viros Eremitas diuinam interpretantes, docētesq; Philosophiam religiosissimè commanere, quibus tutelaris B. Virgo Maria, significatum est illi: è Naui, soluto naulo, egressus, vix terram, quam sanctam appellitant, pedibus tenet, en disponente Deo, Brocardus obuius illi; qui inuiso Eremitarum montis Carmeli habitu indutus, lepidissimis consalutationibus illum idiomate græco est alloquutus. Salue, quid negotij vir bone? cui Cyrillus, Deo eiusq; matri Mariæ toto corde inseruire, Hoc quidem vrgens negotium. Plura intercessere amoris verba. Brocardus tandem socium præire iussit, & Cyrillū associans, Carmeli via gradiebātur, diuina mira suauitate pertractantes. Amborum corda dulcissimis charitatis ignibus exurrebant, & mutuo necessitudinis vinculo, O miram Dei prouidentiam, incedentes sensim connectebantur. Ad Carmeli radices ventum, inter sacri montis cellulas, & Eremitarum cauernulas, Cyrilli anima nimia eliquebatur dulcedine. Quo propius ad Diuæ Templum, & sanctorum Cœnobium appropinquabat, eo fortius exardescebat Cyrillus.

Virgo M. apparet ei.

In Palæstinam nauigat.

Brocardus obuiat.

8. Hic nequaquam prætermittenda D. Brocardi verba ad eruditionem, etenim percunctanti, & admirabundo Cyrillo, relatu digniora dicendo aperit; en hospes amice, Eliæ P. N. suaue iugum; en vetusta Prophetarum schola, sanctitatis sodalitium; Ab hoc sanè primordialiter omnis Religio, & Religiosorum imago, forma, ac viuendi norma; En Eliæ spelunca, Cælica habitatio; Adspice nostri Ducis fontem aquarum venis indeficientem, sparsas intuere Cauernulas,

Colloquutio Broc. & Cyrilli.

plius quam mille Episcoporum sub se habentē numerum vocant, Legati ab vltimo penè oriente, summū Pontificem Viterbij, laboriosum iter per annum, & sex menses cōplentes, adeunt; eiq; ex parte illius Ecclesiæ subiectionem omnimodam eum consalutando offerentes, causas viæ nobis cum alijs multis præsentibus, apud veterem aulam aperiūt, quę tales erant. Inter ipsos, & Græcos quædam de ritu sacrificij habitudo est in quibusdam, in alijs verò discrepantia. Ponunt enim fermentatum panem, sicut illi, aquam autem vino non admiscent, sicut nos, & illi. Præterea Natiuitatem Domini Epiphaniæ cōtinuantes, duas illas festiuitates vnam faciunt. Pro his, & alijs, dum inter se dissentirent, Romanam Ecclesiam iudicem eligentes, consultum veniunt, formamq; sacrificij iuxta consuetudinem eius sibi tradi deposcunt.

Armenorum legatio ex Baronio.

11. Quos Romanus Pontifex gratanter suscipiens, Missarum solemnijs, ac sacrificijs secretis adhibuit, diligēterq; ea, quæ fiebant ibidem, eos animaduertere monuit. Quod dum facerent, intentiq; sacro Altari astarent, vnus ex eis pontificali dignitate præditus, sicut post modum in plena curia retulit, in B. Martini octaua, quando dedicatio Ecclesiæ B. Petri celebrari solet, summo Pontifice diuina mysteria agente, splendido fulgore radium solis super caput eius coruscare, & in ipso duas columbas ascendentes, & inuicem descendentes vidit. Cumq; diligentius hac illacquè oculos circumferret, nullumq; aditum, per quem lux illa transfunderetur, inueniret: deificum hoc esse cognoscens, ac ad obedientiam Romanæ sedis amplius accensus, cunctis quæ viderat, aperuit. At venerabilis Pater non suis hoc meritis attribuens, ipsius potius fide cœlitus hoc sibi monstratum affirmabat; vt videlicet Ecclesia, à qua ipse missus fuerat sacramētorum virtutem veritatis luce perfusam cognoscerent, ac deinceps quali ea reuerētia, & forma tractare deberet, addisceret. Retulit etiam præfatus Episcopus, quod in confinio Armeniæ quædam gentes essent, quæ fætus suos fetentes generarent, cosq; statim ad aquas Armeniorum lauandos transmitterent. Quos cùm illi bap-

Instruuntur Armeni diuina visione.

tismatis vnda tingentes, innatum eis fetorem propellerent. Mox tamen remissi, ad paganismi vitam, & spurcitiam redibant. Quod vtrum faciendum esset: item Romanam Ecclesiam consuluerunt. Hæc Baronius, quæ omnia D. Cyrilli studio opera, & labore euenisse, non dubitamus.

Visio B. Hilarionis ad Altare.

12. Hic vir æternæ memoriæ cum aliquando, in B. Hilarionis P. N. commemoratione, sacrum faceret, Angelus visibili aspectu, duas tabulas argenteas, litteris græcis inscriptas, illi ad Altare porrigens, dixit. Has tabulas tibi omnipotens Deus misit familiari seruo suo, & Præconi fideli, vt scripturam hanc membranis commendes, & conflato Tabellarum argento, Calicem atq; Turribulum ad turrificandum domino efficias. Continebat autem scriptura vndecim capita, quibus grauis persecutio Ecclesiæ denuntiabatur, Quæ omnia conuocatis fratribus, iuxta Angelicum præscriptum, notat Petrus de Natalibus plene perfecit. quidam per litteras misteriorum illorum explanationem Abbati Ioachimo, tunc temporis viuenti comunicasse, asseuerare non dubitant.

Creatur Generalis.

13. Porro B. Brocardo vita functo, anno Domini 1207. creatus est Prior generalis omnium Carmelitarum latinorum tertius, in publicis Carmeli montis comitijs.

Renuit Patriarchatum.

14. Ad hæc Paleonidorus. Cum Cœlestinus III. Romanus de gente Vrsina sanctitatis fama P. N. Cyrilli pulsaretur, ipsum Patriarchali Hierosolymorũ dignitate, cohonestare cupiẽs, ann. 1191. ad se vocauit, quippe qui ea, qua pollebat humilitate acceptare renuens, dixit, sibi satius esse Thesaurum Domini in fictili deportare vase, quàm mundanis præfulgere dignitatibus.

Cæcum illuminat

15. Hic cùm denarium ei oblatum ex eleemosyna, cæco donasset petenti, illumq; oculis cæcis fide maxima applicuisset, statim visum recepit, quo miraculo commotus rogauit, in Religionem admitti, distulit, & ecce moritur; cùm verò fratres funeri operam darẽt, à mortuis reuocatus surrexit, & exclamans, per Cyrillum virum sanctum, à morte surrexi.

Mortuum suscitat.

16. Aliud ab illo euo. Pluries orationibus intentus intel-


tel-

tellexit Terram sãctam ob Christianorum scelera funditus euertendam, lachrymis madidus supplex Deiparæ Virgini Ordinem suum commendabat; è cuius Virgineo ore audire meruit: Alibi apud occiduos Europeos Ordinē tuum, tum quo ad Monasteriorum, tum quo ad personarum numerum, Apostolicis priuilegijs multiplicandum fore. B. Virgo apparuit ei alia

17. B. igitur Cyrillus bonis operibus plenus, cùm tres tantum annos Carmelum, summa cum laude rexisset; senio confectus, ingrauescente morbo, rebusq; ad salutem compositis, & Ecclesiæ sacramentis deuotè susceptis, anno Domini 1210. felici cursu migrauit ad Dominum, cum illo perpetuò regnaturus. claruit Philippo, & otthone Imperatoribus sub Innocentio tertio. Tempore notat Coriolanus in Breuiario, quo oriens, & Palestina corruere cœpit, in cuius subsidium decimas in tota Ecclesia solui, iussit sanctiss. Pontifex. Moritur.

18. Patres nostri, iustis solutis, in sepulchro sanctorum Bertholdi, & Brocardi prædecessorum, corpus eius honorificè condiderunt. Plura extant miracula, quorum illud insigne a Paleonidoro relatum; quod cum à Cyprijs Nautis defuncti cuiusdam corpus, ad radices Carmeli montis proijceretur, à fratribus verò misericorditer collectum, vt tumulo traderetur, cum iuxta sepulchrum Sancti Cyrilli transirent, statim mortuus ad vitam reuocatur; mirantibus cunctis, dixit se B. Cyrilli meritis meliori vitæ reseruatum esse, quod experientia completum est, Eremiticam amplectens vitam. Tumulatur. Alium mortuum suscitat.

19, Tu demum sancte Pater Cyrille, nos supplices oramus Deo tuo, atq; Mariæ Virgini Reginæ nostræ, tuis precibus commendatos facias, vt obtenta peccatorum venia tecum in Cœlestibus, æuo perpetuo, commanere mereamur. Oratiuncula.



VITA S. P. NOSTRI ALBERTI CARMELITAE

Hierosolymorum Patriarchæ,

Ex Domesticis, & exteris monumentis, bona fide excerpta.

Moritur anno 1213. Colitur die 8. Aprilis.

Prolusio. 1  FILIORVM gratitudinem cogit amplitudo Parentum, à felicibus auspicijs propagatæ sobolis, haud tantillum deflectere, ne Genitorum imago turpiter perire contingat. Hinc Sancti Pat. N. Alberti de Carmelitica nostra Republica optimè meriti, maximum animum, & altissima consilia, veluti in imagine, sæpiusculè nobis proponere Maiores nostri conati sunt, ne tanti Parentis gloria, ingloria sobole cadat, Eadem memorasse iuuabit.

S. Alberti initia. 2. S. P. Alberti Hierosolymorum Patriarchæ genus, patria, & ortus, vel in limine ipso tenebris obuoluta iacent. Nihil terreni sapit, qui Cælo toto pectore inhiat. Eius tamen Gentilitij nobilitas, clarissimi viri Auberti Mirei Bruxellensis Elogio, inter Icones Illustrium virorum belli sacri, ære incisas, nullo negotio demonstratur. Elogium tale. Albertus Petri Eremitæ, qui Vrbano 2. Pont. belli sacri auctor extitit, Pronepos; Episcopus Bethleemiticus, & Ascalonitanus, vnus ex quindecim viris, qui Balduinum Flandriæ Comitem, suis suffragijs, Imperatorem Constantinopolitanum constituerunt. Apostolicus in Syria Legatus; Demum Patriarcha Hierosolymitanus, CARMELITIS

Elogium in eius testimonium.

TIS

TIS vitæ Regulam, ex S. Basilij scriptis cõcinnauit. Obijt 1213. Hæc ille quibus Albertum nostrum, & natione Gallum, & Patria Ammiensem, & genere illustrem, non illaudabiliter quisq; arguere, poterit.

3. Is in ipso adolescentiæ flore, parentibus orbatus, cælica perfusus luce, Canonicorum Regularium instituto adherere studet, & obtinet, annum agens quartum decimum, bonis omnibus, & pauperibus, & sacris ędificijs erogatis, Deo, Deiparæq; Virgini, cuius obsequentissimus erat, seorsum inseruire, cæpit. Efflorescebant eo tempore in Gallia, scribit Robertus in appendice ad Sigibertum, doctrina, & pietate sanctissimi viri. Erat, inquit, circa hæc tempora (anno videlicet 1131. pulchra, & decora facies Ecclesiæ, diuersorum Ordinum, & professionum circumdata varietate, dum hinc Præmonstratenses, hinc Cistercienses, inde Cluniacenses Monachi, tum & diuersi habitus professione sanctimoniales, & mulieres Deo deuotæ, incontinentia, & paupertate sub obedientiæ iugo regulariter viuentes, feruore religionis inuicem prouocarent, & noua certatim diuersis in locis Monasteria fundarent. Cùm his etiam Monachi Carthusienses, & ipsi paulatim pullulabant, &c. inter quos ab Historicis passim enumerantur Canonici Regulares. In sacram ergo illam militiam adscriptum sanè cum D. Gabriele Pennotto in Tripartita sua lib. 2. cap. 46. & 73. aperte confitemur. Quo loci verò habitum assumpserit, silentio prætereũt ipsæ Canonicorum Historiæ; quidam in Ammiensi Cænobio Nouitiatus primordia, & religiosa tirocinia obtinuiss.; quidam verò in reditu Innocentij Papæ 2. ex Gallia Romam adeuntis, in nobilium comitatu, superatis Italiæ alpibus, in Conuentum Vercellensem S. Gratiani, de superiorum facultate, ad commanendum venisse, ex publico relatu tradunt. De his certiorem desideramus historiam.

Fit Canonicus Regularis.

Gallia laudata.

4. In sacram hanc Religiosorum arenam, cùm descendisset pubescens lanugine Albertus, per aliquot annos eodem loci, omnia ad præscriptum Regulę exercitia, summa cum admiratione amplectitur. Præerat tunc temporis Cęnobio

Progressus in Religione.

Abbas

Abbas cuius vigilantia Albertum, regularis disciplinæ initijs, & sacrarum litterarum studijs imbuendum suscepit: cui quidem illustre animi sui specimen in omnibus exhibuit; Nunquam à seniorum consortio auellitur, cum sapientioribus omnis colloquutio eius; verum super omnia de Hierosolymitana profectione sæpè cogitabat, cùm socijs sæpius de itinere illo sermonem, inter suspiria instituebat; secretò æstuabat loca illa sancta visu videre. Nullam vacationem admittit, aut orat, aut legit, aut disputat, aut meditatur seruus Dei Albertus. Ij sancti iuuenis religiosi conatus.

Parisios properat, studiorum causa.

5. Visum est superioribus, eũdem in Galliam studiorum causa reuersurum, quare in S. Genouefæ Cænobio, Parisijs quidem memorabili, cùm sacrarũ litterarum lucubrationibus multum profecisset, sanctitatisq; fama apud Parisienses plurimum valeret, sacerdotali tandem dignitate superiorum iussu, anno circiter 1142. initiatur, Innocentio Papæ inotuit per litteras Romæ S. Alberti sanctitatis fama, qua percitus, ei peccatorum confessiones audiendi facultatem fecit: quo ministerio idem sanctus innumeros ad meliorem frugem, ex immenso peccatorum gurgite, Deo adiuuante, conuertit.

Terra sancta oppressa.

6. Interim Eugenio 3. Papæ post Lucium 2. suffecto, ad vniuersalis Ecclesiæ regimen, frequẽtes quidẽ erant orientalium legationes: vt apud Baronium anno 1145. Auditis, inquit, legationibus è Syria missis, de damnis illatis ab infidelibus, Edessa capta, Antiochia, atq; Hierosolymis in discrimen adductis: de expeditione occidentalium in terram sanctam agitari cæptum: scribit primum ad Ludouicum Frãcorum Regem: deinde ad Francos omnes; quod longioribus Baronius. Cùm autem ferueret in Gallijs opus parandæ expeditionis in orientem, & vniuersi occidentales arma pro Christi fide accingerent, Albertus hanc nactus occasionem, in eadem expeditione, de superiorum assensu, iter in oriẽtem dirigit: substitutus eo tempore erat Archiepiscopus Tyrensis D. Fulcherius Aquitanus, olim Abbas Canonicorum Regularium in Monast. cui Cella nomen, apud Parisienses, ex Penotti notis lib. 2. cap. 33. nu. 17. quem

In orientem proficiscitur.

facie

facile tenebat! vnde expeditione facta, inter familiares Ludouici Regis francorum peregrinari cœpit: Hierosolymam appulit, sacra loca deuotè percurit, Fulcherium Archiepiscopum visitat, tandem in claustro Dominici sepulchri, cū alijs Regularibus, regularem vitam mira sanctitate profitetur.

7. At anno sequenti, re Christianorum infecta apud orientales; Ludouico Francorum Rege mare nauigante, à nauibus Emanuelis Constantinopolitani Imperatoris capto, & sequacibus eius carceribus mancipatis, hæc ægrè ferens Albertus, de reditu in Galliam cogitat, & in Parisiēsi claustro sanctè moratur, vsq; ad obitum Anastasij 4. Christianorum re infecta. Reuertitur in Galliam.

8. Cùm verò in locum Anastasij subrogatus fuerit Hadrianus 4. Anglicus, ex Episcopo Albanensi, de Castro S. Albani, Nicolaus nomine, quem antea Auenioni in Conuētu S. Rufi Canonicorum habitum, & Regulam profitentem; summa charitate, cognouerat; Romam visitationis, & congratulationis causa, adire obtinuit. Fuerat Hadrianus 4. in claustro vir valde benignus, mitis, & patiens, Græca & latina lingua peritus, sermone facūdus, eloquētia politus, in cantico Ecclesiast. pręcipuus, prædicator egregius, ad irascendū tardus, ad ignoscendum velox, hilaris dator, eleemosynis largus, & omni morum compositione præclarus. Maiora de eodem in Vaticano codice leguntur. Consule Baron. anno 1154. & Pennottum lib. 2. cap. 56. nu. 6. & 3. 52. nu. 5.) igitur à Potifice Romano post pedum oscula, læta quidem facie, receptus est Albertus, quem Romæ commanere, iubet. Hadriani Papæ laudes. Albertus ad Hadrianum.

9. Ecclesiæ Mortariensi interim, suo carenti Pastore Hadrianus Papa Albertū suffecit, & Episcopali infula ipsum, exornauit: videdus est Gabriel Pennottus lib. 2. cap. 46. qui enumerans quosdam congregationis Mortariensis præclaros viros, post D. Bernardum quartum eiusdem Monasterij Præpositum, cui litteras direxit Paschalis 2. an. 1115. Albertum ipsum his quidem verbis compellat. Albertus item Patriarcha Hierosolymitanus, qui fratribus Carmelitis Regulam dedit circa annum 1171. cuius mentio habetur. Fit Episc. Mortariēsis.

tur in litteris Honorij tertij, prout in Bullario Laertij Cherubini constit. 8. idem repetit lib. 2. cap. 73. nu. 4. Ex eodem Pennotto lib. 3. cap. 54. traditur item Episcopũ fuisse Vercellensem ex Canonico S. Crucis Mortariensis. Consule Onuphrium in Chronico anno 1204. Diegum de Coria lib. 5. cap. 54. ex eodem Pennotto. Quo in munere, quantum pro Deo, pro Religione, pro Christi fide laborauerit, maximè temporibus illis, quibus Christi sponsam schismatici, verbis, & factis, maculare contendebant, vix quidem enarrare valemus.

Item recellantis.

Fit Episc. Bethleemiticus.

10. Anno autem, quo Hierosolymorum Patriarchæ interritus ad aures Alexandri 3. peruenit, Amalricum nonum latinorum creauit, notat Tyrus lib. 19. cap. 1. & Ecclesiæ item Bethleemiticæ suffectum, optimo iure, censemus Albertum; eo quod Ecclesia Bethleemitica (si vera sunt quæ D. Cambius de Bossis Mediolanensis Canon. Regul. vna cum Ioanne Philippo Nouatiensi in Chronica sua lib. 3. cap. 14. ex relatione D. Gabrielis Penotti viri eruditissimi lib. 2. cap. 41. n. 2. testatur) non amplius suffraganea erat Hierosolymit. Patriarchæ. Verba referre non grauamur. Habet Hierosolymitanus Patriarcha quosdam suffraganeos sibi nullo mediante subiectos, idest Bethleemitanum, & Hebronensem, & Lyndensem. Fuit autem Ecclesia Bethleemitica Prioratus Canonicorũ Regularium vsq; ad tempora Balduini primi Regis Latinorum in Hierusalem, Rex verò propter loci dignitatẽ, & Dominicæ Natiuitatis præcellentiã, illam dignitate Cathedrali sublimauit, cõstituẽs in ea Episcopum de mandato, & voluntate bonæ memoriæ Paschalis Papæ, qui Ascalonem eidem immediatè subiecit.) Quibus apparet Albertum nedum Episcopum Bethleemiticum fuisse, sed & Ascolonensem, illumq; obtinuisse à Pontifice Hadriano Papa 4. ob longam Canonicorum Regularium administrationẽ. Profectionem aũt eius Hierosolymitanam facile credimus cõtigisse, vna cum profectione Ioannis Presbyteri Card. tituli sanctorum Ioannis, & Pauli Legati de mandato sanctissimi Pontificis in terram sanctam, vt impedimento esset Amalrico, ne ipse succedens

Bethleem olim Canonicorũ Regularium.

Bal-

Balduino fratri defuncto, & coronatus Rex Hierosolymorum, vxorem in quarto consanguinitatis gradu coniunctam duceret. Tyrius lib. 19. cap. 1. & 4. Hæc autem anno 1163. secuta, ex Baronio non dubitamus.

11. Sub idem tempus anno videlicet 1165. è viuis sublatus est in Cœlum B. Bertholdus latinorum Ordinis nostri Generalis primus. cui ex annalibus nostris anno sequenti sufficitur Brocardus vir sanctitate admirabilis, quippè qui Alberto Episcopo Bethleemitico, ob eius famam, arctissimo necessitudinis vinculo coniunctus erat. Cùm ipso, de Carmelo nostro, plena reformatione, restituẽdo sępius, præmissis orationibus, seorsum pertractarunt; vix Carmelus Accone distat milliari. B. Bertholdi mors. Sufficitur Brocard.

12. Hinc Ordinis nostri retũ summa diù discussa, latisq; ventilata, Albertus totus in rem nostrã venit; & cũ Bertholdi precibus, Regulam Ioannis 44. ab Haymerico paulò ante vita functo, latinitate donatam, decurrisset, Basilijq; viri sanctissimi scripta de Monachorum statu conseruando aduertisset, ex his quibusdam selectis obseruationibus, quasi per capita, certam viuendi formulam concinnauit, & breuibus firmatam regulis, Brocardo consignauit, anno 1171. die 13. Ianuarij. Vniuerso Carmelo perpetuò obseruãdam. Regulam tradit Carmelitis.

13. Regula autem hæc, à nostris prima nuncupatur, non prioritate temporis, cum aliam Ioannis 44. hactenus obseruassent Carmelitæ: sed prima prioritate latinæ institutionis; vel prioritate reuocationis, reuocabat enim antiquatam reformationem in pristinum vsum: vel prioritate Pontificiæ confirmationis Honorij 3. cuius quidem rigorem mitigarũt subinde, facilitatis ergò multi summi Pontifices, quod alibi præstabimus, fauente Deo. Vide Iacob. Philip. Bergom. lib. 13. Supplem. Didacum de Coria lib. 5. cap. 4. Ioannem Paleonid. lib. 3. cap. 2. & alios. Regula cur primitiua dicatur.

14. Regula autem Carmelitarum Decem capitibus compl'etur: Primò de Priore instituendo. Secundò, de locis. Tertiò, de horis dicendis. Quartò, de abdicatione proprietatis. Quintò, de oratorio. Sextò, de capitulo celebrando. Septimò, de obseruatione Ieiunij. Octauò, de spiritua- Regulæ Carmelitarum capita.

tualibus armis. Nonò, de opere faciendo. Decimò, de silentio. Hac enim breui cultura, & florere, & dilatari cœpit in Oriente Carmeli pulchritudo.

Concilii Lateranensis 3.

15. Ab hinc septem annis, anno vid. 1178. Romæ in Lateranensi Basilica die 5. Mensis Martij cœpta est agitari Synodus Generalis, cui interfuerunt Episcopi 300. numero; itaq; interfuit, & scripsit, Actaq; ipsa redegit in volumen vnum Vuillelmus Archiepiscopus Tyri de bello sacro, lib. 21. cap. 26. apud Baron. eodem anno. Inter vocatos autem Episcopos Orientales anno superiori, vt se tempestiuè ad Concilium accingerét, enumerat Vuillelmus Archiep. Tyri, qui vna cũ alijs Palestinę Ecclesię Episcopis in Italiam nauigauit B. Albertum, sed ipsum audi, ità profitentem. Anno ab incarnatione Domini 1178. qui erat Regni Domini Balduini quarti annus quartus, mense Octobri, cum anno præcedenti indicta esset, per vniuersum latinorum orbem Synodus Generalis, ad eandem Synodum vocati, profectiq; sunt de nostro Oriente; Ego Vuillelmus Tyrensis Archiepisc. ALBERTVS Bethleemita Episcopus, Heraclius Cæsariensis Archiepisc. Radulphus Sebastenus Episcopus, Iosius Acconensis Episcopus, Romanus Tripolitanus Episcopus, Petrus Prior Ecclesiæ Dominici Sepulchri, Raynaldus Abbas Ecclesiæ Montis Syon. Hęc Tyrius: Qui autem missi fuerant vocationis gratia, Robertus huius tẽporis auctor, hęc habet. Alexander Papa misit Octauianum Subdiaconum ad Rothomagensem prouinciam, vt conuocaret Archiepiscopum, & Suffraganeos eius, & Abbates illius prouincię, & misit alios similiter Subdiaconos ad oriẽtem, & occidentem, & meridiem, & septentrionem, vt conuenirent ad Concilium Generale Romæ.

Albertus ad Concilium properat.

Quo Anno Concilium lateran. 3.

16. Anno igitur 1179. Romæ est celebrata Synodus in Basilica Constantiniana, quæ dicitur Laterana, trecentorũ Episcoporum Pontificatus Domini Alexandri, vigesimo anno sui Pontificatus, mense Martio, indict. 12. quinta die mensis. Cuius si quis statuta, & Episcoporum nomina, numerum, & titulos scire desiderat, relegat scriptũ, quod nos ad preces sãctorum Patrum, qui eidem Synodo interpretati

sunt

sunt, confecimus diligenter, quod in Archiuio sanctæ Tyrensis Ecclesię, inter cæteros, quos eidem contulimus Ecclesiæ libros, cui iam sex annos præfuimus, iussimus collocari. Hæc ille. quibus claré apparet Albertum nostrum, eo tempore, Bethleemiticum extasse Episcopum, quando Regulam scriptis Patribus nostris consignauit obseruandam.

17. At cùm sequenti anno perlatum esset Nuntium è terra sancta de Saladini tremenda expeditione, aduersus Hierosolymitanam ciuitatem; Alexander Papa mox intonat bellum tuba Sacerdotali, scribens ad Christianos Principes, & vniuersos Ecclesiæ Catholicæ Antistites, de quibus Rogerius in Annalibus. Quare facultate, vna cùm titulo Nuntij in Syriam facta Alberto, ad Ecclesiam Bethleemiticam iter per Mediterraneum Mare, secus Asiæ litora dirigit. Vix Acconem appulit, tanquam bonus Pastor pro ouibus suis animam ponere non veretur; Dissidia magna quotidie excrescebant inter Guidonem Lusignanum Regem Hierosolymorum, & Raymundum comitem Tripolitanum, notat Genebrardus anno 1187. Albertus qui, & Leontius cognomine, vt commissum sibi gregem inter lupos ad spiritualia æternæ vitæ pascua ducat, totis neruis, etsi incassum, pacem contendit. Saladini Bellum. Albertus Nuntius renertitur in Orientem.

18. Sternebat iam Deus diuinæ Prouidentiæ concursu initia, quibus Albertus ad strictiorem vitæ formulam in Carmeli monte, omnes Carmelitas adstringere, decreuerat. Vnde scitu dignam Historiam referemus ex Pineda Tertia parte, Monarchi. Ecclesi. lib. 17. cap. 12. referente Diego de Coria supra. Habet. n. quod imminẽtis belli, exurgentibus flammis, res Christianorum in dies prolabebãtur, Saladino aduersus nostros magis, ac magis præualente: ex quo legationes notat Tyrius lib. 23. c. 1. à Principibus, videlicet, Balduino leproso Rege Hierosol. & Heraclio Patriarcha Hierosolymitano, Templarijs, & Hospitalarjs crebrę ad Christianos Principes transmontanos, hoc est Lucium Papam Tertium, Regem Franciæ, Regem Angliæ, & occiduos Principes omnes, missæ fuerunt; vt opem ferrent periclitantibus Hierosolymis. Nam Templarius transfuga Suauis dispositio Dei in D. Albertum.

Soldanò Hierusalē proditoriè promittit, & legati reuertuntur, spe omni abiecta, quare timor inuaserat omnes habitatores terræ Hierosolymitanæ. Verùm inter tot calamitates, quibus vniuersus oriens, & premebatur, & declinare videbatur, etsi Alberti constantiam nulla vis quatiat, cessit tamen malignantium perfidiæ.

Persecutio in D. Albertū.

19. Vir quidam Dosytheus nomine, professione studuita, in Conuentu Bisantino schismaticorum erroribus corruptus Patriarchali ambitione superbè agitatus, in B. Albertum schismaticorū ministrorū subsidio, & dira persecutione, vehementer irruit; cui humillimè cedens iuxta Dominicum præceptum, se statim clàm ab hominum consortio abdicat, & in Carmeli Eremum secretò recipit. Hic, veluti in tuto positus, ieiunijs, orationibus, lachrymis vacans, Carmelitici Instituti, cuius Protector, & Parens erat amore, Eremitarum nostrorū vitam amplectitur, nec Episcopali sede expoliari, nec concreditū sibi gregem dimitti voluit; sed Patriarcha cōsulente, mutauit viuendi normam, nō mutauit statum; ex Canonico fit Eremita, & iubente Pontifice, vbi mutat locum, retinet sedem; ita elongatus in solitudine, tutatur in Eremo, vbi persequebatur in Ciuitate.

Cedit.

Fit Carm.

Visiones in Carm.

20. Inter Carmeli latebras Pius Carmeli cultor, cælestibus meruit releuari consolationibus; Hic Iesum Christum visibili aspectu, consolatorem habet: Hic Deiparæ Virginis præsentia radijs micante fruitur; Hic ipsā sæpius dulci sermone alloquitur; Hic tādem roseo Virginis ore promissum hoc accipit. ALBERTE, MAIORA TE MANENT. Hæc, longioribus Historiæ nostræ.

Ammissio terræ sanctæ.

21. Per hæc quidem tempora tanta ingruescunt Saracenorum mala, aduersus Christiani nominis defensores, vt in toto Oriente vox lugentium audiatur, atq; lamentantium interfectos populi Dei, ob Ciuitatem sanctam Hierusalem, infidelium peruasione vastatam. Etenim Kalendis Maij anno 1187. & infra octauam Apostolorum itèm malè pugnatum est à Christianis, aduersus Saladinum Babiloniæ Regem in terra sancta. Vt ex Templariorum litteris apud Rogerium, & Baronium ample videre est. Quibus significatur

tur

tur, Laodiceam, Ptolomaidam, Berytum, Tiberiadem, Ascalonemque, & alias terras terræ sanctæ sub Saladini Imperium cæcidisse. vna cum Hierosolymitana Ciuitate. Multum sanè (scribit Platina) Saladini humanitas, & fides Christianis obfuit. Adeò enim se æqualem omnibus præbebat, vt nemo eius Imperium asperneretur, &c. Oppugnabat tùm Saladinus vrbem Hierusalem, & quidem acriter: quam tandem ij, qui in præsidio erant, desperatis auxilijs, hac conditione dediderunt, vt tantum abeunti cuiq; ferre liceret, quantum tantummodo humeris sustinere posset. Migrantium Christianorum pars Tyrum, pars Antiochiam, pars Alexandriam delata est: Inde verò multi deinceps sicula classe in Italiam delati sunt. Saladinus victor ingressus, Campanas primo, turribus deijcit: mox Basilicas omnes, præter Salomonis Templum profanat: quod priusquam ingrederetur, aqua rosacea lauisse ferunt. Mansere Hierosolymis Christiani Asiatici, Syri, Armeni, Iacobitæ, Georgiani, Græci, & Nestoriani, permittente Saladino.

Saladini pugna.

Christianorum fuga.

22. Et Baronius. Ingruente cum copijs Saladino, capta quoq; est sãcta Ciuitas Hierosolymitana à Saracenis 4. Kal. Octob. quæ omnia lugubri stylo sunt prosequuti grauissimi Auctores anno 88. ex quo Hierosolymorum Regnum penes Christianos esse cæperat. Hoc igitur eodem anno, Basilio Camatero Patriarcha Constantinopolitano, in ordinem redacto ab Imperatore, in locum eius subrogatus Nicetas cognomento Mundanus, qui (vt Nicetas Chroniates tradit) statim eiectus est; Leonciusq; Monachus (hic est Albertus noster cognomento Leoncius) electus est, quo etiam ante annum absolutum deiecto, propositus est Theodorus Balsamon, sed reiectus, creatus verò est Dositheus dũ Hierosolymorum Patriarchatum vacantem contendebat. Vacante igitur Hierosolymitana sede, suffectus est Albertus noster, Deo disponente, ad cuius quidem administrationẽ facilè adduci potuit; quoniam eodem quidem tempore intellexit ab occiduis Principibus Catholicis, Clemente Papa 3. vrgente, pro recuperatione terrę sanctæ, expeditionem copiarum, & exercituum armatorum, nulla interposita mora

Varius status Orientalium.

Albertus creatur Patriarcha Hierosolymorum.

ra

ra parati; Mortuus enim inter bellica arma erat Athanasius Hierosolymorum Patriarcha, ad quem Georgius Metropolyta Corcirae litteras dederat sub anno 1188.

Orientis deperditio.

23. Porro Friderici Imperatoris Clades copiosa; At Regis Francorum, Daniae, Angliae, Siciliae, & aliorum copiae tardae nimis, in terrae sanctae occursum comparuere. Moritur Fridericus, & Philippus Rex Francorũ, ac Richardus Rex Anglorum ad inuicem dissidentes, statuto cùm Saladino foedere, ad triennium, de discessu, re infecta, cogitant. Captae tamen sunt à Christianis, Ptolomais, Ioppe, & quaedam aliae vrbes ad maritimum litus; cùm verò anno 1195. secutus esset Saladini interritus, summus Pontifex in spem venit terrae sanctae recuperãdae, quare legationibus Christianorum expeditionem, iterum maximè vrgebat. At mortuo Henrico 4. Imperatore, res Catholicorum ruit in praeceps, Germanorum enim primates, qui in terram sanctam profecti erant, nullis precibus in Syriam retineri potuerunt; Horum discessu, reliqui Christiani, qui res ibi gerebant, animos propè desponderunt. Barbari magna nostrorum caede Ioppen statim expugnatam euerterũt. Simon Monte forte Gallorum Dux, pactis cùm Saracenis inducijs Tyrum dumtaxat, ac Ptolomaida in potestate piorum reliquit. Domum egressi Germani contrarijs inter se studijs distringebantur: Alij Philippum, alij Othonem Augustum salutauerunt. Meyer Anno 100. à captis Hierosolymis.

Proditio aduersus Christianos.

Quando Patriarch. dignitate fulget Albertus.

24. Sanè veritatis amore, scribere cogimur, industria, & labore D. Marchionis de Monte ferrato, tradit Salmeron tom. 1. prolog. 42. §. deinde factum est. & alij; recuperatam fuisse, Cyprij Insulam, Acconem, Ioppen, & Hierusalem Dominũ factũ esse Marchionem illũ. Ex quo suademur credere, B. Albertum nostrum intronizatum fuisse, & Patriarchali dignitate in terra sancta, multis licet calamitatibus pressum, fulgere cepisse. Vnde Tyrius cap. 21. vrbe ordinata, armis depositis, in spiritu humilitatis, & in animo verè contrito, nudis vestigijs, lotis manibus, sumptis mundioribus vestimentis, cum gemitu, & lachrymis loca

vene-

venerabilia, quo saluator voluit propria illustrare, & sanctificare præsentia, cæperunt (præeunte Patriarcha Alberto) cùm omni deuotione circuire, & continuis deosculati suspirijs, specialiter autem Dominicæ Passionis, & Resurrectionis Ecclesiam. Subinde, vbi anno 1199. Monasterium in Carmelo monte, tanquam Patriarcha electus reædificari mãdauit; intronizatus itèm ex historijs nostris in speculo fol. 58. iuxta fontem Eliæ, intra scepta eiusdem loci, & eodẽ quoque situ, quo Prædecessores nostri Capellam in honorem B. Mariæ Virginis, post Christi ascensionem ædificarunt pro gratiarum actione, magnifico apparatu extrui curauit. Hic Patriarcharũ maximus Ord. nostri amplitudini intendens, Eremiticam vitam Cænobitarum more, & dilatare, & ampliare, summa vigilantia, studet. Hic apud Ptolomaida, quæ Vrbs est Accon bellorum turbinibus ferè dirupta, aliud ædificari Cœnobium curat; Hoc idem præstat in Vrbibus Tyrij, Sareptæ, Sydonis, Tripolis, & Libani, sub Brocardo Priore Generali, cui anno Domini 1207. è vita migranti, suffectus est Cyrillus latinorum 3. Generalis. Inde secuti sunt, Conuentus Antiochensis, Conuentus in montibus Neroy Græcè, quod est latinè aquosus, siue Marinus, ob niuium multitudinem, olim celebre Cœnobium, sub anno 412. ait Paleonidorus lib. 2. cap. 6. sed Saracenorum, & idololatrorũ depredationibus, penitùs desolatum. Plura alia erexisse Cœnobia, sub tanto Principe de Monteferrato certò scimus. Consule tu Valerium Ximenez, in stimulo P. P. cap. 2. §. 5. tit. 5. Operationes in Patriarchatu.

25. Notatu dignum est, eodem tempore, insigne quodam erectum fuisse Monasterium Hierosolymis, in Peregrinorum subsidium; cui Patriarchæ nomine, præsidebãt Carmelitæ Patres; Aliud quoq; memorat Valerius, eodem loco, Palestinæ initio, ab egressu maris ad citò occurrendum Peregrinis in Iudeam accedentibus; in quorum testimoniũ extant Numismata, quæ speciali cura peregrinis tradebantur; ne ab infidelibus, ex pactionibus iam habitis, quid mali moliretur in illos. Monasteria ab eodem erecta.

26. Inserimus Notam insignem ad Benedictum Accol-

cum

Numisma Peregrinorum

tium de bello sacri lib. 1. ex Thomæ Dempsterij Scoti monumentis. Huius (loquitur de Petro Eremita) Pronepos fuit Albertus Carmelita Episcopus Bethleemitanus, & à Cælestino 3. Patriarcha, vt ferunt, Hierosolymitanus anno 1191. Auctore Aquicintino, vel anno 1204. aut rectius anno 1206. testatur numisma peruetustum, dono à Philippo 2. Hispaniarum Rege datum Ioanni Carmelitæ Antuerpiensi, cuius hęc est inscriptio.

ALBERTVS Patriarcha Hierosolymitanus Anno 1206.
à parte aduersa.
Hierosolyma à Saracenis capta, sede Accone Translata,
Numus Peregrinorum.

Numisma hoc nobis transmissum Colonia Agrippina Bononiam, dùm in publico Ferrarensi Gymnasio sacram Theologiam profiteremur anno 1609. ex Bibliotheca Antuerpiensi, studio, & opera D. Auberti Mirei Bruxellensis, Canonici Antuerpiensis, & Bibliothecarij incidi hoc pacto curauimus.





Mors D. Alberti pretiosa.

27. S. P. N. Albertus senio iàm tandē confectus, sanctis operibus plenus, pro Ecclesia Catholica multis sudoribus madidus, cælo, & terræ gratus, inter gementes, & orantes Eremitas nostros, vna cum clero Hierosolymitano, post accepta de more sacramenta, fusis orationibus Deo, pro Terræ sanctæ infideliū liberatione, pro restituti Carmeli conseruatione, & Hierosolymorum Catholica fide, Virgine Ma-

Maria inter splendores micare, & occurrente, Angelorum cohorte stipante, feliciter inter vlnas suorum, animā Deo, suaui facie, exhalauit. anno salutis 1213. die 8. Aprilis. Tempore quo sancti Patres Dominicus, & Franciscus, sub Innocentio 3. florere cœperunt, regnante Friderico 2. Imperatore. Huius sancti viri officium in vniuerso Ordine nostro, sub duplici minori expresse dedit Paulus V. sempiterni nominis, Princeps amabilis, Anno 1609.

Notæ in D. Alberti vitam.

28. Primum. Scripsit D. Albertus de situ, & statu terræ sanctæ, iussu Innocentij Papę nō contemnendos commentarios. vtinam ad nos peruenissent. consule Sixtum Senensem in Bibliotheca tom. 1. lib. 3. cuius testimonium referre non grauamur. Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, vir sanctitatis, & doctrinæ admirandæ, qui fratribus Carmelitis, adhuc in terra sancta cōmorantibus, viuendi formam, regulamq; dedit, iussu Innocentij Papæ, eius nominis tertij; scripsit de situ, & statu terræ sanctæ non contemnendos commentarios. Claruit sub Henrico Imperatore Sexto, anno Domini 1190. Scripta D. Alberti.

29. Secundò sunt, qui asserant D. Albertum nostrum mucrone vulneratum, die quo solemnem Sanctissimæ Crucis Processionem instituebat, & ad Dominum martyrio migrasse, sed nullo certo fundamento, scriptum inuenimus. Imo Sancti Alberti officium de vno S. Episcopo, & Confessore, solemni ritu concelebrandum, non de vno S. Martyre, in Rituali nostro, & Kalendario, apertè iniūgitur. Ipsum in Cœlestibus adscriptum, inter sanctos Confessores, preces pro nobis, ad Deum vt effundat, humiliter deprecamur.

VITA
S. ANGELI MARTYRIS
CARMELITAE,

Ex ea, quæ manuscripta in Bibliotheca Vaticana Romæ asseruatur, optima fide decerpta.

Moritur anno 1220. Colitur autem die 5. Maij.

Proœmium B. Enoch Patriarchæ Hierosolymitani, in vitam S. Angeli Martyris Carmelitæ.

Salutatio.



NOCH seruus Dei,& D. N. Iesu Christi miseratione diuina Patriarcha Hierosolymitanus, venerabili Ecclesiæ Orientali, Occidentali, meridionali, atq; septentrionali, ac omnibus Romanæ Ecclesiæ Catholicis, & fidei Orthodoxę subiectis salutem, pacem ac sempiternam vitam? Vobis quã fideliter, ac veraciter inuictissimi Christi martyris, Dignissimiq; Eremitæ S. Angeli Hierosolymitani, Ordinis Eremitici S. Mariæ de monte Carmeli, pretiosam mortem, vel occisori etiam lamentabilem, quam oculis dolenter spectauimus, religiosa pietate, compendiosè referre non grauamur. Nos inquam fragiles, etsi sanctorum virorum vestigia minimè sectemur, attamen S. Angeli monumenta posteritati parare, præsente Deo, curauimus. Sanctitatibus, & beneuolentijs vestris intimantes, Narrationem hãc nostram à veritate cuius testes coram Deo, & Angelis sumus, ne quidem discedere, cùm qui mentitur occidat Animam, & perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium. Et Dominus in Euang. de omni verbo otio-

Propositio.

Excusatio.

Protestatio.

so

ſo in nouiſsimo iudicio, rationem reddituri ſumus. Veritati igitur inhærentes, quæ intuiti, & ea, quæ viuæ vocis oraculo, à viro Dei Patriarcha Hieroſolym. Nicomede prædeceſſore noſtro, prædicti S. Angeli Patre ſpirituali accepimus, præclaram Dei laudem, in præclariſsima materia attendentes, humili noſtro ſtylo ſuggerimus; probatorum virorum teſtimonio tradenda fulcientes, quorum alij Prælati, vt Geraſmus Archiepiſcopus Nazarenus, Ioannes Archiepiſcopus Cęſarienſis, & Petrus Epiſcopus Aſcalonenſis Bethleemita; alij Eremitæ Carmeli montis aſsidua S. Angeli conuerſatione vtentes, Quę ſummatim exhibita, lecta fuere in publica Hieroſolymitana Synodo habita in ſancta Pentecoſte, coram 37. Patribus, qui omnia approbantes, nemine pœnitus diſcrepante laudes Deo in ſanctis ſuis, vnanimes dederunt. Patrum nomina hac Synopſi habes. Athanaſius de Claro monte Patriarcha Alexandrinus, Ioannes Archiep. Duracenſis, Andreas Archiep. Nicomedienſis. Ioannes Archiep. Cretenſis, Lucas Archiep. Theſſalonienſis, Paulus Archiep. Coloſſenſis, Alexander Archiep. Nicoſienſis, Petrus Archiep. Tracenſis, Philippus Archiep. Patracenſis, Ioannes Epiſcopus Athenienſis, Ioãnes Epiſcopus Veronenſis, Paulus Epiſcopus Lidenſis, Caſsianus Epiſcopus Syndonenſis, Mercurius Epiſcopus Buricinenſis, Sixtus Epiſcopus Penadenſis, Petrus Epiſcopus Tiberiadenſis; Elias Epiſcopus Ioppes, vel Zaffæ, Andreas Epiſc. Aſcalonenſis, Pelagius Epiſcopus Reapolinenſis. i. Sichem, Athanaſius Epiſcopus Montis Thaboris. Georgius Epiſcopus Hierapolinenſis, Andreas Epiſcopus Gibulenſis, Ioeles Epiſcopus Antheradenſis, Petrus Epiſcopus Tripolitanus, Georgius Epiſcopus Palphonẽſis, Paulus Epiſcopus Famaguſtanus, Athanaſius Epiſcopus Regis Medorum, Alexander Damaſcenenſis, Thadeus Epiſcopus Scopienſis, Antonius Epiſcopus Stephanenſis, Alexius Epiſcopus Gyrgenenſis, Georgius Epiſcopus Albanenſis, Ionas Epiſcopus Bendenſis, Petrus Epiſcopus Duladenſis, & Iacobus Epiſcopus Alexienſis: Qui omnes Angeli ſanctitatem accla-

Teſtimonia.

Cõclusio. mantes, in album sanctorum reponendum subscripserunt.

S. Angelus impiæ manus gladio peremptus, in ciuitate Leocata Insulę Siciliæ Agrigentinensis diœcesis, diem clausit extremum; ego verò Frater Enoch antequam ad Patriarchalem sedem assumptus essem, Fratri Angelo me indiuiduum comitem adiunxi, & in omni fortuna vsq; ad supremum spiritum, nunquam ipsum deserui, superiorum iussionibus obtemperandi gratia. Ita me adiuuet benedicta Virgo Maria.

Vita S. Angeli Martyris Carmelitæ.

S. Angeli parentes Iudęi. FVit quidam nomine Iesse, religione hæbreus, Patria Hierosolymitanus, cui vxor Maria nomine; ambo ex progenie Dauid, Deum puro corde colentes, & diuinæ legis veri obseruatores: Ieiunijs, & vigilijs, atq; sacris lectionibus vacantes, iugiter cùm Deo agebant de aduentu Mesię, quatenus iuxta promissa, num aduentasse, aperire illis non dedignaretur; Quemadmodum Nicodemũ Patriarcham, de hac re, sæpè consulebant. Igitur 24. die mensis Martij, Azimorum festo instante, póstrati rigido induti Cilicio, voto Deo cęli vouerunt, nunquã de terra surrecturi, nec quicquã potus, vel cibi sumpturi, donec propositæ dubietatis veritas, à Deo plenè innotesceret eis. Magno conficiebantur luctu, nimijs correpti amaritudinibus. Hora autem sexta Parasceuæ, inter micãtia fulgura, Deiparam Virginem Mariam, magna Angelorum caterua stipatam, in hæc erumpentem verba timore perculsi, & vident, & audiunt. Carissimi de domo Dauid hoc vobis indubiè pateat; Filium meum Iesum, verum esse Mesiam lege promissum, qui spiritu sancto, nulla humana mixtione conceptus, peccatores vt saluos faceret, venit. Credite igitur quæcunq; vobis amicus Dei Nicodemus de Christiana fide credenda in dies proponit: illicò capite prouoluti, loquenti Virgini collachrymantes dicunt. O Dei Mater. ò diuinæ gratiæ Domina, quid saluti nostræ expeditius aperi. Recedite hinc, subdit, ad Templũ properate, visa, & audita Patriarchæ dicite; Iesum mesiam ostendet vobis; Baptismum ro-

Patria. Votum. Visio.

gate;

gari; & duos filios, candelabra in Ecclesia lucentia obtinebitis. Et euanuit.

2. Soluti surgunt, & festini ad Templum properant. Negat illis ædituus ingressum; Iudei erant. Qui aderant Christiani, duos aduertunt Angelos illis comites, stupore affecti, rogant admitti. Instabant verò coniuges, præstate nobis ad Præsulem ingressum. Excitatur nouitate rei, inter orantes rumor, & fit eis liber aditus. Patriarcham reuerentor conueniunt, & ei visa, & audita narrant. Præsul autem Deiparæ visione, atq; præcepto auditis, dulcedine deflet, grates Deo agit, illos benignè amplectitur, & Cathechistæ vice Neophitos plenè erudit: dein sacris interesse monet, ob suauem Christi Iesu passionis memoriam; erat enim feria Parasceues. — Ad templum properant. — Erudiuntur.

3. At mirandum referemus. Dùm enim Patriarcham Eucharisticum Domini corpus, manibus attrectare conspiciunt, eodem quoq; tempore, visibili hominis forma, Iesum Mariæ filium, super calicem in Altari adspiciunt, tanto splendore radiantem, vt oculorum acies, nimia hæbetaretur luce. Admirantes silent, & orant ante Aram Templi. Hanc eandem visionem astantium quibusdam cõmunicatam, ab eodem Patriarcha accepimus: illi exilientes gaudio, immensæ largitati grates referre, non desinunt. — Vident in hostia Christũ.

In magno autem Sabbatho hebdomadæ sanctæ, aquæ lustralis, benedictione de more expleta, Patriarcha ipse coniuges Catechizandos, quid de Christiana fide interrogat. Rectum quidem illorum responsum. Tunc iuxta Romanæ Ecclesiæ ritũ, baptismo illos suscepit, toto populo respondente. Amen. Dein sacra communione inter lachrymas, & suspiria, mira suauitate, ac deuotione reficit. — Baptizantur.

5. Sacris ità peractis, iubet Patriarcha Paschale festum ab illis, distinctis quidem Religiosis locis, eruditionis, & Cathechismi gratia concelebrandum, quod humili gressu allociati præstant: Iesse domum D. Annæ olim, in qua Mariam Virginem enixa est, petit, est enim Eremiticum Cænobium Ordinis Carmelitarum. Mulier verò in montem Syon perexit, apud Moniales instituti veteris S. Basilii, — Separantur claustro.

lij, quibus in locis abiectis omnibus bonis, iubente Patriarcha, vsq; ad sacrum Pentecostis festum sanctè permanserũt; Deinde prouisum est illis, & cum benedictione dimissi: Horum exemplo Iudæi numero 140. Christianorum lauacro suscipiuntur.

6. Interea concipit, tumescit aluo Iessei vxor, & gemellos, vnico fœtu, ędit, quorum primogenitus Angelus, secundus verò Ioannes (Virgine ita dictante) baptismali fonte leuati, nuncupantur. Quotidiana depauperatæ huic familiæ alimenta, pius Patriarcha copiosè suppeditabat; infantes verò, summa pietate, pariq; solertia Parentum nutriuntur, ædu cantur donec ablactentur. Admirandam puerorum abstinẽtiam, inter crepundia ipsa referemus; si quidem lacte, alioue cibo ali negabant, nisi præuia cogerentur necessitate.

Ortus D. Angeli.

7. Vix quartum attingebant annum pueri fratres, cùm Parẽtum mortis caligine orbarentur; Angelus enim paulò antè in sanctorum Apostolorũ Petri, & Pauli solemnijs, ab hoc seculo migraturos dixit; quare sacramentali expiati confessione, & tremendo Eucharistię refecti cibo, per eundem Patriarcham, hæc Iessæ suprema verba. O Parens, o Patriarcha noster Angelico nũtio monemur, nos ambos ad cælũ citò peregrinaturos; Natos ergo nostros, & facultates nostras, qua valemus extrema pietate, integritati tuæ enixè commendamus, humari cupientes ad D. Annæ Eremum Carmeli: quibus pius Antistes, in pace locus vester, & habitatio vestra in montem Syon. Reliqua fidei meæ concredita diligenter curabo. Fideles coniuges humo aduoluti, vehementi correpti febre, vinctis manibus, Deum, Deiparamq; Virg. & sanctorum cętum suppliciter orantes exiguo mortis interuallo, ab inuicem seiuncti, animam sanctissimè efflarunt. Piorum cadauera in D. Annæ ad Carmelitas communi fletu humãtur. superstites verò liberi Patriarchalibus recepti ædibus, summa charitate educari, erudiri, ac bonis artibus, & moribus informari mandauit. Ipsi verò hæbraicis, græcis, latinisq; facultatibus incumbentes, tanta pollent ingenij dexteritate, vt decimum annum at-

Parentũ mors.

Sepultura

Patriarchæ pietas.

tin-

fingentes Coetaneos, quosq; superarent.

8. Iàm Patriarcha senio confectus ad exitum vitæ properabat; quando Angelũ, & Ioannem, suæ charitatis filios, ad se vocari iubet, quibus talia fatur. Filij carissimi vniuersæ carnis viam ingredior, breui temporis spatio ad Dominum meum reuertar. Audite suprema oris mei verba, Deum super omnia timete; & illi gratias agite, qui vos de tenebris perfidæ gentis transtulit, & ad agnitionem veræ fidei venire fecit. Vos quidẽ rogatos cupio, aliquo adstringi religiosorum vinculo, sanctum, & approbatum institutum perpetuò profitentes: At illi agitabant animo, quę lachrymis, & suspirijs, voce proferre nequibant. Tandem, destituimur Parentibus terrenis, non Cœlestibus, eiulantes clamabant; mandatis tuis obtemperabimus Pater. Nos Regulam S. Basilij, & Ioannis 44. quam olim Albertus Patriarcha Hierosolymorum sub anno 1171. Carmelitis consignauit, hac eadem hora, te benedicente, amplectimur, & profitemur; & gemebundi silent. Patriarcha moritur.

9. Annuit Antistes promissis; & licet senij ægritudine laboraret, exanimus ipse animat illos; & dùm vix eius artus regebat spiritus, iterè Patriarchali Domo arripit, & ad D. Annæ Carmelitarum ædem, associantibus illis, sese lapsabundum confert. Priore ibi vocato, Hieronymo nomine, magnæ authoritatis, ac sanctitatis apud Hierosolymitanos viros, secretum ei aperit intentum, & de iuuenum salute, vehemẽti spiritu agit, petitq; illis Religionis ingressum, quibus humilis Prior non abnuit: imò habito fratrũ consilio, fauorabilibus calculis, Eremo, serena luce, cooptati fuere. Angelus fit, Carmelita cũ fratre.

10. Ad exitum perducto tirocinij anno, Carmeli mõtem arctioris obseruantiæ causa, adire, atq; morari humiliter petunt, & obtinent. Hæc autem illorum vitæ ratio: Ab exaltatione S. Crucis vsq; ad Paschale festum, pane & aqua ieiunant; feria verò secunda, quarta, & sexta fabis tantum crudis, vel molibus, victitant. A Pascha autem vsq; ad Pentecostem fer. 4. & 6. Pane, & aqua refocillantur. Alijs verò diebus, olera herbarum, modico irrorata oleo, mala Carmelũ petit. Abstinentia.

cum

cum pane, frugalis illorum mensa. A Pentecoste vsq; ad exaltationis S. Crucis festum, die Iouis cocta, reliquis verò diebus, panem & aquam summebant: à carnibus, & ouis abstinuerunt perpetuò: vinum quoq; abstemij nunquam degustarunt. Ferrea quadam subucula nuda sæpè tegebant, dein lanea alba, quam grisea tunica cum scapulare, Eremitarum more abscondebant, vtebantur. Pallium album virgulatum, diebus festis, in Ecclesia deferebant. Nuda quidem tabulę, lodice altera supposita, altera verò opposita, ad frigus expellendum illorum cubile. Induti vestibus somnum breue capiebant, orationibus diù noctùq; incumbentes; supra diuinum Pensum, quotidie Psalterium flexis soluebant. Hæc Angeli, & Ioannis fratrum in Carmelo, vitæ ratio, in hoc miserabili mundo.

Miraculũ de securi.

11. Accidit autem vt obedientiæ gratia, ambo die quadam ad communem vsum ligna cedentes, securis in S. Eliæ fontem prosiliret dolent, & orant: At Frater Angelus inter vndas, manubrio protinus apposito, ferrum è profundo natans ligno adiungitur, & eius manibus securis ille sa sese obtulit. Deo gratias agit, & nemini mirandum referri, permisit. Priori tamen reuelatum accepimus primum hoc S. Angeli miraculum. Hæc Nicodemus Hierosolymorum Patriarcha prædecessor noster, fideli relatu, dùm in eius domo, domestica consuetudine, à teneris versaremur.

Miracula S Ioannis fratris S. Angeli.

12. Retulit insuper Ioannem S. Angeli fratrem innumera corruscasse, patrasseq; miracula, quæ post Religionis ingressum apertè innotuerunt mihi, nec me fugit; mortuos quatuor ad vitam reuocasse. Paralyticos viginti sanitate donatos; leprosos decem & nouem mundatos, cæci quinq; oculis lumen recipiũt, à malis genijs, & varijs languoribus vexati, bona fiducia, & meritis Sancti Ioannis, & Sancti Angeli fratrum sunt liberati.

Ad Sacerdotiũ properant.

13. Nicodemus interim decidit, cui vita functo, Honufrius instituti S. Basilij vir magnæ sanctitatis in Patriarchã assumptus, statim sacras Ordinationes mense Decembris, publicè indicendas iussit. Ieremias, hic erat S. Annæ Prior Angelum, & Ioannem ad presbyteratus Ordinem promouen-

uendos Hierosolymam misit; cùm autem ad Iordanis fluẽta peruenissent, nimia aquarum copia exuberante flumine, in litore ipso 70. ferè expectantes reperiunt. At aquarum decrementum nullum; orandum inclamat S. Angelus & flexi omnes precibus Deũ pulsant, oratione terminata, S. Angelus, mandante Deo, insistit ripis, & iubens, dicit alta voce, State aquæ, & tutum nobis præbete iter. O miram Dei omnipotentiam. Illicò obedientibus aquis, cursu distinguuntur vndę, & consolidatæ Christalli ad instar, sternitur iter cunctis euntibus, vt sicco pede, Deum laudantes transeant.

Ad Sacerdotiũ properant.

Iordanẽ sistit.

14. Miraculum euulgatur fama, Hierosolyma tota stupente: Turmatim accurrunt homines, mulieresuè, vt Angelum, & Ioannem saltèm facie tenerent. Honuphrius interim, summa charitate, gemellos amplectitur Eremitas, à quo sacris ordinibus initiari, stato tẽpore, obtinet, octauũ enim supra vigesimum agebant annum. Ciuium precibus, Priore assentiente, pacto dierum numero Patriarchalibus ædibus commansere. Ob vicina tamèn Domini nostri natalitia, maximus eo loci erat populorum concursus, quare sancti fratres de recessu, Præsule benedicente, cogitant: & Bethlęem deuotionis gratia petunt: appropinquantibus illis, obuiat mulier quædam Elisabeth nomine, cuius adolescens filius, eo quidem tempore, è vita decesserat, inter vlnas ipsum gestat, & inter lachrymas, & eiulatus, ad eius prouoluta pedes, maternis precibus, de vita filij illi supplex instabat. O Pater care. O Dei amice. O serue Iesu Christi. Ego profectò credo, firmiterq; mihi suadeo, quod obumbrante clamyde tua, puerum meum iam morte frigescentem, ad pristinam vitam reuocabis: cui Angelus. Carissima soror mortuos ad vitam reuocare, munus est amicorum Dei, non peccatorum, quorum ego. Abi in pace. Pertinax non recedebat. Clamabo, subdit, donec orationem pro extincto filio, ad Dominum effundas. Orat Angelus talibus. O omnipotens, o sempiternæ Deus, qui viduæ filium Eliæ precibus, ad vitam reuocasti; qui quatriduanum, à sepulchro suscitasti Lazarum, te pietatis fontem suppliciter

Promouetur.

Bethleem visitat.

Mortuum suscitat.

oro, vt passionis filij tui meritis, defunctum hunc iuuenem, vita donare, nō dedigneris. Oratione lachrymis effusa, veluti è somno excitatus iuuenis, inter materna brachia, mirāte natura ipsa, reuixit: qui voce sublimiori clamat. Angelus Eremita amicus Dei verus; ne dum à morte corporis, sed spiritu mortuos ex suscitat peccatores, ego æterno supplicio, Blasphemiæ vitio damnatus eram, nunc sancti viri precibus, vtraque morte ereptus. Hæc in Natalitijs Domini, apud Bethleemitas; præsentibus Ioanne Archiepiscopo Nazareth, & Petro Episcopo Bethleemita, alijsq; Græcorum, & Armenorum Prælatis, ac Proceribus.

Solus Desertum ingreditur.

15. At nocte sequenti, Sanctus Angelus solus, inscijs omnibus, Angelo Dei dumtaxat associante, à Ciuitate recessit, & in desertum locum, ad quinquennium latere voluit, nemine penitus, & si diù quæsitus cognoscente. Vobis tamen notū facimus, & rem magnam narramus, videlicet D. Angeli Pallio supra quosdā vita functos posito, septem vita donatos fuisse. Ij autem Andreas filius Ioannis de Hierusal. Blasius filius Antonij de Villa Bethaniæ, Thadea filia Pauli de Ciuitate Samariæ, Stephanus filius Philippi Hierosolymitani. Lazarus filius, quondam Blasij Hierocontini, Matthia filia Iosephi Nazareni. Septimi nomen in notitiam non venit. Qui omnes apud Carmelitas sanctissimè vitam duxerunt, prout publico mandato Patriarchæ cuncta explorata, & inquisita, nobis cum fide, & industria consignata fuere. Eodem quoque Pallio apposito Psoræ, & Elephantiasis prurito, quatuor leprosi vehementer infestati, deterso morbo, sanitatem illicò obtinent, & miraculum euulgatur fama per vniuersam Orientis Ecclesiam, prout in Synodali Hierosolymitano Concilio triginta Episcoporum, plena fide, idem ratum habemus.

Septem mortuos pallio suscitant.

Visitat Angelico cibo.

16. Sub idem tempus Honuphrius Antistes Hierosolymorum diem extremum clausit, suffectus est Ioannes Sancti Angeli frater; cui quidem post consecrationem, reuelatione didicit S. Angelū, eo morari deserto, quod Dominus Iesus ieiunio quadraginta dierum sanctificauit: atq; in illa ad quinquennium solitudine, cibo Angelorum ministerio sup-

suppeditato enutritum, illorumq; sodalitate, adseruatum fuisse. Quinquennali autem exacta periodo, Dominus Iesus, visibili quidem spetie, magna Cœlicolarum caterua stipatus, ei se obtulit, & dixit, Angele non est hic tibi diù latendum; latioribus spatijs, amplioribus meritis, palmis, & Coronis Celum adipiscendum. vitæ reliquum aperit illi, & futura quæq; subeundi martyrij, explicatissimis innuit verbis. Hic autem prouolutus humi, dulcedine deflet, & Iesum visibili spetie loquētem, inter hac verba adorat. Domine Iesu. Fiat in me voluntas tua; grates quas possum ago, & vrbem sanctam Hierusalem, vt custodias vehementer oro: At responsum nullum, & cessauit à visione.

Visio.

17. Nimia perfusus letitia deserto exit Angelus noster, afflictus macie, immutatus pœnitentia, cunctis ferè incognitus; sese Priori S. Annæ humiliter offert, & humi prostratus, spectantibus alijs, quasi culpabilis culpam suam dicit. Prior verò, associante conuentu, gratias Deo agit. Interim S. Angeli aduentus D. Ioanni Patriarchæ germano suo significatur per nuntium, conuolat ad Cœnobium, & fratrem carissimis consalutat amplexibus. De vita solitaria, & Anachoretica diù, deque visis, & acceptis quinquennali tempore, longa narratio. In spem venit concionis Hierosolymis habendæ ipse Ioannes, fratrem Angelum rogat, nec abnuit. Rumor concionaturi Angeli, per ciuium ædes diffluit, & hominum omnium ætatum, nationum, ordinumq; ferè viginti millia, de suggesto audiendi gratia, congrediuntur certatim. Concio in Dominica proxima Septuagesimæ habita est, tanta dicendi auctoritate, tātoq; feruoris spiritu, vt octuaginta Iudæi baptismo extemplo renati fuerint.

Exit de deserto.

Ad Cœnobium se confert

Concionatur.

18. Nec multò post ipsemet Angelus, frater Ioseph de Emaus, frater Petrus Bethleemita, & ego frater Enoch Hierosolyma recessimus, Alexandriam Aegypti migraturi, in qua profectione per honorifica charitate, à viro Dei Athanasio Alexandrino Patriarcha Sancti Angeli fama percitus recipimur; apud illum aliquot dies commorati, & spiritualibus recreati colloquijs, de discessu egimus. Soluimus

In Italiā progreditur.

Kalendis Aprilis, & secundo vento, mare nauigauimus Ianuensium Naui cuccti: Die verò decima nona, ecce inopinatus Piratarum Saracenorum incursus, quatuor enim armatis Nauibus, in nos impetum faciunt, vt depredarentur de nostris; pugnatum est acerrimè; Etenim nostra nauis, vt erat egregiè ornata pugnam ad vesperam vsq; fortiter sustinet. Coniunguntur ad extremum Naues, & grassatores, ad nos cōscendunt, numero ferè septuaginta, scæui homines, Hij barbaro excandescentes furore, minantes, clamantes, vectores Nautas primùm, dein Christianos omnes, ferreis deuincunt innocentes catenis. fustibus percutiunt, procacibus verbis, multisq; probris, ac contumelijs nos vexare non desinunt. Angelum verò nostrum prostratum; deiectum, vincire ferro, in illorū est animo: At impauidus clamat, magno spiritus ardore, Ah desinite amici, amicos Dei offendere; qua viri constantia, ad rabiem concitati irruunt in illum, & manibus tenent, vt crudeliter cōtrucidarent, silet Angelus, & Deum supplex orat. Eripe nos Deus noster de manibus inimicorum nostrorum, da gloriam nomini tuo, vt liberentur dilecti tui. Vix in hæc erumpit verba. en ignis de Cęlo irruit, cadens in septuaginta illos prædatores; reliqui verò armis instructi, vel ictibus percussi, vel luminibus capti, vel panico terrore in furorem conuersi, vel vehementi adflicti spasmo, spe salutis destituti, hæc vna illorum submurmure vox ingeminata, Misericordia. Quibus S. Angelus alta voce clamabat, credite in Christum; & eruet vos à malis, sospitesq; eritis; O bonitas, o Dei potentia, quidam numero ducenti credidere, & sacris intincti aquis, omninò eruuntur à malis. Hæc in profectione Siciliana.

Aggrediūtur à grassatoribus.

Prædones puniūtur à Deo.

Liberātur.

19. Iàm tandem Equore feliciori cursu calcato, Messanam Siciliæ insulæ applicuimus, vbi magnam à Domino paratam inuenimus messem; Est autem Messana Ciuitas litoralis, lunaris figuræ circa Portum, munita arte, tutissima natura, Emporium sanè perecelebre; in suburbijs ciuitatis huius, ecce nobis obuiam, nobilissima mulier Constantia nomine, cui filius à natiuitate lingua captus, sermone pri-

Aduentus in Sicilia.

itabatur; illum, spe maximè fulta, D. Angelo reuerenter gebunda offert; & religioso pectore clamat, accurre precibus amice Dei, misello huic filio meo. Orat Angelus silentio linguæ, & eius silentium statim frangit mutus loquendo.

20. Post hæc Nauem conscendimus, & Vrbem veterem Romanorum perfugium, citò aduehimur, illic Honorius 3. P. M. & D. Fridericus de Claromonte grauissimis præpediti negotijs morabantur; S. Angelus autem humili gressu, & reuerenti pedum osculo præmisso, Pontificem adit, cũ quo longioribus egit; dein D. Friderico de Claromonte, Reliquias, quas, bona fide, secum attulit, fideliter consignauit, qui spirituali repletus gaudio, grates Deo agit. Romam venimus, & sanctorum loca, maxima deuotione, & lachrymarum copia visitauimus. Romam profectio.

21. Sub idem tempus concionibus inseruire cæpit, vt fidelium corda Deo redderet; Accidit, quadam vice, vt insignes viri SS. Dominicus Hispanus, & Franciscus Italus, concionantem Angelum audirent de suggesto, quippe qui vt erant charitate feruentes, terminata concione, obuiam sibimet prodeunt, & religiosis præmissis cõsalutationibus, se inuicem in Domino amplexantur. Angelus autem diuino actitatus spiritu, viro Dei Francisco dixit, stigmata Domini Iesu in corpore tuo portabis: cui eodem spiritu Franciscus subiunxit, & tu Siciliæ martyrio coronaberis, quibus annuẽs D. Dominicus Prophetica dicta confirmãs, obsignauit dicens. Deo gratias, Amen. De Cælestibus rebus longioribus agunt, & spiritu sancto repleti descendentes obuiam habent leprosum, & strumis plenum, cui Angelus nomen, hic se concionatori Angelo, calidis precibus ostendit, sanitatem ab eo petens; nequiuit vir Dei pietate exuberans preces, & oscula ei negare, quibus statim mundatus serio lætus, grates Deo acclamat, & discedit. viri sancti ad propria remeant. Concionatur. Visitatio Sanctorũ Dominici & Francisci.

22. Dum autem D. Angelus orationibus, & lachrymis Deum pulsaret, en splendido amictu, Dominus Iesus apparens ei, qui & præcipit ab vrbe recessum, vna cum socijs, atq; Siciliam versus iter arripere; Profectione igitur illicò Visio Iesu Christi.

arrepta, Panormum venit vrbem maritimam inter Pelorum, & lilybæum adiacentem, & statim Basiliani instituti Cęnobium S. Mariæ de Grota nuncupatum, cùm suis ingreditur; quo loci Athanasium Patriarcham Alexādrinum iam memoratum, inuenit, apud quem recreatus, proximæ quadragesimæ cōcionibus, Antistitis precib', maximo populorum concursu vacauit; quo temporis spatio, Iudei supra ducentos numero, fide, & Baptismo Deo renati sunt: Infirmi quoq; sanitate donati innumeri.

Concionatur S. Angelus.

23. Quadragesimalibus aūt expletis functionibus, Agrigentinā vrbem cùm socijs venit, quo in itinere, ad Cephaloedis Balneū septē viros leprosos scabie, & vitiligine quā Elephantiam, Græci vocant, toto corpore infestos reperit. Detestabile malū. Ij autem Ioannes de Trapano, Pinus de Termo, Franciscus de Pactis, Andreas de Voto, Lazarus de Bandano, Antonius de Calamista, Manfredus de Susera, Hijs quidem Balnei custos ingressum cōtendebat, ne morbi infectione Balneum pollueretur; lite inualescente, occurrit Angelus, Pax vobis, inquiens, an putatis harum aquarum virtute, atq; lotione, psora mundari? Imò addunt. Decipimini fratres. Conuertimini priùs ad Dominum, confitemini peccata vestra, & Balnei virtus operosior vobis ad salutem: quo statim expleto, proprijs manibus, illos abluit, orat, & sanat, dein cauete, subdit, à peccatis, ne imbecilliores efficiamini.

Leprosi apud Agrigēsum mundati.

24. Aderat autē inibi Dominus Goffredus Panormi Metropolita, qui Asthmate diù diuexatus, vsu Balnei curari cupiebat, cum per fomenta, & alia id generis medicamenta, nihil proficeret; At sancti Angeli precibus plenè vindicatus sibi redditur.

Goffredus Panormi præsul sanatur

25. Cùm autem Agrigentū peruenissemus, quinquaginta dierum spatio Concionibus inseruiuit: quo quidem tempore, Paralyticos, malis genijs infessos, cœcos, surdos, leprosos, & alios, varijs infirmitatibus, laborantes, assiduis deprecationibus, & sacrificijs, meliori valetudini, & viribus restituit.

Concionatur apud Agrigensum.

26. Post hęc Leocatam tendimus, vrbem iàm claram, ad Ho-

Hostia Gellæ amnis, concionandi causa, iuxta D. Iesu præceptum; Mænia ingredimur Kal. Martij, vna cùm Archiepiscopo, qui nunquam à consortio nostro separari permisit imò benignè nos recipit, & alit. Eodem tempore relatum D. Angelo Berengarium virum nobilem, sororem ipsam ab hinc 12. annis abhominabili stupro cognoscere, quem vt fraternè corrigat, secretò illum conuenit, & latens, putridumq; vulnus leniter aperit, atq; valido medicamine, currare tentat; At labor incassus. Ita excandescit Berengarius, & negat aperto Marte, superbè se extollit, terga vertit, & S. Angelum, prauis sermonibus, ac publicis maledictis, apud conciues insectari non desinit; Quibus vulgò iactatis, in Litanijs maioribus, festo S. Marci Euangelistę: adest Berengarij soror, Margarita nomine, mulier nobilitate insignis, tribus eiusdem Berengarij associata liberis, quæ ante conspectum S. Angeli genuflexa, hæc inter lachrymas, alta voce, conclamat, audiente populo; O Angele quem Deus saluti nostrę consulens, ad nos tandem direxit, iam dùm absorta peccatorum vndis; adhuc, permittente Deo, miserrima huius lucis vsura fruor. heu, heu, hosce filios meos: filios peccati, ex fratre meo Berengario fęcundata, duodenno spatio, cùm scandalo stultissima edidi: Tu dominum Deum precibus placatum mihi redde. Angelus rei nouitate infessus, inter suspiria, premitur dolore cordis vix ore profert, Deus tibi propitius, & dimittit. Hic rumor qui nondum exolescit, in varia studia ciues conuertit, Hic Berengarius Demone plenus, tanti flagitij animæ suæ conscius, in sanctum Angelum, seditiosam instituit machinationem.

Progreditur leocatam.

Berēgarij stuprum abhominandum.

Monetur à D. Ang.

Sororis Berengārij pænitentia.

28. Sequēti igitur nocte, S. Angelus orationi, vehementi spiritu, incumbens S. Ioannem Baptistam visu videt, à quo talibus monetur. Scias Carissimè, nomine D. Iesu Christi iam tempus aduentasse remunerationis, & lætitiæ animæ tuæ. Quinta die Maij fęlici cursu coronaberis, palmisq; laureatus, in Cęlestibus Deo tuo perpetuò adhærebis; & euanuit. Mane autem illucescente, diuinis expletis officijs, S. Angelus ad se vocauit fratres Ioseph, Petrum, & me Fra-

Visio S. Ioannis Bapt. D. Angelo facta.

trem Enoch, quibus visionem distinctè exposuit, condoluimus omnes; recedendum mortis effugiendæ causa; frater Petrus miro adhortabatur suasu, qui fortiter renuens, æternæ gloriæ premio obediendum instabat. Quare Petrus pœnitentia ductus, terram humiliter exosculatus est.

Dies martyrij S. Angeli. 28. Tertio nonas Maij, optata dies tādem illucescit, qua laurea coronandus, qua Cœlorum Regno, æterno æuo potiri, sperat sanctus Angelus; Sacro effusus in lachrymas, rite peracto, in Templo Apostolorum Petri, & Pauli haud à litore maris distante, vehementiori actus spiritu, concioni operam nauat, frequentia populorum tanta, vt supra quinque millia homines credatur. Vbi autem Angelus, angelico ore, Cœlum cunctis exponere contendit, infernum sibi aperit sæuitia Berengarius; etenim, Diabolo ducente, suggestum dicentis, excandescens conscendit, & virum Dei Præconem, capite, & pectore quinquies, diro pugione, vulnerat, traijcit. Populus videt, horrescit, & ira succensus, contremiscit furens in Parricidam, supremum vitæ diem præproperus contendit ei: At vulneribus saucius, & sanguine madidus, rogabat Angelus turbam omnem, nolite quæso fili, molestos esse amico meo, quo mediante ad Cęlū propero. Dimittite, & dimittetur vobis; Rogate Berengarium, vt pœnitendo ad Deum reuertatur; cauete oro ne pœnitentem eius sororem, crudelis euersor perdat: Consocios meos precor commendatos habete, in osculo pacis, & amoris Dei mei. Dein clara voce Psalmum, Beatus vir qui non abijt in consilio impiorum, &c. Item Psalmum In te Domine speraui, recitare cæpit, ad verba aūt illa, In manus tuas Domine commendo spiritum meum, efflauit animam. extemplo vox de Cœlo intonat, audiente populo plangente. VENI ANGELE, AD ÆTERNAM PARADISI PATRIAM, & eodem tempore, lux sole splendidior sanctum corpusculum tegit, ità vt in splendoribus sanctorum animam illius in Columbæ specie, candore respersę, ad Cœlum modulantibus Angelicis Choris, certò credatur, euolasse. Sancti corpus arabicis fragrans odoribus sereno vultu iacet. Hæc cursus meta, spectatæ vitæ laudatissimi

Martyrij genus.

Constātia S. Angeli

Mors pretiosa S. Angelj.

viri

viri Dei Angeli, eremi cultoris, disciplinæ Paroris, & CARMELI decoris. Rumor excitatur in vrbe, confluunt vndiq; Ciues, ad sacrum funus, miserandum deplorantes casum.

29. Berengarius, de quo diximus, cùm pœnitentem sororem inuadere minimè potuisset, desperatus salute, in porticu propriè domus, laqueo se illamentatum suspendit, sepultusq; extra fidelium sacrarium. Finis Berengarij.

30. Aberrat Goffredus Archiepiscopus, cum Angeli Martyrium Angelica visione cognoscit. Etenim S. Bernardi Meditationes attentè legenti S. Angeli Anima diuinis corruscans fulgoribus, in hæc verba apparuit. Ecce Præsul carissime ad Paradisum propero. Perterritus vrget, quis es tu? Ego frater Angelus Carmelita tuus, olìm terrenæ nunc autem Cœlestis Hierusalem ciuis perpetuus. Quid à me? subdit. oro in Templum pergas, vbi Iesu Christi amore gladiatus cæcidi; illic saucium corpus meum, adhuc sanguine fumans Tumulo, quæ tua est pietas, recondi iube. Præsul admiratus Cœlico, inuiso Nuncio, illicò tota comitante familia, ad pium funus in Templum properat. vulneratum amici corpus iacens sanguine respersum adspicit, heu, in lachrymas abit, & vocem silentio comprimit. stat animo, & dubius meditatur. At spiritu reassumpto, Deo gratias agit. Nos orbatos, ac Parente destitutos, amicis verbis solatur. Dein iusta persoluenda, sancto corpori honorificè iubet. Reuelatio martyrij S. Angeli.

31. Interim, populo petente, per octo dies publicè adseruari voluit. quo dierum spatio, illustria subsequuta miracula testamur. Etenim Surdi auditu, cæci luminibus, claudi gressibus, leprosi munditia, paralytici sospitate, malis genijs laborantes ereptione donati fuere; tandem statis diebus expletis, solemnes exequias, maximo sæcularū numero, & officio de S. Martyre, eo loci, vbi vulneratus efflauit animam, præsentibus Archiepiscopo, Proceribus, & mira omnium Ordinum frequentia, lachrymatum, & laudatum, tandem humatum est Sancti Angeli corpus, sacris sacerdotum manibus: quibus frater Petrus, frater Ioseph, & ergo frater Enoch cooperatores mestissimi funeris fuimus, Miracula post mortem S. Angeli. Sepultura S. Angeli.

mus, anno Domini 1220. die verò 13. Maij. Hæc autem fideliter à nobis descripta damus ad laudem Dei omnipotentis, & S. Angeli martyris cuius precibus suplices adiuuari poscimus. Amen.

Visio B. Athanasij de Claromonte Patriarchæ Alexandrini, de reliquijs S. Ioannis Baptistæ, excerpta ex Manuscripto Bibliotheca Vaticana Romæ, prout Iacet. ad verbum.

ANno Domini 1226. in festo Annunciationis B. Mariæ Virginis post horas matutinales, quasi circa horam nonam noctis, in Ecclesia S. Ioannis Baptistæ coram eius SS. Reliquijs orando, & quasi mihi videbatur non dormire: Visio B. Athanasij videbam iuxta me hominem vnum, ferè annorum 30. cuius aspectus lucidus, & color tanquam sol erat, qui totam Ecclesiam illuminare non desistebat. Erat indutus pellibus Camelorum, tenebatq; in manu sua vexillum S. Crucis, vocans me ter dixit. Athanasi, esto certus, quod voluntas mea non est, vt Reliquiæ meę, & quæ mecum sunt, in isto remaneant loco, & maximè imago gloriosæ Virginis Mariæ propter immensa peccata huius populi, sed in Italiam ipsas festinanter mittere procures per fratrem Angelum de Ciuitate Hierusal, qui Martyrium sustinere debet in Insula Siciliæ, propter veritatem dicendam (sicut & ego sustinui) & per fratrem Enoch socium suum.

Mandatũ ei latum. Ego verò tremebundus interrogaui, quisnam esset, & quod nomen haberet, qui respondit Ioannes Baptista, cuius reliquiæ custodiuntur in hac Ecclesia, eas verò Federico de Claromonte fratri tuo, & deuoto meo concedere debeas, qui cum Honorio Papa de eis prouidebit. Hijs verò dictis disparuit. Ego postmodum euigilans de somno, mandato S. Ioannis, & gloriosæ Virginis Mariæ, per fratrem Angelum prędictas Reliquias misi fratri meo Friderico, associante fratre Enoch sanctæ conuersationis viro. Reliquiæ sunt, Imago gloriosę Virginis Mariæ, brachiũ & tybia S. Ioannis Baptistæ, Caput Ieremiæ prophetæ. brachiũ S. Catharinæ Virg. & martyris. & tybia S. Georgij. Hæc veris-

verissima attestatio sancti viri Athanasij de Claromõte Patriarchę Alexandrini.

Nota ad vitam S. Angeli Martyris Carmelitæ.

De S. Dominico, & Francisco.

TEstimonium Petri de Natalibus Episcopus Aquilini lib. 4. cap. 124. Hunc siquidem Angelum finita quadam prædicatione Sancti Dominicus, & Franciscus, audiente frequenti populo, in terra prostrati mirum in modum venerati sunt. Qui post caros amplexus, beato Francisco prædixit stigmata, & vicissim ipse Franciscus ei martyrium. quod vtriusq; adimpletum est vaticinium.

Ad idem.

Testimoninm Petri Rodulphi Fossinianensis min. Conuent. lib. 1. pag. 12. fac. 1.

SAnctus Angelus Carmelita post multa verba dicta corã SS. Patribus Dominico, & Francisco, dixit dicto Patri Francisco. Salue humilitatis exemplum Tu corporaliter portabis stigmata Christi. cui respondet B. Franciscus animi magnitudine accensus. Et tu in Sicilia martyrio coronaberis. B. verò Dominicus, qui cum B. Francisco aderat, respondit Amen. Hæc ille.

Testimonium

D. Euerardi Carthusiensis, in Fasciculo temporum sub an. 1221.

SAnctus Angelus Hierosolymitanus Carmelita, vir sanctioribus annumerandus: & vt paucis multa dicam. Hominis sui verè speculum, velut nubes imbrifera prædicando circunquaque discurrens, innumeras Christo lucrifecit animas, cui etiam tandem postquam plura miracula proprij sanguinis mortis vicem reddidit.

Testimonium

De oleo manante ab eius Sepulchro.

PEtrus de Natalibus Episc. Equilinus supra. Fons olei à primis vesperis, vsq; ad secũdas vesperas, scaturit, in eo loco vbi martyris sanguis effectus est. quo, eodem die, si qui perunguntur, à diuersis languoribus rediumtur. Idem testatur Ludouicus Zacconus Pisaurẽsis Ordinis Eremitarum S. Augustini in Compendio vitæ sanctorum.

Testimonium

Illustriss. Cardinalis Cæsaris Baron. in Addit. ad Martyr. Roman. sub die 5. Maij.

SCripsit S. Angeli res gestas Enoch Hierosolymitanus: De eodem Molanus in addit; ad Vsuardum hac die. Habes easdem in compendium redactas in Thesauro Concionum Tom. 2. hac die.

Testimonium

Ioannis Molani ad Vsuardum die 5. Maij.

IN Sicilia, apud oppidum Leochatam, siue Achatem, Natale S. Angeli Presbyteri, & Martyris; qui de Monte Carmeli, prædicationis causa diuino iussu veniens, cum multos ad pœnitentiam conuertisset, à quibusdam impijs trucidatus est.

Testimonia habes apud Carmelitas innumera.



VITA
B. SIMONIS STOCK
ANGLICI

Carmelitici Instituti Latinorum Gener. 6.

Ex Monaldi Rosario, Rolando Bocchiario, Martino del Rio, Ioanne Priseo, Ioanne Palconidoro, Didaco de Coria, speculo Ordinis Carm. & manuscrip. Vaticano.

Moritur anno ætatis suæ plus minusue centesimo, sub Clem. 4. P. M. 1265 die 16. Maij Burdigaliæ apud Vascones, Tumulatus.

1 INTER vniuersos vetusti nostri instituti Professores Beatiss. Virgini Dicatissimus fuit B. Simon Stockius, cuius illustres, & in ore omnium admirabiles virtutes, & si præclaros habent Scriptores, tamen exili hoc scribentis stylo, easdem repetere memoriæ, dulce calamo nostro: ita grates, & laudes dicemus ei. Exordiũ.

2. Vir iste clarus, natione Anglus, Patria Cantianus, honestis Parentibus editus, creditur anno à Christo nato 1165. Hunc honestioribus moribus, Patentes nedum naturali pietate, à crepundijs ipsis, imbui, omni studio, curãrũt; Sed Deiparæ Virginis amore, deuotioneq; & animus ornari, & pectus eius repleri, magis in illorum erat animo. Hinc memoranda, & admiranda in ipso ætatis flosculo patrare, & certa sanctimoniæ iudicia ttuernere cæpit. Vix duodennius solitudinis amans, illi vias & abrupta loca petit. S. Simon Patria. Parentes. Deuotione.

Con-

Duodennus truco clauditur.

Cōcaua Quercus, architectāte Natura, superbum illi tectū. A quo vulgaris illa denominatio, STOCK, est enim Anglico Idiomate, STOCK, latinè Truncus. vnde Simon à trunco. Inibi, scribit Lelandus, quo pauperiorem vitam ducit, eo copiosiorem animam reddit cęlestibus delitijs; quo partius terrenis fouet alimentis, eo latius spiritū saginat bonis, & quanto magis voces, ore silenti, premet; tanto facundius Deiparam Virginem sæpissimè alloquitur.

Pœnitētia in trunco triginta trium annorum.

3. Hic precibus feruidè, vigilijs, atq; ieiunijs diù noctùq; vacat, frigida aqua, herbis, & radicibus, Syluestribus, aliquando pomis, pro victu vtitur: sed omnem hanc, quæ delitiatur corpus, austeritatem, facilè absorbet Cęlestium rerum assidua meditatio; omnemq; sensum tanti rigoris, penitus aufert, animus ad superna raptus. Hoc satis abundè liquet. etenim spiritualis vitæ dulcedine actus, tres supra triginta annos, iuxta vitæ Christi D.N. annorū numerum, pauperrimo Trūci tecto recept⁹, eo loci gratiss. hospes fuit.

De Trunco B. Virgo eum alloquitur.

4. Hoc quidem vitæ genere exercitatus B. Simon. Beatissimam Virginem Mariam, viuæ vocis oraculo, talia loquentem, semel audire meretur. Scias velim venturos aliquando, in Angliam, ex Palestina Syrię Eremitas quosdam Monachos meos, quorum & ipse institutum amplecteris; Rei euentus Virgineum oraculum comprobat. Rem totam narabimus. Nam anno 1209. dùm sacro bello, in oriente præmuntur Turcarum Imperia, summi duces obseruant Militum copias, aquarum penuria frangi, ac diuexari in omni Palestina; eodem quoque tempore, certo Nuntio, accipiunt, in Carmeli iugo, Eliæ fontem, indeficienti vena, redundare aquis, statim incolas Eremitas, vi militari, ablegant, copiæ certatim ad aquæ copiam currunt; At arrescente fonte eluduntur non eluuntur. Interim Ptolomaidæ, quæ est Accon Carmelite gradum sistunt, & orant, omina in bonum verti. Negatis miraculo aquis, sitis vrebat militaria guttura. Intelligunt absentibus Carmelitis, Fontem Elię viduari aquis, pręsētibus itèm exuberrare, refluentibus v[n]dis, reuocatis igitur legitimis cohabitatoribus, in Carmelum, o[...] Dei omnipotentiam, refluunt illicò abun-

Virtus de fōte Eliæ.

Eiecti Carmelitæ reuocantur.

abundantissimæ aquæ; obstupescũt milites nouitate miraculi; auidè latices epotant se se abluunt, madent, sitim compescunt, expellunt; laudant, & saturati absedunt.

5. Hanc ergò Eliani fontis mirabilem aquarum diffusionem, alia quoque ab ortu ad occasum, subsequuta est Carmelitarum noua diffusio: Etenim Illustrissimi Principes vetustam hanc, & Religiosam Carmeli gentem, pietatis impulsu, in exterras traduxere Prouincias; horũ insigniores Ioannes de Vescy, Dominus de Alneluico, & Riccardus de Grey Dominus de Codenore, natione Angli Barones, & milites in sacro Bello; Religione, & Armis strenuissimi: Ij, sedatis aliquantisper ardentium flammarum in oriente stridoribus, anno 1209. alij 1212. à festo Natalitio Domini N. Religiosissimos viros Eremitas Carmeli montis fratrem Iuonem, & Radulphum, cum socijs, æquore superato, ad Anglicana litora feliciter aduexere, quo olim Catholico solo, Dominus Ioannes Vescy Cœnobium primum Alneluici à fundamentis erigit, coadiuuantibus itèm dominis de Pery, Cœnobij clauum regit primus frater Iuo Eremita. Richardus verò de Grey apud Elisfordiam in Cautia Côuentum insignem fundat, cui frater Radulphus cum socio preest. Hæc in Anglia nostri Carmeli prima Cunabula. Fusius eadem habes in speculo Ordinis Carmelitarum. Sed emendanda quædam f. 59. idem apud Paleon. lib. 3. & Diegum de Coria. Alios quoque, eadem tempestate, Eremitas nostros in Galliam, Hispaniam, Scotiam, Pannoniam, Boemiam, Vngheriam, Siciliam, Italiam, & alibi traductos, certa historia scimus, de quibus alibi.

Dilatatio Carmelitarũ quãdo.

Primum in Anglia iter.

6. Dùm igitur sub idem tempus prosperæ in occidente, aduersæ in oriente res sese habent B. Simon annum agens 45. Virgine benedicta præmonente, nouos in Anglicanum Regnum ab Oriente Eremitas aduentasse, extemplo de illorum societate cogitat: Trunco relicto Virgine Maria præeunte, illorum hospitium petit, & amplectitur amice. De ordinis ingressu sermonem, grauissimus verbis, instituit; tandem in Carmelitarum cœtum cooptari, obtinet. Hic religiosis vestibus, amore & cultu indutus, magistrorum san-

Dilatatio Carmelit.

Simon de Trunco exit.

Fit Carmelita.

sanctitatis vestigia, ità calcare instituit, vt futuræ sanctitatis specimen Coeremitis breui temporis spatio dederit. Vir sanè iugis abstinentiæ, & multorum studiorum, ac vigiliarum; Oratione item, adeò feruidus, vt eum sæpiùs visibili specie Angeli ipsi alloquerentur. Hic Deiparam Virginem, cui iam se totum à teneris voto deuouerat, nouo Religionis affectu strictiori obseruantia colit.

In terram sanctam progreditur.

7. Euulgata itaq; viri Dei fama, euulgari quoq; cæpit apud Europeos magnificum Carmelitarum nomen; & ille qui Trunco occultabatur exiguo, amplissimi Regni terminis contineri nequit. Plenus Deo in terram sanctam peregrinari obtinet, solitudinis inueniendæ gratia. Natali solo relicto, longo se tradit itineri, & felici tandem cursu Palestinam appellit; Primordia Patrum lachrymatus inuisit, sacra terræ sanctæ monumenta, nudo pede, lustrat: Mox ad suos reuersus, grotula solitudini apta, recipitur. Loco tutus, cęlum præcibus pulsat, & statim Numen adest, referemus factum mirandum, supra captum, aut fidem humanam, supra ipsam naturam. Id autem; Simonem ad illud sanctimoniæ culmen ascendisse, vt ne sæpius quidem Deiparam Virginem placidè alloqui ei permissum esset, sed vbi Coruorum olim ministerio, Eliæ vati sternebatur mensa; ipsi cibum quotidie sacra Virgo, proprijs suppeditabat manibus. O pretiosum epulum; ò felicem hospitem. Ad sexennium, hoc cibo, sustentatur solitarius Simon. Quis talia vnquam audiuit? Consule Monaldum in Rosario, Rolandum Bocchiarium in eiusdem vita, & Martinum del Rio lib. 2. q. 21. Disquisit. Mag.

Ad sexennium B. Simon cibo reficitur à B. Virgine.

Conciliũ Lateranen se Magnũ celebratur.

8. Sub idem tẽpus, quo solitudinis amãs B. Simon inter speciosa deserti Carmeli cęlestibus pascebatur, & pro se, suisq; Carmelitis, conceptis precibus, ad Aram Virginis Mariæ incessanter deprecabatur; Romæ conuocatum est, æcumenicum Lateran. Concil. omnium Europæ celeberrimum, cui Innoc. 3. P. M. præfuit; interfueruntq; duo Orientales Patriarchæ, Rodulphus qui successerat B. Alberto Leuntio (iam dicto) & Constantinopolitanus, Reliqui præpediti. Archiepisc. 71. Episc. 412. Abbates 12.

Prio-

Priores Conuentuales 800. summa 1284. non enumeratis Imperatorum legatis, Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliȩ, Vngariæ, Poloniæ, Siciliȩ, Hierusalem, & Cypri, in quo quidem ædita sunt 70. Capita, ad mores Ecclesiasticæ disciplinæ emendandos. Interquæ illud sanè insigne, in cap. 13. ne nouȩ Religiones permitterētur, vt in cap. Ne nimis, de Religiosis domibus. Quare post Concil. Later. Romȩ, & alibi decreta illa Carmelit. diffusioni, ac dilatationi in Europa impediméto esse cæperunt, vt ex Ioã. Paleon. lib. 3. cap. 5. Primò quia latebat eos Carmelitarũ institutum, Regulam ab Alberto Patriarcha, ordinaria sua potestate, ante Concilium prædictum Lateranen. anno 1215. celebratum, accepisset, anno videlicet, 1171. Secundò, quoniam verba Lateranensis Concilij præceptiua. Firmiter prohibemus ne quis de cȩtero nouam religionem inueniat; vt in cap. Religionũm, non eodem modo ab ordinarijs locorum interpretabantur. Dubio verterunt num ante Concil. Lateranense, Carmelitarum extaret ordo, Regulamq́; haberet certam. Quare cùm vehementi quorundam peruicacia, vehementi item persecutione prȩmerentur Carmelitæ, Dominum Rodulphum Hierosolymorum Patriarcham B. Alberti successorem, qui Lateranensi Concilio interfuit, consulunt; quibus suadet, Honorium 3. Innocentij 3. locum post mortem posidentem, pro Alberti Regula declaratione, atq́; confirmatione fidenter adire. Reathe ad vrbem veniunt, Pontificemq́; humili orant supplicatione; vt antiquissimo Prophetarum instituto pro immensa, qua pollet in Ecclesia religione, ac pietate, auxilio esse non dedignaretur; Regulamq́; ab Alberto Patriarcha, ex D. Basilij scriptis excerptam, Carmelitisq́; longè ante Conciliũ Lateranense consignatam sua confirmatione validari ad prȩscriptum Concilij, nuper Romæ celebrati, ad abolenda litigia, & religiôsam consequendam quietem, dignaretur. Annuit benignè Pontifex summus; At multis implicatus negotijs, pro Ecclēsiæ munere, Pontificium promissum, diutius fortè, quàm par erat procrastinabant curiales scribæ, confirmationis expeditionem retardantes.

Decretum de nouis religionibus.

Impediũtur Carmelitæ.

Consulũt quid agēdum.

Ad Honorium gradiuntur.

B. Virgo ad Honorium pro Carmelitis.

At dum Romæ dolent Patres Reipublicæ Carmeli vicem, & in Oriente dolentium diuexationem, trepido quodam spiritu, sentit B. Simon. Spe fultus, prolabitur in genua, calidis precibus, lachrymisq; diuina ordini suo poscit auxilia. O mirum. Extēplo sacra Virgo intēpesto noctis silentio, æthereo lumine micans, Honorio fatur his verbis. Non est aduersandum dum iubeo, nec dissimulandum dum promoueo; Curiales Carmelitarum causam impedientes, vltore Deo, plexos manè reperies. Et euanescit visio. Expergefactus Pontifex trepido quidem gaudio', preces, illicò fundit; & ecce Nuntius illi, duorum Curialium repentinū interitū afferens; rapitur mēte, & subijt illud mirari, visum nocturnū. Ad se cōuocat suos, quos obnixè concitat, monet, ad Eremitarum Carmeli montis familiæ amplitudinem. Deinde anno 10. sui Pontificatus die 16. mensis Iulij, approbauit in Ecclesia, perantiquū Carmelitarum Institutum, inter nuper confirmatos mendicantium ordines. Bulla in Regesto, apud Laertium Cherubinum fideliter habetur talis.

Repentina quorundam mors in Curia.

Ab Honorio 3. Bulla confirmationis.

9. Honorius Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Priori, & Fratribus Eremitis de monte Carmelo, salutem, & Apostolicam benedictionem. Vt viuendi normam regulariter, à bona memoria Alberto Hierosolymitano Patriarcha editam, quam ante generale Concilium Lateranense; probastis humiliter suscepisse, in posterum vos, & successores vestri, quantum cum Dei adiutorio poteritis, obseruetis, in remissionem vobis iniungimus peccatorum. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, confirmationis, & iniunctionis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli, se nouerit incursurum. Datum Reate tertiò Kal. Februarij Pontificatus nostri anno decimo. Deinde sequitur Regulæ tenor. Albertus Dei gratia, &c. confirmatio facta fuit an. 1227. Plura vtiq; gregi nostro contulisset Sanctissimus Pastor Honorius, nisi eodem anno, ad Cœlum euolasset. Hæc scripsimus, vt legēti pa-

pateat, hæc omnia nobis cōtigisse precibus,& meritis, sancti Patris nostri Simonis Stock viri Dei. Bertholdo Lombardo ordinis clauum regente. Generali 4.

10. Hinc prudēter familia nostra, gratitudinis ergo 16. Iulij, suę desponsationis, & cōfirmationis die, Romanorum Pontificum assensu, & cōcessione, singulis annis solemnem Beatissimæ Virginis Mariæ de monte Carmeli COMMEMORATIONEM, ritu perpetuo, cum Processionibus, indulgentijs, & populorum frequentia, in vniuerso orbe, cōcelebrare decreuit, vt in Breuiario nostri Instituti; Vniuersis Carmelitis, lapis æternitatis. Commemoratio solemnis gratitudinis ergo.

11. Cæterum autem, Deiparæ Virginis intuitu, in Patriam reuertitur. Decoribus quidem ingenijs, & laudatissimis viris, eo tempore florebant Religiones omnes, sanctitate, studijs,& reliquis Religiosorum ornamentis; hæc vnica totius Romanæ Ecclesiæ facies. Cùm itaq; B. Simon Stock vitæ sanctitate, & studiorum splendore, in omnium ore esset, plurimumq; in ordine suo valeret, iussus est laudabili Religiosorum more, laurea magistrali decorari, validè quidem obsistit; at obedientiæ iugo, in Oxomiēsi Vniuersitate, maxima candidatorum Patrum admiratione, & triumphali Carmelitarum decore, passus est laureari. B. Simon ad Anglos reuertitur. Accipit Doctoratus insignia.

12. Paulò post autem anno videlicet, 1239. Alanus Brito Generalis Latinorum 5. vir Sanctus, Diem extremum obijt. Comitia generalia in Halisfordia concelebranda parantur, & stato tempore anno 1240. vniuersalis adest Conuentus; præmissis ex instituto sacris orationibus, & cæremonijs, fauorabilibus omnium Calculis, in Priorem Generalem 6. eligitur, toto exultante Carmelo. Sancti viri encomia talibus recenset. Paleonid. lib. 3. cap. 5. Vir fuit compositus moribus, charitate feruens, in societate mansuetus, fortis ad patientiam, ad miserandum pronus, eloquentia copiosus, vehemens in dicendo, & tàm efficax in diuinorum eloquiorum enunciatione, vt Anglorum animos, à vitijs ad virtutes mirabiliter commutaret. In iudicio certus, in colloquijs modestus, strenuus in agendis, humilibus humilis, minoribus blandus, pœnitentibus be- Creatur Generalis Ord. Carmel. Eius laudes.

nigrus, rigidus superbis, & inflexibilis obstinatis. Plura tulisset nisi religiosæ modestiæ freno, Calami Linguam, cohibuisset pijssimus scriptor.

Expeditiones ad Concilia.

13. Anno sequenti, quosdam sciētia præclaros Sacerdotes, ad Concilium Tarraconense in Hispaniam aduersus Vualdēses mittit, quorū nomina ferè in Regesto descripta, repetire nequiui. Idèm anno 1245. præstitit, in Concilio Oecumenico 1. Lugdunensi. Extat constitutio, quę incipit. Dei virtus. Qua sum. Pont. conuocat, Abbates, & Priores Anglię ad hoc Conc. pro die 24. Iunij 1245. ex Frācisco Longio Corriolano in Breuiario Chronologico.

14. Quoties autem B. Simon commissum sibi Carmelum virtutibus efflorescere, & singulari in Diuam Virginem, cuius diuinæ Potentiæ, maximis cummulatum beneficijs, pullulare aduertebat; toties itèm spiritu actus ante Virginis Aram, hoc lepidissimo carmine, Virginem ipsam animo cultam, & oculis sæpè vsurpatam, quotidie magis enixè deprecatur.

Partheniana Ode, B. Simonis Stock.

S. Simonis deuotionis cāt̄us.

Flos Carmeli,
Vitis florigena,
Splendor Cœli,
Virgo puerpera,
Singularis Mater mitis.
CARMELITIS,
Da priuilegia,
Stella maris.

Nec affirmantes desunt, suauem illam Cantiunculam versu Tetrametro concinnatam à nostris sæpè vsurpatam, & nocturno quidem tempore, ad Postes Virginei ostij decantatā, ab eodē B. Simone, diuino sauciato amore, editā fuisse.

Aue Stella matutina.
Peccatorum medicina,
Mundi Princeps, & Regina.

In Breuiario reliquum.

15. Pu-

15. Putas frustratum cantum? Deciperis. Canit Pindarus noster, auscultat amica; audit, & exaudit Diua Parens mellifluum Carmeli Cygni cãtum; Nàm Paulo post Angelicis stipata cateruis, radijs amicta, canenti Patri, non auxilio, sed præsentia adest, & liberali manu, donum largitur ei. Quod donum? Accipe, inquit, dilectissimè hoc tui ordinis scapulare, meæ Confraternitatis signum, tibi & cunctis Carmelitis Priuilegium, in quo moriens, æternum non patietur incendium; ecce signum salutis, salus in periculis, Fœdus pacis, & pactum sempiternum, & ei scapulare, quam Pacientiam vocamus, extenta manu, porrigit. O pretiosum munus. O singulare donum. Cur dat, subdes, iàm habet? Hac fortè ratione, vt in eius honorem, Pontifice concedente, fidelibus vtriusq; sexus in Ecclesia, & gratis, & reuerẽter distrubueretur apertum deuotionis monumẽtum, & insigne amoris donum. Aliàs habes rationes, in Dionysio vindicato. F. 104.

A B. Virgine accipit scapulare.

16. Grates omnium ore accipit Domina nostra. Priuilegium fama diffunditur. serpitq; longius rumor ab Anglis & cultus. Confluunt vndiq; magni viri, & finitimis locis, Ciues, Pagani, milites, mulieresq; sese religionis nostræ vltrò offerentes. Quorundam referemus nomina, qui B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli sodalitij, prima, & publica iecere fundamẽta, prout in annalium nostrorum monumentis, facilè est reperire, Ludouicus Gallearũ Rex, cũ Matre, & tota familia. Eduardus Rex Anglorum cùm vxore, & liberis suis. Henricus Dux Lancastriæ, miraculis clarus. Rex Scotiæ cum suis omnibus. Comes Hiberniæ, cum vxore, & filijs. Comes Hannoniæ. Comes Hollandiæ, & Zillandiæ. Henricus Northumbriæ Comes. Angela filia Regis Bohemiæ. postea monialis ordinis nostri. ex Martino del Rio lib. 4. q. 3. sect. 4. Ioanna, & Anna Tholosates, & alij Multi Principes, Antistites, Nobiles, priuati, plebei, quos recensere ab eo tempore, & superuacaneum, & incertum multum. Hinc sodalitia virorum, ac mulierum subinde, in Ciuitatibus, Oppidis, & Municipijs sub idem tempus instituta: Hinc Altaria, sacella, Templa, Ecclesiæ, Oratoria,

Origo societatis S. Mariæ de Monte Carm.

per vniuersum orbem D. Virgini de Monte Carmelo sacta, maximo populorum cōcursu, & Animarum beneficio conspiciuntur. Quid mirum? operatur Mater Dei. Consultò mittimus beneficia, miracula, & admiranda prodigia, vbiq; locorum, & omni æuo, sub hoc insigni Velere, religionis ergò, fidelibus cōsignata, passim in ore sunt hominum. Quod boni gaudemus, & laudes Deo, Deiparæq; Virgini referrimus, & B. Simoni Stock immortales habemus grates: Hæc sodalitij B. Mariæ de Monte Carmelo fidelis origo.

Progred. ad Concilium Lugdunense primum.

17. Interim Concilium Generale Lugduni, Innocentij Papæ 4. iussu congregatur, aduersus Fridericum secundum Imperatorē; Constitutio incipit, Dei virtus, vt dixi, ad quod Generales, Abbates, & Angliæ Priores, pro die 24. Iunij an. 1245. reperimus euocatos, inter fuit ergò B. Simon Stock, vnà cùm Instituti nostri Theologis & Doctis viris, atq; in ipsa vniuersali congregatione publicam habuisse concionē pro sedandis, euellendisq; in Ecclesia tumultuationibus, fertur.

Orat B. Virginē pro [illegible] [illegible] fione.

18. At noua suppetunt. Dùm autèm, successiuis temporibus; B. Simon commissæ familiæ, augendæ salutis causa, maximo teneretur desiderio, duabus veluti spinis pungitur Animus eius; pungit primùm quorundam difficultatum, è Regula manantium enodatio a Pontifice impetranda; Difficultates habes à Siberto de Bebe in speculo Ordinis lib. 8. cap. 5. Didaco de Coria lib. 2. cap. 6. Thomam Discalceatum in Comment. Reg. 1. p. & in Disciplina Regulari Patris Hieron. Gratiani fusè explicatas: Pungit secundo grauis in ordines mendicantes quorundam persecutio. De hac persecutione apertè scribit, P. Antonius in Chronico Fratrum Prædicatorum sub anno 1250. Guillelmus Sorbonicus de Sancto amore, cum socijs aliquot, quasi ad hoc fuissent ab inferni Principe conducti, hostis atrocissimus Religionis nostræ, & Fratrum Minorum (addamus & Carmelitarum ex historijs nostris) quæ iam tunc temporis erant clarissimæ in Dei Ecclesia, ad illas destruendum obstinatus laborabat, in Angelum lucis transformatus. & librum etiam edidit, quem Innocentio 4. obtulit, quo multis falla-

cijs

ctijs vsus intentum suum conabatur ostendere. Hæc ille, orationes publicè fiebant in vniuerso ordine nostro, quando Beata Virgo humili cuidam oranti fratri turbinem pacis citò soluendum. Et ità euenit; nam breui post modũ, dictus Guillelmus cùm complicibus, Romam citatus iuit, & de suo errore confusus, illius libellus, ex sententia Alexandri quarti, qui Innocentio successit, combustus & ipse Guillelmus beneficijs Ecclesiasticis priuatus. Hic Guillelmus fuit mendicantium Monachorum, ait Gabriel Prateolus in elencho heræticorum acerbissimus hostis, suas hæreses instituit atq; promulgauit sub Alex. Papa quarto; à quo damnatus est per Bullam, quæ incipit, Romanus Pontifex. His igitur stimulis punctus B. Simon, iniunctis per vniuersum Ordinem precibus, & sacrificijs, instanter B. Virginem precabatur sibi & ordini suo, in auxilium venire; cui ad Innocentium 4. recurrendum, dixit, ipse enim quid decernendum indicabit. Itaq; comitijs Helisfordiæ celebratis, duos Clericos Sacerdotes Magistros deligunt oratores, ad Pontificẽ mittendos. R. F. Reginaldus Scotus, qui ad Cardinalitiam dignitatem electus ab Innocentio 4. morte sublatus anno circiter 1249. vocationem terræ, vocatione cęlesti cessit; relatus in monologio Thomæ Dempsterij pro Scotis. secundus fuit Frater Petrus Suuauingtonus Anglus Nurfoliensis in Cœnobio Brunhamensi, vir eruditissimus, sac. Theolog. Doctor, & professor Oxoniensis, Burdegali in vasconia sacras litteras publicè professus. Subnectemus, in tanti viri laudem, testata à D. Ioanne Ptiseo Anglo, Canonico Antuerp. in Cathalogo virorum illustrium Angliæ. Hic, inquit, vir sanè omnis melioris notæ doctrina insignitus, in cõcertationibus Scholasticis acer admodum & vehemens, habuit singularem fautorem, & męcenatem Gilbertum eiusdem ordinis eruditum Monachum Noruicensem, & Episcopum postea Hamarensem. scripsit lectiones scripturarum lib. 1. in Mag. sent. lib. 4. Quodlibeta 47. Quæstiones ordinar. lib. 1. vixit vsque ad annum 1270. Regnante Henrico Anglo tertio. Hæc ille.

Instituit orationes in toto ordine.

Oratores mittit ad Innoc. 4.

19. Oblatus summo Pnotifici honestis petitionibus Carme-

melitarum familiæ, conseruationem & ampliationē primū continentibus, humiliter supplicarunt dubia quædam circa Regulam exponenda, declarare atq; corrigere, & grauia eius mitigare misericorditer dignaretur: Quibus benignè annuens, virgine ipsa monente, Regulæ correctionem, declarationem, ac mitigationem, eius vice faciendam, comitit Fratrib. Hugoni tituli S. Sabinæ Presbytero Cardinali, ordinis Prædicatorum, primus assumptus ex eodem instituto; ex Antonio Senensi Lusitano, & Alphōso Ciacomo in Innocentio 4. & Guillelmo Episcopo Anteradensi, in hac functione socio, qui maxima prudentia, declararunt obscura, correxerunt superflua, ac mitigarunt rigida. legatione optimè functa; oratores, summis laudibus, extollūtur à toto ordine nostro.

Innocentius benè animatus erga ordinem Carmel.

20. Sub hoc item Pōtifice diù laborauit B. Simon Stock apud Regem Angliæ, Ecclesiæ Catholicæ antea iniurium, vt immunitates, prærogatiuas, consuetudines, & Ecclesiasticam libertatem, in pristinum restitueret; quæ omnia tandem illustri fidelium Principum exemplo, anno 1253. plenè compleuit, Nunquam in hæreticos fessus, nunquam in spiritualium exercitationibus languidus. Huius Parentis ordinis nostri sanctimoniam, Virginitatem, parsimoniam, prudentiam, Prophetiæ donum, & in Deiparam Virginem amorem, fidelitatem, ac seruitutem, Huius Ecclesiæ obedientiam, ordinis obseruantiam, scientiam, doctrinam, labores, conciones, reuelationes ei factas, miracula ab eo patrata, enarrare mortalium vires non sufficiunt.

Laborat in Anglia.

S. Simonis virtutes.

21. Illud tamen silentio prætereundum nolumus. Quod cum in visitatione cuiusdam pauperrimi Cœnobij, sacrum de more, facturus (quotidie enim celebrasse fertur) vino deficiente, statim signo Crucis, aquam in vinum mutauit. In domo itèm Germani sui, oleo ebulitum piscem, ad contestandam Dei omnipotētiam in aquam eius iussu demersum, statim enatantem, & illesum elabe[illegible] cōspexerunt commensales omnes.

Miraculū in vino.

In Pisce.

22. Plura ab eodem Innocentio 4. Obtinuit ordini nostro fauorabilia, relata in speculo ordinis, & à Diego de Coria lib.

lib. 2. cap. 7. Primò, Regulam confirmari obtinuit. Bulla incipit, Ex officij. Secundò, Benefactoribus nostris impetrauit Indulgentias. Bulla incipit, Quoniam vt ait Apostolus. 3. Accepit litteras vniuersales, ad Episcopos omnes, Ordinis nostri commendatitias. 4. Ad eius instantiam summus Pontifex Innocentius liberauit nos à decimarum oblatione. Bulla incipit, Sacrosancta Romana Eccl. 5. Litteras dedit Archiepiscopo Londinensi pro defensione nostri Ordinis. 6. Concessit Generalem posse absoluere fratres ab iniectione manuū. Incipit, Canonica constitutione cauetur &c. 7. Concessit Generalē posse reaccipere suspensos, & interdictos, illosq; absoluere. Incipit, Quia ex Apostolica cura tenemur. 8. Concessit Generalem non teneri ad cognoscendas causas à Sede Apostolica committendas; inuitum. Incipit, Deuotionis vestræ. 9. Concessit tempore interdicti diuinorum celebrationem in nostris Ecclesijs, ianuis clausis. Incipit, Religionis vestræ meretur honestas. 10. Suscepit Ordinem nostrum sub protectione Apostolorum Petri, & Pauli, atq; summorum Pontificum. Incipit, Religionis vestræ. 11. Concessit, Generalem posse fratres ad prædicandum mittere de licentia diœcesanorum. Incipit, Deuotionis augmentum vobis, Deo propitio. 12. Dedit litteras pro confirmanda habitatione Cœnobiorum Alisfordiensis, & Londinensis. Incipit, Porrecta vobis dilectorum filiorum, &c. Hæc inquā precibus, & meritis B. Simonis Stock Generalis nostri obtenta, ad laudem Dei, B. Virginis, & nostri Instituti exaltationem.

Fauores ab Innoc. 4. Ord. nostro concessi.

23. Præclara scripsit B. Simon, teste Ioanne Priseo in Cathalogo scriptorum Angliæ. Infrascripta recenset. Canones cultus diuini lib. vn. Homiliarium ad Populum lib. vnum. De Christiana pœnitentia lib. vnum. Incipit, Amos super tribus sceleribus: Epistolas ad Fratres lib. vnum. Incipit, Frater Simon Prior Generalis. Ad Deiparam Virginem Antiphonam. Flos Carmeli. & aliam. Aue Stella matutina.

Scripta S. Simonis.

24. Tandem vir sanctus Simon plenus dierum, & bonorum operum Burdegali, in Vasconia, vita huius lucis vsuram

Mors gloriosa.

amisit, in meliorem commutatam. Ibidem in ædibus nostris, decenti sepultura, humatur. die 16. Maij anno ætatis suæ plus minusue centesimo, à Christo nato 1265. Porrò quoniam ad eius sepulchrum innumera fiebant miracula, honestiori loco, corpus eius reconditum est. In sanctorum numerũ, à Paulò v. P. M. relatus, duplici officio, in toto ordine, summo cum honore perpetuò colitur, ac veneratur.

Laudatores S. Simonis.

25. De hoc S. Viro Patre nostro scripsere Clariss. viri. Monaldus in Rosario. Vaschius. Rolandus Boucharius Hannonius. Nicolaus Harlemius Battauus. Martinus del Rio in disquisit. lib. 2. q. 21. Ioannes Paleonid. Battauus, Diegus de Coria. Ioannes Grossius Generalis in viridario. Ioannes Ptiseus de scriptoribus Angliæ. Petrus Lucius Belga Bruxel. Iosephus Falconius. Francisc. Voerssius, & alij.

Eius Vita Romæ reperitur.

Vita eiusdem viri sancti per modum Epilogi reperitur in Bibliotheca Vaticana Romæ. M. S. Hæc ad laudem omnipotentis Dei, & Beatiss. Virginis Dominæ N. & S. Simonis Patris nostri gloriosissimi.



VI.

VITA S. ALBERTI CONFESS. CARMELITAE.

Ex ea, quæ apud Ioannem Mariam Polucium de Nouolaria, Surium, Lipomanum, Manuscriptum Vaticanum, & alios.

Moritur octogenarius, Colitur die 7. Augusti.



1 VM ad virtutum emulationem excitandam, Dei& proximi amorem inflamandum, multum quidem sanctorum exempla prosint, eò quòd per ipsa Christianorum fidem augeri,& roborari apertè conspicimus; opere prætium duximus præclara S. P. N. Alberti monumenta, etsi leuissimo stylo, candida tamen fide,& religiosissimo Calamo, ita in sole ipso exponere. Prolusio.

2. Tempus, & gentilitium inclyti P. N. Alberti, initium nobis: Nàm post obtentum Siciliæ Regnum, à Rege Petro, Iacobi Aragonensis Regis primo genito, anno, ex supputatione Baronij 1186. Nobilis vir Benedictus de Abbatibus, præclari sui stemmatis gloria, Ioannam à Drepano monte, e militari Palitiorum gente, in coniugium duxit: infœcundæ quidem sobolis amaritudine, annos circiter 26. diuexati, naturæ viribus iàm penitus destituti, diuinam tandèm votis, & orationibus pulsare gratiam, vna decernunt; hinc Deiparam tutelarem promissis nuncupant, vt si quam eis prolem miserata impetraret, eandem se communi consensu Aræ suæ consecraturos. Votum spe fulti emittunt, nec voto decipiuntur; Audit benigna, adest, & exaudit; Paulò post enim Ioanna concipit, aluo tumescit; interim somniā- S. Alberti Parentes. Patria. Voto obtentus.

Visio. ti, an euigilanti Benedicto? videre videbatur, appropinquante Partu, de fœcunda Vxoris ventro, rutilantem in lucem prodire facem: Admiratur, & silet, remq; silentio intimè scrutatur; Et idem Ioannam vidisse, statim intelligit.

Ortus Alberti. Expleto grauedinis tempore, fœcunda sterilis erumpit, & anno 1212. fausto partu enixa est puerum; domus, Ciuesq; fœtus nouitate, gaudio exiliunt; Lustrali autem sacri fontis vnda expiatus, inaudito, eo loci, nomine Albertus insignitur. Summa Parentum diligentia, pariq; religione alitur, educatur. Natura quidem paulatim grandescit, at ingenij pulchritudine, animiq; dotibus grandior apparet. Puerilia Tenellus transcendit, & Coetaneos quosq; studiorum assiduitate, atq; morum præstantia gradatim vincit.

Eius nuptiæ tractantur. 4. Albertum iam octennum Puellæ, regio fulgenti stemmate, digno Nuptiarum fœdere, adstringere vir amicus nitebatur; cuius honestis petitionibus, Benedictus ipse animo inclinabat, obliuione magis, quàm ratione. Re cùm vxore communicata, vt resipiscat prudentibus quidem rationibus, prudentior Mulier laborat, eiq; votum, supplicationes, promissa, supernasq; exauditiones, vehementi sermone, memorat; vt monitum lacessat, nec desinit; Pendet animo Benedictus, remq; secum contulit, & illi postridie, Virgine per somnium minante, placidè assentit. Mulier verò diffidentia præsentium, mutationem pauens, puerum Albertum seorsum euocat, & ordinatam sui insperati ortus narrationem facit: Modestè fert Puer maternum narratum, lætatur, & firmo spondit animo, Deiparæ perpetuò se se dicatum fore.

Renuit Mater.

5. Rebus ita compositis, tenella pueri Alberti præcordia quotidie, supernis incalescebant igniculis, nec imbecillis Cœlestibus obsistere conatibus, valebat. Accumbebant Parentes, eo die, quo puer è mensa consurgit, & humi flexus in hæc erumpit verba. Optimi genitores, hic incibatus persto, donec mihi bene precemini: illi, pio animi affectu, in lachrymas profusi subdunt, benedicat tibi Deus, & tuos prosperè dirigat gressus. Parentum benedictione obtenta; Paternum limen exit solus, Duce Maria, ad Drepanensis

Alberti ardor etiam Relig.

Car-

Carmelitici Instituti litorale Cœnobium, duobus plus minusuè distans millibus passuum, à Drepani montis Castro, properat. Templum illicò adit, & trepido quodam gaudio, mixtaq; veneratione, intima cordis percellit sacrum loci Numen. Preces cœpit fundere, seseq; Diuæ Virgini obnixè commendat; Dein Cęnobij Priorem reuerenter conuenit, illiq; concepta animi sensa aperit, atq; ordinis societatem, necnon habitum humillimè petit ab eo. Præpositus maxima sermonis captus admiratione, puerum senilem credit, insignem illius gentis nobilitatem tenet, cui ne iniurius esset, renuit, inscijs parentibus, pueri instantiæ assentire. De inutili gressu interim dolet Albertus confusione tactus. Itineratur ad Monasterium.

6. Sub idem tempus hoc mirum. Per visum noctu, Deipara Virgo Parentibus Alberti, vultu sanè minaci, apparet, & breui eos alloquitur, monens, ne Puerum ad promissi voti executionem retardent; Virginea cōsternati correptione, illucescente manè, properè ad Carmeli Cęnobium se conferunt, Priori, fratribusq; per somnum visa exponunt, & liberum voto obtentū vltrò illis exhibent, orant, obsecrātq; vt monastico eum habitu donent; Quibus nulla facta repulsa, imò grandi omnium applausu, in spiritualis militiæ castra vnanimes recipiunt Albertum. Eius spirituali oblationi, statuto tempore, numerosa vtriusq; sexus interfuit multitudo, sacrum Religionis induit habitum, & votum soluit Parentum. Visio B. Virginis. Fit Carmelita.

7. Nunc Tirocinij quædam. Nouus enim miles, nouo vitæ genere adepto, deuotioni, humilitati, ac virtutum omnium studio, operam nauare non cessat. Vnde Laurentius Surius, insignis sanctorum scriptor: Humani generis hostis, visa sancti iuuenis ad Conflictandum alacritate, inuidiæ stimulis dirè concitatus, insidias moliri cœpit. Etenim fallaci elegantissimæ mulieris forma, pietatem vndiq; spirare insinuat; cui inter gemitus talia. O Decus omnis pulchritudinis, & flos ætatis, quid insano, & stulto labore, pondus humeris tuis longè impar tollere conaris? Quid asperum hoc, & acerbum vitæ genus subire, & in sordibus perpetuò sordescere decreuisti? Quorum exitus, & insignē Nouitiatus.

igno-

ignominiam, & salutis ruinam, dum resilire cogeris pariet? Anon satius existimas, mecum tui amore capta, sacro matrimonij fœderi copulari. & procreandis, instituendisq; liberis operam dare? Ad proprios lares reuertere Alberte, & tantis bonis summa cùm securitate, ac felicitate fruere. Ecquæ ista studendi intemperantia? Vesania est, nescia modi, cessa, genibq; te da oro; pungitur Albertus vocibus hisce, fraudis, & insidiarum plenis; se crucis signo munit, & Aspidem humanam speciem fallentem, in imas erebi vmbras, cocitiq; flammas præcipitem fugat: ita fortior, & alacrior ad subeundos pænitentiæ labores accingitur.

Professio D. Alber. 8. Anno probationis expleto, monasticam professionem de more, vouit, Et obstrictus Deo, angelicam ducere, instituit vitam. Etenim puritati sedulò studebat, & religiosę simplicitatis ità capiebatur amore, vt indiuiduus ei adiungeretur comes. In cuius memoriam canit Carmeli Chorus. O Albertè norma munditiæ, puritatis, & continentiæ ora Matrem misericordiæ. Hic supernorum contemplatione mirificè delectabatur, moribus floridus, aspectu mitis, gestibus mitissimus, obedientiæ, & castitatis, ne apice quidem claustra transiliens. Aloisij Lippomani testimonium damus. Inquit. Fuit porrò vita eius valdè seuera, & aspera, necnon & insignis eius patientia, multaq; de se virtutis exēpla præbebat. Ferijs secundis, quartis, & sextis, egregio Cilicio carnem domabat, assiduis eam ieiunijs macerans, simul, & in palmitibus nudo corpori admotis recubans; A vino abstinens, & aquæ potum illi præferebat, atq; adeò etiam sextis ferijs pani suo absynthium immiscuit. Hæc ille. Addit Ioannes Maria Polucius B. Alberti vitæ scriptor egregius. Sed sexta feria, ob Dominicæ Passionis venerandam memoriam, flagellis, se asperius affligebat.

Virtutes.

Abstinentia.

Sacerdotium. 9. At ea nequit calamus scribere, quæ nequit mens ipsa concipere. Multa quidem perstringimus, qua vel ad Religionis, vel scientiarum, vel rerum gestarum studia ipsius attinent: Verum ab excellenti, in sacrum Eucharisticum Panem deuotione, cuncta, velut in specto vngue, metiri licebit. Messanæ superiorum iussu, sacerdotali insignitus, est dignitate,

tate,

tate, à quo quidem tempore obseruatum est, nullam declinasse diem, in qua sacrum prætermisisset, nullum subindè illachrimatum fecisset. O Virum Deo plenum.

10. Quæ in sacri cibi fortitudine exercitia, habes, in Vaticano Manuscripto, hoc modò. In prima hora noctis, orationibus vacabat, vsq; ad horam tertiam, inde quiete, breui somno, accepta, sarmento, vel humi hærens corporis vires reficiebat, paulò post expergefactus, gressus ad Ecclesiam maturabat, & ante Dominici corporis Aram prouolutus, orationibus Cęlum pulsabat, disciplinis inter lachrymas maceratus: Hora matutinali appropinquante, Pensum cũ reliquis fratribus attentè persoluebat; Deinde Cellam petẽs studijs vacabat. Aurora illucescente, pro virili præparatus libamini, & sacrificio operam dabat; quo mediante, studia altius repetebat; Hora tertia Chorum adibat, horas Canonicas recitandi gratia; quibus solutis, ad communis refectionis locum, se conferens, cibos appositos, mira condibat parsimonia, miroq; silentio. Mensa subinde terminata, reuerenter secedens, aut Ecclesia, aut Cella reconditus, meditationibus assiduè nauabat; studebat, illasq; repetebat scribebat; & hæc vsq; in Vesperam; Hic vnicus D. Alberto viuendi modus; hæc à sacerdotio præcipua suæ religionis forma. Dispositio cuiusq; horæ.

11. At de D. Alberti decenti, ac paupere vestitu, tradunt scriptores; Ipsum rudi Cilicio ferijs secundis, quartis, & sextis carnem domasse, vestitumq; tunicella alba, cùm scapulari, & caputio de more veterum Patrum nostrorum semper dormijsse. De Tunicella alba apud nostros in nocte, vide Thomam Vualdensem. Itèm pannosas, abiectasq; vestes natiui coloris induisse, humilitatis gratia; ne superbiæ indicijs extolleretur qui religiosam pauperiẽ profitebatur, scimus. Pauperies in vestib.

12. Mira inerat ei ad conciliandos animos hominum comitas, affabilitasq; in priuatis colloquutionibus ad ædificationem; sed vehemens fuit in concionando publicè ad Clerum, & populum vtriusq; sexus: Quoniam spiritus sanctus dedit ei, vt nedum in concionibus à diuersis posit intelligi, & potissimum Iudęis, quod pertinet ad donum linguarum; sed etiam efficaciter loqui, quod pertinet ad gra- Concionator eximius.

tiam

ad gratiam sermonis. vt in Epistola priori ad Corinthios cap. 12. docuit Paulus Apostolus. Hæc dicendi vis experimento patet; nàm teste Laurentio Surio in vita eius, itâ publicis sermonibus, valuit, vt esset quodam rerum ac verborum flumen; etenim infideles Iudeos concionum suarum radijs mirificè illustrabat, plurimosq; ex illis, ab impia superstitione, & insana obstinatione, ad sanctissima Christi sacra traducebat. Claret Messana Ciuitas Iudeorum conuersione, per Albertum pluries facta.

Mirum in lampade.

13. Orabat, nocturno tempore, in Messanensi Cœnobio, ad Aram venerabilis sacramenti, vt ei mos erat, Psalterium lampadis luce splendente, legebat, Diabolus adest strepitu, rugituq; orationis feruorem, & lectionis attentionem perturbans (legebat enim psalmum, Eripe me Domine ab homine malo; & erat Dominicus dies) imperterritus, & nulla animi deiectione commotus, attentius Psalmum ipsum legebat; ira excandescit tentator, in lampadem fortius impingit, vt lumen extinguat, vt vitrum frangat, & oleo Psalterium commaculet. At nihil horum. Diuina occurrente potentia, Vitrum proiectum non frangitur, oleum non effunditur, lumen non extinguitur; stat vitrum, quod & in fractum in proprium locum lætus restituit Albertus.

Profectio in terram sanctam.

14. Nunc Albertinam profectionem, ex præclaris scriptoribus breui innuimus. Excitatus amore terræ sãctæ vidẽdæ gratia, facultate ei facta, è Sicilia soluit, & Mediterraneo, secundo vento superato, Naue Alexandriam appulit, & nulla interposita mora, præcinctus tunica, Breuiario, baculoq; associatus in reliquum viæ se dedit, Palestinam ingreditur, & illicò ad Carmeli montem properat, loci amęnitate oblectatur, ruderum, ac ruinarum fragmentis inspectis, lachrymis suffunditur, antiquam Parentum vestigia contemplatus, vltoris Dei vindicatam admiratur. Dein ad loca nostræ salutis visenda, deuotionis ergò pergit. Diruta Hierosolymorum męnia ingreditur, Salomonicũ Delubrum, squalore contaminatum, & in Caluario Sepulchrũ D.N. humili gressu visitat, adorat. Loca ad Iordanis fluenta, Nazareth, & Bethleem, aliaq; memoranda, quorum vestigia

ſtigia vix apparebant, corpore luſtrat, & animo piè recēſet, ac veneratur. ò barbarorum ſæuitiam. ò peccatorum malum ſæpè ſecum clamitat.

15. At in Palæſtina ipſa hoc mirum à D. Alberto, Surio referentē; Quidam ibi Iudæus comitiali morbo, miserandum in modum obnoxius, cuius parentes, cum nullam calamitoſo filio, opem ferre poſſent, ad Albertum venere, tentandi magis, an verò auxilium eius implorandi gratia, incertū. Fidem tamen dedere, ſe à religione patria ad Chriſti ſacra tranſituros, ſi eius virtute morbos profligaret, & aptatam filio ſanitatem conferret; Tùm vir ſanctus animarum ſalutis cupidus, edito Crucis ſigno, in hominem illum comitialem: expellat, inquit, à te Chriſtus Ieſus morbos omnes, verbi illius virtute. vix ea dixerat, & è veſtigio homo ab infeſto morbo curatus integerrimè, Chriſto nomen dedit, & parentes pariter luſtralibus expiari aquis, abiurata perfidia, Chriſti fidem amplexati ſunt.

Sanat Iudæum à comitiali morbo.

16. Verum quoniam oriētalium gentes ſcribit Sebaſtianus Varonius in Chronico ſub an. 1254. raræ Chriſti fidem retinebant, Perſæ, Medi, & Chaldæi pęnitus ad Mahometanam ſectam deſciuerant, Meſopotamij Chriſtianos Syrianos, Saracenis mixtos habebant. Armenij quidem ſemper Conſtantia firmi, ad ſchiſmata deuoluebant, tot malorum tædio pręſſus Albertus, de Siciliano redditu, peregrinatione completa, conſulto Deo, cogitat, & in Patriam tandem fęlici nauigatione reuertitur. Rumor de Alberti redditu per omnem Siciliam diffunditur; magna vtriuſq; ſexus certatim accurrit frequentia, vt videat, vt tangat, vt ſancti viri pręſentia lætetur; Ex Vaticano Codice, habetur, quod cum eius fama ſanctitatis nomine euulgata fuiſſet, Generalis totius Ordinis per litteras iubet Albertū Prouincialatus munere fungi. Acceptis litteris, dolet humilis pater; reluctat, nolebat enim humilitatis gratia honoribus euehi, nec labore affligi; Deiparam Virginem ſecretò conſulit, quatenus ſi pro meliori foret ſibi manifeſtare, non dedignaretur officium ſumendum. Cui benedicta Virgo, Noli timere, oneri libenter humeros ſuppone, ego enim cuſtos tui

In Siciliā reuertitur.

Creatur Prouincialis.

QQ tecum

tecum semper ero. Quare obedientię imperio, & Virginis monitu, munus iniunctum subijt; quo, vsq; ad supremum spiritum iussus est fungi, & in munere ipso tanquam verus Gregis Dei Pastor bonus, ab omnibus amabatur. Hæc ibi. Cui autem, eo tempore, Generalatus dignitas concredebatur, non apparet; ex coniecturis autem, D. Simonem Stock censemus ordinis habenas rexisse, vixit enim vsq; ad annũ, vt diximus, 1265.

Iudęos ab aquis liberat.

17. Sed ad alia imus. Refert Lipomanus, quod cum vir sanctus proficisceretur Agrigentum, flumen quodam transmittit, Platanum nomine; videt iuxta fluuiũ, quosdam Iudæos transeuntes. Erat autem iter angustum quippè inter montes excelsos. Iudæis ergo iter agentibus, & viro Dei ab altera fluminis parte ambulãte, subito aqua excrescit vltra modum, arreptosq; Iudęos cogit natare; qui cernẽtes in tam præsens se coniectos discrimen, magnis vocibus ad virum beatum, de quo iàm auditione acceperant, clamant: Adiuua nos Domine, virtute Christi tui: Respondit autem ille, si in eius nomine baptizati vultis, & toto pectore cupitis esse Christiani, salus vobis præsto erit. Tum illi; Nos inquiunt, credimus illis, quæ tu prædicas de Christo Nazareno, cupimusq; baptizari. Quod illis dicentibus, vir Dei super aquas ambulat, ad eosq; perueniens, in ipso flumine eos baptizat. Interim cedebant aquæ, & illis diuisis, Iudęos baptismo iàm expiatos, vir sanctus, absq; vllo detrimento, ex illo periculo eduxit. Eadem Surius, & alij.

Graditur super aquas.

18. Aliud subnectimus insigne quidem, ex Vaticano Codice, & Laurentio Surio. Tempore Iacobi Cathaloniæ Regis, & Siciliæ prælibati Regis successoris, in principio, circa annos Domini 1276. regnante pro eo Duce Federico in Sicilia, qui postea Panormi anno 1286. fuit coronatus; Tũc temporis Rex Neapolitanus Ciuitatem Messanam copiarũ vallauit magna obsidione, vt ei tanquam Princeps dominetur subsidia impediuntur ad victũ, cruciatur fame, salus eius in discrimine versatur; exitium vndiq; paratur, bello imminente, & auxilio omninò desperato. Edictum est Regium consiliũ, vt Ciuitas potius incendio tradatur, quã in inimi-

Messanã à fame, & & bello liberat.

corum

eorum manus passione relinquatur: At hæc vna erat vox omnium, Melius est sperare in Domino, eamus, & inquiramus seruum Dei Albertum, qui Deum, Deiparamq; Virginem pro nobis oret. Iruunt ad virum Dei, Dominico die, & auxiliari efflagitant; celebraturus illicò inter lachrimas, preces effundit. Domine Deus vniuersorum, qui faciem non abscondis sincerè petentibus misericordiam tuam, respice, & exaudi ad te clamantes; Esuriem in Deserto eiecisti, eia famen pelle, ò Panis Angelorum. Extende brachium fortitudinis tuæ, & è bello impugnantium nos deffende, armis protectionis. & ecce, ò bonitas, ò potentia. Vox erupit de Cęlo, EXAVDIVIT DOMINVS ORATIONES TVAS. atq; eodem tempore, in Vrbis portu tres repentè comparuere Naues, frumenta, vina, & alia victui necessaria suppeditantes, per medios hostium cuneos, virtute, & beneficio planè diuino, tutè vellificantes, Ciuitatem, omnibus mirantibus, ingrediuntur. Aduertit Surius, quod ex ijs exhausta annona fuit, & dira Ciuium fames sedata, ipsæ momento ex oculis, & omnium aspectu abreptæ, satis testatum reliquere, Angelico ministerio, eò aduectas, pariterq; ablatas fuisse. Hæc ille.

19. Iterum in præclaro S. Saluatoris Cœnobio Messanæ Ciuitatis, miraculum illustre. Monachus quidam tumore affectus in gutture ipso; Deformis morbus, maxima, & diuturna molestia, maximè si admota manu, quis premeret; pungebatur dolore, sanguis per os effluebat. A Medicis desperata salus. Mira de D. Alberto audit. Rogat per suos, ne eum visitare dedignaretur. Accedit, & illi talibus fatur. Amice, & mi frater, quid ad me misisti? Nonne & ego infirmus, & homo peccator? spera in Domino, & fac bonitatem, & liberaberis in diuitijs Misericordiæ eius. Flexus orat signat tumorem, signo Crucis, & putridum Apostema, vi Orationis disrumpitur, tabes, mirantibus omnibus, diffluit, dolor abscedit, æquatur tumor, & sanitati restituitur. Simulachrum argenteum, restitutæ sanitatis testimonium, suspensum post sancti P. N. obitum adhuc adspicitur. Ex Vaticano Codice.

Sacerdoti sanitatem donat.

Mulierem in partu periclitantem liberat.

20. Anno circiter 1270. Drepani, quæ nobilis est Ciuitas accidit vt mulier quædam diebus sex laboraret in partu, inuerso fętu, à Medicis pænitus destituta; Mater nimio afflicta dolore, sperabat, orante pro filia D. Alberto, ipsam liberandam fore. Comitata matronis accedit ad Cęnobium, & ad pedes D. Alberti prouoluta gemebunda rogat. Heu Pater filia mea partu moritur. Rogo vt illam, orationibus tuis, adiuues. Miseratus Albertus ad infirmam accessit, sensibus ferè destitutam, manum ori eius admouit, clamans Margherita, hoc nomine appellabatur. Quid tantis doloribus affligeris? Responde filia, & męstos solare Parentes. Annon prolem ex te, spondes voto B. Mariæ Virgini? Mulier quasi è graui excitata somno, serue Dei, subdit, nisi aduentasses, aderant Animam meam violenter extorquentes. Promitto Deo, & B. Mariæ Virgini meum insperatum fœtum. Preces effundit Albertus, dicens. Sanet te Dominus noster Iesus Christus, meritis suæ sanctissimæ Matris, & quemadmodum illa fœcundam Spiritu sancto Virgo sine dolore peperit, ita & tu conceptam prolem, facili partu edas; & benedixit ei. Discedit iste, parit illa, & tota lætatur domus, atq; Ciuitas ipsa. Ioannes Polucius.

Arreptitiam liberat.

21. Leocata, Oppidum ad ostia Gelæ, clarum D. Angeli martyrio, Carmelitarum insigne continet Cęnobium. Visitationis gratia, ad illud accessit Albertus, Prouincialatus munere fungēs, ei mulier statim occurrit, filiam habens malo Genio diuexatam; Fremebat, spumabat, Laniabat sese, & alios, horridum spectaculum cunctis erat, Hospitium Dæmonibus diù facta. Rogat, summis precibus, misera Mater Albertum, vt suam filiam à Dæmonibus arreptam adiuuet; muliebri fletu commotus, flexus genu, vt sanetur, orat; At puella Diaboli furore acta, in Alberti faciem, alapam impingit, ille euāgelici consilij non immemor, conuersus aliā præbet maxillam, subdens, & huic Colaphum, superbissimè, incute: quo viri Dei humilitatis actu confusus abscedit. Ioannes Maria Polucius.

22. At mirum aliud narramus. ab anno 1275. Nimia populorum frequentia vir Dei Albertus pertesus, Leocata reli-

relicta, Catanam visitationis causa venit; paucis ab hinc diebus; Mulier quædam nobilis, cui vnicus filius Adynulphus nomine, longo grauiq; morbo confectus, de cuius salute cum desperaret, & ei de Medicorum consilio exequiæ parandæ erant, in spem venit Alberti precibus, semiuiuum filium sanitatem facilè consequturum; spe ducta, ad Carmelitarum conuentum, se cùm alijs cōfert, sparsis crinibus, diffusa lachrymis, de amico Dei Alberto rogat, abesse intelligit, vehementius dolet. Ipsam vt solarentur fratres, referebant scapulare D. Alberti remansisse in eius Cellula; Orat concedi, & obtinet (sperabat enim virtutem Dei operari in illo) domi asportat, super infirmum filium, magna deuotione, lachrymis, & orationibus, per sacerdotem imponitur. O quam mirabilis Deus in sanctis suis. Apparet Albertus, quasi per somnium, & Languenti iuueni, inquit, Porrige dexteram, & surge in nomine Domini nostri Iesu Christi: & visio cessauit; Tunc excitatus iuuenis visionem ipsam cunctis enarrat, interim assurgit, viribus restitutis, comedit, & bibit, confortatusq; conualuit. Parentum suasu Religionem ingreditur, at non commansit; Diabolo enim suggerente, militiæ munere functus, fraterna manu, gladio perfossus, miserrimè occubuit. Codex Vaticanus.

Moribundus liberatur per scapulare D. Alberti.

23. Panormum, quæ Ciuitas est maritima, in ora, quæ Italiæ obuertitur Siciliæ Paradisus dicta, iocosum vidit, sed serio narrandum; Ludebant inuicem, puellari ioco, duo paruuli fratres, quorum puella doli nescia, ludens dextrum pusioni fratri eruit oculum: Mater obcęcati filij dolore pressa, ob maximam fluxionem, & oculi amissionem; Audito de D. Alberto, ad eum iter destinat, & ingressa, summis precibus, orat, reddi luminibus liberum suum; Albertus pietatis ductu, expectare iubet illam, in Hortulum se transfert, & seorsum Deum prouolutus, vehementer precabatur, reuertitur, & ad solacium Matris, dixit, non esse ei desperandum de recuperanda luce, filio suo; & dimisit illam, spe atq; timore suspensam. Cæcus Pusio manè sub Aurora somniat Albertum dicentem sibi, Puelle, effossum oculum, collustrantis lampadis oleo, ad Aram D. Virginis oblinias,

Cæcum illuminat.

linias, & visum recipies. Expergefactus, matri visionem aperit. O Diuæ diuinam virtutem. Fideliter vnctione peracta, statim oleo exoculatus videt. In Hortulo, de quo supra, sacellum erigitur ad memoriam. Ioan. Polucius, & Vaticanus Codex.

24. Alia, & illa quidem præclara consultò ommittimus, vt metæ modum faciamus. Attamen mirabile à coquis fratribus relatum, quasi ad Coronidem referemus. Is præter diuini officij pensum, cuilibet sacerdoti demandatum, omni quidem nocte, totum legebat Psalterium, ante Crucifixi Christi piam Imaginem flexus genibus, & tāta fulgebat deuotione, tantoq; spiritu rapiebatur, vt trium cubitorum altitudine à terra, Angelico concursu, eleuaretur; & tandiù in illa sistebat dulcedinis estasi, quādiu psallebat Domino. Oratione autem terminata, in terrā suauiter dimittebatur. Vaticanus Codex.

Eleuatur à terra dū psallit.

Alberti vicina mors.

25. Tandem ad decrepitatem vergens, diuturnis grauatus infirmitatibus, vitam in terris Cęlestem agebat: sopitis, extinctisq; terrenis perturbationibus Animam infestantibus, in mundo, solo corpore, constitutus, cogitatione, & desiderio versabatur in Cælo. Expertus Nauta post huius seculi fluctuantem pelagum, integra Naue, saluisq; mercibus, iàm litus, portumq; videt, & lætatur. Aperiebatur illius animo amænissimæ Cœli Regionis speciosissima imago, vnde sæpius exclamat, cupio dissolui, & esse cum Christo Tugurium non procul ab vrbe Messanæ, ei familiare, secretoris orationis gratia petit; vbi corporeis viribus destitui, & graui languore cæpit ægrotare. Diebus quibusdā transactis, se citò ex hoc seculo migraturum prænoscens; Prudentissimus Prouincialis amantissimus Pater filios ad animi solatium conuocari iubet, quibus, conclaui clauso, quæ per sacramenti religionem vouere, ad inuicem charitatem, Romaniq; Pontificis obedientiam, vehementi spiritu, & suaui eloquio suadet. His dictis, quieuit. Hora erat vespertina, quando omnibus Ecclesiæ summa cum reuerentia, refici rogat sacramentis; suprema illi hora appropinquante, psalmum, Deus in nomine tuo saluum me fac. &

In

In te Domine speraui, languens inter suspiria recitat, morula, ad quietem facta, Prophetico actus spiritu, eodem temporis momento, sororis suæ diem supremum prędixit. Dein per interuallum dimidiæ horæ, alta voce, dixit, In manus tuas Domine commēdo spiritum meum; Et in hac voce, feliciter egit Animam, quam candidæ, splendidæq; nubeculæ simillimam, plurimi fratrum attolli, viderunt in Cœlum anno 1292. in eo sancti Patris Alberti transitu duo præclara suppetunt; Alterum, vox clara lętantium auditur, spirituum beatorum canentium. Iustum deduxit Dominus per viam rectam, & ostendit ei regnum Dei. Alterum verò. Campana, quam ipse viueus conflari fecerat, nullo trahente, per se diù sonuit. His quidem monumentis, amicorum Dei Animæ honorantur in terris, in signum æternæ gloriæ. Hæc scriptores omnes, in vita D. Alberti.

Alberti transitus.

Die Dominico septima Augusti.

Mira duo in eius morte.

26. Corpusculum viri Dei aspero, quo etiam decrepitus, & infirmus vtebatur, inuolutum cilicio, compositis supra pectus, in Crucis figuram manibus, iacuit. Euulgata mortis viri Dei fama, omnium ordinum ciuitatis vtriusq; sexus viri ac mulieres, ad deosculandos pedes, manusq; certatim ruunt. Plures infirmi, vestimentorum tactu, sanitate donantur. Mulier quædam Venetia nomine pietatis zelo, & deuotionis ardore, Almutium, seu Biretum sustulit, quod custodiens, & infirmorum multorum capitibus impositum, infirmitatum medela optima fuit. Vaticanus Codex.

De concursu, & Bireto.

27. Parentalia hoc ordine disposita. Sacrum D. Alberti corpus in maiorem ædem delatum est. Ingens confestim hominum multitudo, eò confluxit, atque ij manus, ij pedes certatim exosculari, alij ægra membra applicare corpori, multi itèm vestes deuotionis ergo, cùm æmulatione diripere, & visis miraculis, quibus mirificè corruscabat, singuli particulam aliquam è sacris reliquijs sibi vindicare cupiebant. Octo dierum spatio, insepultum mansit; quo tempore, consulente Episcopo, ieiunium trium dierū indictum est, vt quid honoris ei impendendum à Domino reuelaretur; Ieiunio expleto, cùm Arce inclusum humandum esset, ingens lis, & concertatio, clerum inter & populum exorta

De missa in funere celebranda.

trono, nedum ab incolis Regni illius, sed à pluribus, etiam per orbem fidelibus, vsq; in hanc diem veneraretur.

Fidelis enarratio quorundam Miraculorum à die obitus S. P. Alberti.

30 QVam magnus Dominus in sanctis suis, ipsa miracula testantur, dicente Augustino Epist. aduers. Manich. cap. 4. Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem miraculis esse inchoatam, & vetustate firmatam. Nonnulla ex innumeris, quæ Deus ex magnitudine operari dignatus est in seruo suo Alberto, veluti in fascem exemplorum à fide dignis accepta, pro Dei gloria apponimus.

Sub idem tempus, quo tumulatum est D. Alberti corpus cōfluebant ad eius sepulchrum infirmi vtriusq; sexus, cęci, claudi, muti, surdi, leprosi, contracti, paralytici, Dęmonio vexati, varijsq; infirmitatibus affecti, & sanitatis beneficium accipiunt. Sanabantur vt plurimum hoc modo; sanandi, triduo ieiunantes orabant, postmodum media nocte circūfulgente eos candida luce, in eius medio sæpè numero P. Albertus candida veste circumamictus apparebat; & ęgrotis medicas manus applicare videbatur, ducebantur autem ad eius sepulchrum, vbi inuocata Dei virtute, per sancta viri merita sanabantur. Ioannes Maria Polucius.

Ad sepulchrum D. Alberti infirmi omnes sanati.

31. Anno suæ transmigrationis, cùm bellum gereretur inter Dominos Siciliæ, quidam Ciues, & nobiles ac stipendiarij, posthabito Dei timore, & Ecclesię honore, Templum ingrediuntur superbo gressu, & eo loci, Equorum stabulum constituunt. O mirum Dei iudicium. sepulchrum Viri Dei, ad instar Tormenti bellici, lapides, quibus construebatur, terribili impetu iaculatur, & horrido sono fremit. Equi oēs, subita morte, intereunt, milites quoq; feriuntur plagis, infirmantur, cadunt, nemo illęsus abit. En retributio illius, qui dixit mihi vindictam, & ego retribuam. Referunt, in profanato illo sacrario, neminem habitare præsumere, nec etiam in hodiernum diem. Quare Fratres coacti intra ciuitatis mœnia, nouum alibi construxere Con-

Prophanatores tēpli eius puniti.

uentum,& assentiente Archiepiscopo, vnà cùm Clero, facta est solemnis translatio, in qua Regio edicto, vndecim Episcopi, & tres Archiepiscopi adnumerati fuere, vnà cùm maximo nobilium concursu. Vaticanus Codex, & Polucius.

32. Paulò post, in Porticu, cui vulgò nomen Loza Ianuensium, igne maximo conflagrante, tota penè absumitur; in immensam flammarum voraginem improuidè decidit, Antonellus puer decem annorum: Adstat Mater in ipsomet casu, clamat; O Beate Alberte filium meum illæsum, meritis tuis, conserua; Tollit clamores, viciniam concitat; clamat, & Puer; ò Maria, meritis D. Alberti defende me in hoc incendio. Dixerat. & ecce puer è flammis illæsus, ducente D. Alberto; ò gaudium, & amplexus. Stupent omnes, ne flammas quidem ipsum tetigisse. Ad eius sepulchrũ deuouit Mater puerum Diuæ Virgini, & Beato Alberto. Vaticanus Codex, & Ioannes Maria Polucius.

Ereptus ab incendio.

33. Anno Domini 1300. Predicante Priore Conuentus Leontini, demonstrabat pluribus rationibus B. Albertum virtutibus, meritis, & sanctitate insignem in Ecclesia Romana fuisse: Quidam sacerdos stimulante inuidia, alta voce, exclamat, mentiris, neq; de Alberto verum predicas & palam meritis, & innocentiæ vitæ eius derogabat, falsa, atq; commentitia esse exclamabat, modisq; omnibus mentes populi, à reuerentia, & cultu viri sancti abducere conabatur: & ecce. Audite obloquentes in sanctos Dei. Eodem plenè momento, quo venenatis verbis, vitam Alberti summam in inuidiam vocare contendebat disrupto ventre, viscera, & intestina maligni, eius in genua prolapsa sunt. Qua plexus pœna, illicò ad mentem rediit, agnitoq; scelere, deuouit se deinceps Albertũ festiuo celebraturũ gaudio, si sanitatem obtineret. Proximo die, prima luce, sentit blasphemus sacerdos Albertum adesse, oleoque suum perungere corpus; ex quo mox, sanitate adepta, surrexit incolumis Cunctisq; pro concione, & insanæ mentis suæ blasphemias, & collatum ab Alberto præter meritum beneficium, non sine lachrymis exposuit.

Obloquentis in D. Albertum punitio.

34. In Ciuitate Agrigentina, quondam Potens Siciliæ ciuitas,

nitas, inter Heracleam, nunc iacentem, & Gelam Vrbem. Nobilis quædam domina tres annos infestata, duro tumore, in mammilla dextra, quem medicorum consilio, Cancrum esse reperitur, olebat, vrebat, & horrebant illam adspicientes. In somnes ducebat noctes, lamentabatur, & medicorum vani conatus. De D. Alberto audit, quàm potẽs in curando, & prẹstò inuocantibus, spem & votum concipit, & nulla facta mora, argenteã Imag. ad eiusdem sancti Altare, cum Missa solemni, offerre, & tres pauperes fratres eius instituti in honorem B. Virginis singulis annis induere, proprijs expensis, lachrymabunda promisit, dum huius lucis vsura frui, sibi concederetur. En quam suauis Dominus. Nocte sequenti adest Medicus, ei per somnum dicens, ò filia, oleo lampadis S. Alberti dirum vlcus inunge, & sanitatem recipies; ò cẹlicum nuncium consurgit manè illucescente die, ad Aram D. Alberti properat. suspirijs, & precibus mille præmissis, promissam, speratamq; sanitatem, humiliter postulat, deinde per domesticam Ancillam oleo lampadis mammillam inungit, Missam in honorem D. Alberti audit, iterum vngit, ter enim vnxit, & tertio cùm fecisset, abscedit dolor, & paulo post ab eo die paulatim consanuit, nulla alia adhibita humana opera. Accidit anno 1304. referente Codice Vaticano Po lucio, & alijs.

In muliere mammillæ curatio.

35. Eodem anno 7. idus Augusti. Fratres Conuentus Placiæ festum D. Alberti, solemni ritu, concelebrabant populorum frequentia maxima. Inuidia Diaboli excitauit clericos quosdam, vt imaginem sancti noctu delerent, consilio inito, sequenti nocte, armata manu, accedunt. strepitantium sussurrum audit Lomerius Boniormus. Vaticanus Codex. is enim in vicina domo paralyticus erat ad decennium, in lectulo decumbens, vxorem indaginis gratia mittit, inquisitione facta, retulit clericos quosdam, de raptu imaginis D. Alberti contendere, exclamat, ò vires reddite, ò Alberte adiuua me; rapitur quasi ad excessum, & ecce Albertus virga fulgente, leniter ipsum tangens surge, & me defende. Excitatus, stupore repletus, an vera essent quæ vidit, excogitabat, at melior quam antea factus, vi-

Deturpatores puniti.

Paralyticus sanatur.

tibus proprijs surgit, arma arripit, mulier admiratur, domū velociter exit, & euaginato mucrone, irruit in clericos, eia finite tam grande facinus D. Alberti imaginem potius veneramini, ad illius enim deffensam è lectulo decennali accedo. Audiunt Clerici, voce viri clamantis in nocte perterriti, tu quis es interrogant? Quibus ego Lomerius ad decennium Paralyticus. Quomodo iam sanus? Enarrat visionem maxima cordis teneritudine, ad mentem redeunt, & timore perculsi Deum in sancto suo glorificauerunt, & deuotionem, & sanctitatem, & Capellam viri Dei amplificantes, pœnitentes, recesserunt. Lomerius autem Deo sanctiss. vixit. Ioannes Polucius, & Codex Vaticanus.

36. Anno 1319. Drepanita quidam ludo assuetus, omnia bona sua ludo lusit. desperatione ductus, diabolo cooperante, præceps currit ad imagines B. Virginis, & D. Alberti, in quas contumeliosa verba. erumpens, dixit, vos sæpius inuocaui, nec exaudistis; ideò nec te sanctum credo, nec te matrem gratiæ volo; & exempto gladio, pias imagines turpiter detruncat. O Lusorum dementiam. Subita vox per aerem diffusa intonat, Heu scelestis, quid agis? sanguis è laceris imaginibus, guttatim diffluit, stupore territus impius gladiator cadit, fit tonitrus, & fragor, & erumpente fulmine percussus de Cœlo, incineratur. Codex Vatic. & Polucius.

De lusore mira punitio.

37. Eodem ferè anno, Drepanitæ Mercatores numero septem, quorum nomina schedis relata, non iteranda, Naui Alexandrina, in Siciliam redeunte vehebātur; Tempestas oboritur, Mare fit vehemens vento aduersante, ad Africana litora apud Tunetum vi traijciuntur: Incidit Nauis in Piratarum manus, capti omnes educuntur, & obscuro Carceri mancipantur, compede Nauali vincti, flagris dire quotidie cæduntur; spe destituti, fit gemitus, & comploratiò, manus ad Cœlum tendunt, morte misere expectantes. Quidam illorum D. Alberti merita suggerit, & vnanimes ipsum liberatorem appellant. Vota subinde, & preces per aliquot dies emittunt, adest Albertus summo mane quibus orantibus quid me vocatis? nimio splendore atterriti; dein recreati, Te sanctum Dei aiunt supplices inuocamus, te liberatorem

Tempesta te iactati à carceribus liberantur.

torem habere confidimus, vt è tętrido hoc carcere, nos sedentes in vinculis, tua tandem virtute subducas. Ad vos me misit Dominus, venite, & me sequimini. Ad hanc vocem, fracto Carceris hostio, resolutisq; compedibus, claritatem refulgentis viri dei sequentes, vsq; ad maritimam portam, quæ vltrò aperta est eis, peruenerunt, & discedit Albertus; Exultantes animo ad Portum properant, & Nauiculam omnibus necessarijs refertam inueniunt; A Nauta perhumaniter innitantur, conscendunt, prospero flante vento, Drepanensē Portum feliciter ingrediuntur, Nauclero Angelico grates habent, ad propria reuertuntur incolumes, Deo, Deiparæ, atq; B. Alberto summa omnium lætitia, vota persoluunt. Vaticanus Codex, & Polucius.

38. In Plaga Romana, illis temporibus, erat insuper Nauis Drepanensis in medio maris, cuius Nautæ lusores, & Blasphemi; cùm in maximas erupissent Blasphemias, ecce ventus contrarius eis, fluctibus agitantur, velum scinditur, Clauus deperditur, Malus frangitur, tenebrescit aer, fit tempestas valida, & horrorem mortis incutit in omnes certissimum naufragium. Aderant multi Religiosi, quorum duo ex Carmeli ordine, quippè qui ad expianda peccata, cæteros adhortabantur, & D. Alberti auxilium, summis precibus, implorabant. Et ecce inter lumina adstat D. Albertus, qui visibili quidem forma, blasphemos alloquitur, & redarguit. Pœnitentia ducti clamare cæperunt; O Alberte vir Dei adiuua nos; in genua prouoluti gemebant dolentes. Statim cęlum ascendit, & fit tranquillitas magna, mare sedatur, & læti in Portum Pisanum, glorificantes Deum in sanctis suis, aduehuntur. Qui supra. In Blasphemos punitio.

39. Anno 1364. Fridericus Regis Petri filius grauatus mortali infirmitate, à medicorum visitatione derelictus, mortem imminentem ei timebant omnes. Vouent cōsanguinei Habitum Carmelitarum ad triennium delaturum, si S. Alberti meritis, sanitate conualesceret. Porrigitur aqua eiusdem S. Reliquijs benedicta, & altera die sanus, è lectulo prosilijt. Codex Vaticanus. Filius Regis sanatur.

40. Anno 1375. in Ciuitate Panormi iuuenis quidam

vehe-

vehementi Paralysi, ac membrorum omnium stupore, diuexatus, in mortis articulum decidit, eius Mater ad Aram D. Alberti prouoluta, Paralyticum filium, vehementi oratione, ei commendat. Ad quinquennium hac impotentia laborabat, omnis medicorum labor incassus. Vix biduo orat; in tertio autem dolor cessat, vigorem capit, mouetur facili. De cōsilio autem piorum, oleo lampadis D. Alberti inungitur, conualescit, & sanus ad Altare D. Alberti ingreditur, grates, & laudes Deo, atq; B. Virgini dicit. Codex Vaticanus.

Paralyticus liberatur.

41. Sub idem tēpus Saccæ olim Thermæ quæ Ciuitas est Siciliæ maritima, dominus Nicolaus filius Comitis Guilelmi de Peralta Regiæ stirpis febricitat ad mortem; Nullum pharmacum iuuat, spes salutis Medicorum consensu nulla, tandem mortè labitur. Vndiq; luctus, clamores attolluntur, lugubre spectaculum, Materna viscera commouentur, luget mater, plorat Pater super dilecto filio, nec spe fallitur, somno rapitur, & ecce in visu, frater in vlnas filium suum reponere S. Alberti, & reuiuiscere. Expergiscitur, visum mente reuoluit, & mæstissimę vxori deniq; confert. Fratres Carmelitas ad se iubet aduocari, eisq; visionem narrat; qui oratione præmissa, puerum iàm demortuum vulnis recipiūt & ad pedes imaginis S. Alberti, maxima cum reuerentia, aduoluunt, Reliquijs eiusdem tangunt, & aqua benedicta, vna cum oratione, D. Alberti aspergunt. Vix hos deuotionis actus complent boni Patres, cæpit Puer oculos aperire, extendit manus, & matrem vocat. O Gaudium, ò lætitiam, hoc idem iteratum est altero die, & Puer incolumis reuixit. Statim Progenitores illustrissimi pro gratiarum actione, sincera mente, spondent Deo, Deiparæ, & B. Alberto, vigiliam, & diem festum S. Alberti, solemni ritu, singulis annis, concelebraturos, Argenteam statuam super Altare collocāt quosdam pueros pauperes, certo numero, ad honorem S. Alberti ac in eius Vigilia induunt quotannis; inclytus autem Puer Nicolaus, certo tempore, habitum nostræ Religionis induit. & facta est lætitia vniuersalis in toto Regno. Codex Vaticanus.

Mortuum suscitat.

42. In

42. In Catanensi Ciuitate anno 1385. Puer herniosus Nicolaus nomine erat, cuius erupto peritoneo, aluei viscera in scrotum deciderant, miserandum malũ, & horridum visu. Die quadam ad Priorem delatus, causa festi D. Alberti rogauit fide repletus, vt ad aram sancti haberet ingressum; quem intuitus Prior, ei dixit venias, & ingenua flexus, ante Altare, dicas, Beate Alberte sana me, vt diù tibi inseruiam. quo ter dicto, aquam reliquijs benedictam præbet, præmissa oratione Dominica, ac Angelica triplicata, cum collecta D. Alberti statim coram omnibus sanitatem recepit. & factus est monachus nostri instituti; & maxima sanctitate floruit vsq; ad mortem. Codex Vaticanus.

Herniosus liberatur.

43. De alia nobili muliere, refert Codex Vaticanus, vltimo loco, quæ dùm in mammillis strumis, vlceribusq; miserrimè infestaretur, audit de benefico S. Alberto, quod miris laudibus, ad cœlum extollitur, votum vouit Deo, & B. Alberto argenteam imaginem in eius altare se collocaturã, & aureis paludamentis Aram ipsam exornaturam, si Deus meritis D. Alberti sanitatem ei conferre dignaretur. Paulò post Reliquijs signatur, aquã eiusdem benedictam expotat, ò Dei miram potẽtiam, vermes è mammillis in terram cadunt, & pristinæ sanitati restituitur.

Mulier mammillari morbo liberatur.

44. A Ioanne Maria Polucio accepimus quæ infra. Claudus quidam, cui nec etiam fulcris vti, permittebatur ad lente ambulandum, portatur ad sepulchrum D. Alberti, cuius miraculis capiebatur quotidie. Cœpit ex corde orare, sanitatem ab eo humiliter petens, & tacto monumento, virtus statim de illo effulsit, qua liberè exurgit, rectus ad aram pergit, alacer gratias agit, & laudes D. Alberti prædicat.

Claudus rectè ambulat.

45. Aliud ab eodem. Philippus Nauta Venetus anno 1492. inseruiebat Domino cuiusdam Nauis pacta salarij conuentione singulo mense, accipiendi. Anno expleto, auersante fortuna, dominus eius nequiuit ei menstruam soluere pecuniam, domum reuersus, & deficientibus auxilijs, pro alenda familia, Progenitore, vxore, & liberis, desperatione ductus, se laqueo tradere decernit, & misera morte, vitæ miserias terminare. Funem præparat, secunda noctis

A suspensione laquei liberatus.

hora,

hora, exit domum, vt voluntarium suimet suspendium, tristi animo, compleat. Vix pedem è limine hostij effert; en vox inclamat, quorsum Philippe? Ad mentem redit; clamat & ipse, ò bone Iesu. O S. Alberte adiuua me. Rogat auxilium, sistit, & anxiliantem inuenit. Nàm pœnitentia tactus domum reuertitur, & cùm inter nocturnas tenebras, per forum D. Marci transiret atq; secretò sanctum Albertum imploraret, pondus ab imperceptibili fulgore iactari ad eius pedes sentit: & audit, aut vidit neminem; timore perculsus flectitur, pedibus, manibusq; iactatum pondus quæritat, & crumenam sericam inuenit pecunijs pleñã, lætus se ad propria confert, & seorsum aureos mille inuenit. Gratias agit Deo, & D. lbeArto; qui eius familiæ inopiæ auxiliari, tàm liberali manu, dignati sunt. Hæc mense Decembri accidisse, scribit, Ioannes Maria Polucius.

46. Refert item venetijs anno 1496. in Ecclesia Maiorbij publicè mirum aliud se concionando, pluries enunciasse testem oculatum. Sacerdos Marinus nomine, febrium ardoribus acriter vrebat, nec illi salutarem opem Medici ferebant, quare in discrimine vitæ versabatur. Mittit pro aqua benedicta reliquijs S. Alberti nec obtinet, ita disponente Deo; cùm per Nuntium intelligit, aquam minimè ei allatam, præcipit aquam non benedictam ciato adferri, qua adepta, in hæc erumpit verba; O Pater Sancte Alberte, scis me, singulis annis, tuum sacrum festũ, cum vigilia, solenni ritu, obseruare, Te rogatum cupio, vt hanc benedicas aquã, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; bona fide, bibit, & paulò post somno capitur. Adest ei D. Albertus dicens, surge Sacerdos carissime, & da gloriam Deo. & statim sanitate donatus est. Hæc ille.

Febri correptus liberatur.

47. Addam his, quæ dum hæc. scriberem in insigni nostri Conuentus Bononiensis Bibliotheca reperi in manuscripto Pergameno, acta sex per dominum Laurentium de Pinis Archiepiscopatus publicum Notarium, & Ciuem Bonon. rogata in honorem, sanctitatis D. Alberti testimoniũ.

A Pestilentia liberatio.

Primum Bernardinus de Muletis filius Francisci de Muletis Ciuis, & Procurator Bonon. dum anno 1423. Ciuitas

Bo-

Bononiæ pestilentiæ contagio acriter vexaretur, vxorem duxit nomine Bonam, filiã D. Minij de Scardois, quæ graui pestis morbo detenta, deposita, & à medicorum ope abdicata, abortiua pro mortua multis horis iacuit. Vir eius D. Alberto vota facit, preces lachrymatus fundit, aquam Sancti Reliquijs benedictam potu tradit, mirabile dictu, emisso voto, ipsa melius se habet, & cum tota domo protinus liberatur. Vouerat pro obtinenda vxoris sanitate imaginem D. Alberti cum miraculis in Cathedrali Ecclesia S. Petri Bononiæ, proprijs expensis, pingendã fore, ad læuam ostij veteris Sacristię; sed dum Bernardinus picturam curat, Episcopus prohibet: oratione instat, vt promissum votum adimpleat, nec valet, en miraculum miraculo additum, Episcopo, sequenti nocte, D. Albertus apparet, & valida febre percutit; Episcopus pœnitentia ductus, Bernardino amplissimam facultatem facit excogitatæ picturæ pingendæ: & aquam D. Alberti pro sanitatis recuperatione sumit, atq; officium eiusdem S. Alberti Cathedrali Ecclesia concelebrari, dum viueret mandauit. Notarius qui supra.

48. Secundò. Anno 1434. D. Flora filia D. Baptistæ de Mezauachijs, cùm febribus grauissimę vreretur ad mortem, voto vouet imaginem ceream pro sanitate obtinenda, & impetrat. Tabulæ Notarij publici supra. Febricitãs liberatur.

49. Tertiò, eodem Iacobus filius Ioannis de Martellis de Parochia SS. Vitalis, & Agricolæ vlcere fędo, & immedicabili vexatur, à quo fętor putredinis emanantis, mixto sanguine, qui omnes fugabat, vouet summis precibus sacrum D. Alberto in Ecclesia Carmelitarum S. Martini Bononiæ, & sanitate donatur. Notarius qui supra in publicis Tabulis. Vlcerosus sanatur.

50. Quartò. anno 1449. D. Nouella filia D. Francisci de Monterencijs, vxor D. Hieronymi de Brunis pestifero morbo diù vexata, vouit D. Alberto, & sanatur. Tab. eiusd. Not. A Peste liberata.

51. Quintò. Anno 1455. Egregius Legum Doctor D. Ioannes de Poetis Ciuis Bonon. febre correptus, ad annum integrum moribundus vouet, S. Alberto, eius festum celebraturum, dum vitam possidet. Obtinet, & gratias agit Deo. Tabulæ Notarij Pini. Moribundus restituitur.

Mortuum suscitat.

52. Vltimò, Ioannes quondam Ioannis de Rauēna faber lignarius, sub sacramento testatur anno 1456. eius filium Sebastianum, infirmitate diù grauatum tandem mortuum esse. Vbiq; clamor, & consternatio Parentum, biduo ferè extincto, sepulchrum ei parant. Interim preces D. Alberto fundunt, & ecce mirum, ò mirum supra naturam ipsam. Puer incalescit paulatim, efflat, ocellos aperit, & loquitur. Quod dono obtinet Pater à D. Alberto, gratias agit, & sanus factus est. Tabulæ eiusdem Pini.

53. Addam itèm, quæ mihi bona fide Illustriss. & Reuerendiss. Dominus Laurentius Celsus Bononiæ Vicelegatus, Episcopus Castri, retulit anno. Dùm enim apud Viterbienses Patrimonij gubernationem haberet, duo fratres vltra montes insignem S. Alberti Reliquiam noctù deuotionis ergò surripiūt è nostra Sacristia Viterbij, clàm abscedunt, & furtū asportant, cū die integra itinerati essent, in sero iterū circa mœnia Ciuitatis Viterbiēsis iter cōfecisse dignoscūt. sequenti die impœnitentes itineri se tradunt, aduesperascente cum via faticati essent adhuc, submænia vident Ciuitatis Viterbij. horrent, & silent, nec pœnitet eos sacri furti; se tertiò itineri accingunt, & idem ei contigit; quare Dei iudicium agnoscunt, & pauent trepidi ad R. Archipresbyterum Montis Falisci, se conferunt, rem ordinatè ei dolentes aperiunt, & Rogant sacram D. Alberti Reliquiam Carmelitis fratribus Ciuitatis viterbij consignare fideliter nō dedignetur. Annuit ille, & fœlicius discedunt furunculi. Archipresbyter, sequenti die, detulit Reuerendiss. & Illustriss. Domino Laurētio Celso Patrimonij Gubernatori, qui Fratribus nostris ad se vocatis, restitutam, diuina ope, reliquiā maxima cum deuotione concredidit. Huius admirandi casus, egomet humiliter testimonium authenticum ab eo petij, & obtinui, reperitur modo in Bibliotheca nostra Bononiensi anno 1592.

Fures puniti seriò simul & iocosè.

54. Succedit vltimò, aliud non ommittendum. Anno 1592. Mag. Virginius Bentiuolus de Bonon. Pater in Christo amantiss. cum die vndecima Septembris acri febre, cum vitæ discrimine diù laborasset, egomet annum agens 26. ad

A febre diuturna Liberatus.

eum

eum ingressus dolens, de sancti P. N. Alberti meritis plura dixi, adhortans eius benedictam aquam, solita deuotione bibere, annuit libētissimè, ad altare accessi, aquam benedixi post sacrum, & ei attuli, quod & ter idem præstiti, ò Dei miram in sanctis liberalem potentiam! statim sanitati restituitur in huius rei memoriam orationem sātis celebrē habuit. Frater Dominicus Rota de Bononia, anno 1596. extant multæ aliæ, & penè innumeræ S. P. N. Alberti virtutes; quas iam præmonui, & propositi nostri memores silentio inuoluerę cogimur; non enim pompa certamus, sed hęc innuisse volumus; vt sancti Alberti meritis in hora mortis, & in hac valle miseriæ, nunc propitium, tunc adiuuantem obtineamus.

Notæ in vitam S. Alberti.

1 INsigne est, vbi cæteri sancti; canonizatione vnica, in sanctorum album referuntur. S. Albertus duabus decoratur canonizationibus, altera Angelorum, altera summi Pontificis. supra dedimus.

2. Admirandum item. cùm Reliquiæ sanctorū corporum in vnica venerentur arca, vel sepulchro à fidelibus; Sanctus Pater Albertus tot habet aurea, & porphiritica sepulchra, quot habet nostra Religio insigna monasteria.

3. Grande sanctitatis argumentum est, quod aqua sacris eiusdē reliquijs benedicta, & à nostris deuotionis ergo distributa, tot languores, & morbos exitiales fide credentium expellat, infesta hominibus dæmonia fugat, & innumeris, optata sanitatum beneficia conferat.

4. Quod idem experti summus in verbis illis, quæ damus scriptis febricitantibus, tenoris eius. Lucæ 4. Surgens Iesus de Sinagoga, introiuit in domum Simonis. socrus autē Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea: & stans super illam imperauit febri, & dimisit illā.

Sic liberet famulum suum per merita passionis suæ, & B. Virginis Mariæ, & S. P. N. Alberti.

Insigniores Scriptores vitæ S. Alberti.

PEtrus de Natalibus Equilinensis. Baptista Mantuanus. Ioannes Maria Polucius Nouolariensis. Hermanus Schedelius. Abbas Trithemius. Laurẽtius Surius. Vincentius Barbarus. Aloysius Lippomanus. Ioannes Paleonidorus. Alphonsus Villega. Illustriss. Baronius in annot. ad Martyr. Rom. Vsuardus, cum annot. Molani. Zaccheria Lipeloo Carthusiensis. Petrus Rabadinera. Petrus Lucius Belga. Virginius Bentiuolus de Bon. & alij, quos consultò breuitatis gratia ommittere licet.



VITA
S. PETRI THOMAE
Episcopi, & Martyris Carmelitæ,

Ex his, quæ in antiquo Carmelitarum Breuiario, & vetustiss. Codicibus sacri Collegij Theologorum Bononiensium fideliter habentur, Plura de eodem apud Ioannem Carthagenam Hispanum Ordinis Min. Obs. Tom. 4 lib. 13. Hom. 3. Ioannem Paleonidorum, & M. S. Philippi Mazerij, atq; Ioannis Fauentini, & Cancellarij Cypri.

Moritur temporibus Gregorij XI. Anno 1378. Colitur die 6. Ianuarij.

1 
VM nouus, benigno Deo, recurrit Annus, nouus itèm Ianitor Petrus Thomas, vir recolendæ memoriæ illius reserat ianuas; Iam Kalendas Iannuarij roseis circuncisi pueri Iesu stillis rubricatas, festiuè celebrauimus, Nunc diem 6. ab ipsis Kalendis roseis Christi martyris guttis rubricatum lætanter colimus. Vbi tandem fulgentissimum Sydus ab Oriente Reges, ad Christi cunabula ducit, continuò admirandum Carmeli Astrum regale Sacerdotum genus, ad purpureum Christi Thronum, media charitate constratum traducit. Attempera calamum, Puer in gremio Mariæ, vt quemadmodum hodie te Reges adorant, ità immensa S. Martyris tui virtutum supellectile adorneris.

Scribentis Aditus.

2. B. igitur Petrus Thomas apud Gallos, Greciæ olim Ma-

S. Pet. Th. Patria. Magistros in Aquitania Prouinciarum nobilissima, in Pago Condum ex pauperimis, sed fide præstantissimis parentibus gentilitium duxit: Is adolescens, claro pollens ingenio Ortus. Atrebatum mittitur studij gratia; vbi non pœnitendos institutores habuit, qui pari pietate, & doctrina fulgentes per Musas, & Artes, illius pectus, & animum, maximo pitore coluerunt. Cùm primum, itaq; acris ingenij sui cultū caperet ad Carmelitas cōcessit vocatus, vt humanioribus iuuenes institueret, à quibus victus, ac vestitus suppeditabātur. Apud Carmel. studet. Verum; vt moribus, ac litteris plenius inseruiret. Dum apud illos laudabiliter docuit conuixit. se B. Virgini Mariæ deuotissimè dicauit, in cuius honorem, ipsa patrocinante, perpetuò Virginitati castum corpus vltrò donare non dubitauit. In Patriam à Parentibus euocatus, iam senio conficiebantur, parentalia vidit, ipsis interim tumulatis, ac deploratis ad Carmeliticum Condumense Cœnobium, quod olim Aquitaniæ, nūc autem Vasconiæ Prouincialis habenas Fit Carm. regit, se transferens, Habitum Deiparæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli piè precatus tandem obtinuit. Religiosorum autem moribus facilè imbutus, optimi Nouitij partes haud desiderari permisit. In campo etenim iuuenilis pectusculi pietatis, & deuotionis flores adeò adoleuere, vt consociorum metas, quodam incredibili studiorum ardore, & virtutum amore, longo post se reliquit interuallo.

3. Cùm autem votorum nexu se Deo addictum in Religione cognouerit, ab omnibus mundanarum curis se totum quoq; abdicauit. Vnde fortis Agonista aduersariorum pugnas, fortius pugnare cepit. Exercitia Religiosa. Hic ieiuniorū, vigiliarū, meditationū & orationū pugione adstricto, omnes sensuū appetitus occultè iugulandos censuit, ne Regulæ suæ præscriptū, sordida corporis cupiditate tantillo trāsiliret. Vnde in clericorū sui ordinis millitia adscriptus, humilitatis gladium super fœmur accinxit, & in arenam prosiliens, sibi soli, spectantibus Angelis, bellum sæpè indicebat, secum sæpius pugnabat, seipsum sæpissimè mactabat. Ita strenuus Dei Athleta, de se victorias continuò reportans, iuuante vexillifera Virgine, in quocunq; vitæ genere, immensa animi tranquil-

lita-

litate, ac puritate fruebatur. Benè fundata Turris ingruentos ventos, atq; procellas derridet.

4. Iàm ad Sacerdotij gradum, consultò plurimum Deo, euectus, non sui honoris compendium, sed Dei Opt. Max. laudes quæritans, sacrosantas illas primitias immaculati Agni, immaculatè obtulit. Dein cum primas illas artes, quæ humaniores appellantur optimè caleret, & philosophicis se non leuiter tinxisset, altiorum disciplinarum cupedine Lutetiam Parisiorum obedientiæ gratia concessit, in cuius Musarum Theatro, tum propter ingenij præstantiam ad comprehendendum quæ docebatur, tùm propter memoriæ fęlicitatem ad retinenda ea, quæ comprehendebat, sacrarum litterarum studio tantum supra condiscipulos profecit; vt singulari progressu solemni curriculo laurea donaretur. Sacerdotio fulget. Lutetiam mittitur. Laureatus Doctor.

5. Eo primum honore donatus, & sanctimonia concrescebat, & orationibus fortiùs insistebat quò; ne dum ab omnibus aura communi; verum & cælo sui oblito ipse suspiceretur. Interim ad publicum profitendi munus accitus sententiarum, quem dicunt Magistrum maximo audientiũ applausu subtiliter interpretari est auspicatus. Huic aureo viro, os aureum credebatur concessum. Ipse inextricabiles quæstionũ Labyrintos ità ingeniosè penetrabat, recõdita arcanorum diuinorum mysteria ità clarè explicabat, abstrusa queq; ita plenè aperiebat; vt nullum esset scientiarum genus illi absconditum. Publicè legit.

6. Compertum habebat duo Ecclesiæ Dei Doctoribus pernecessaria esse, vitam bonam, & sanam doctrinam, illa, quoniam occasiones tollit detrahẽtibus; ista, quoniam resistit contradicentibus. Propter vitam bonam commendabatur S. Petrus Thomas, propter doctrinam admirabatur. His pręconibus pręcedentibus immortale suũ nomen æternitati commendabat. Quare benemeritus Pater Prouincialatus honore inuitè, & eodem reluctante decoratus, suas partes, tanta cum maiestate tractauit, quantum Carmeli exigebat concredita portio. Vitæ sanctitas, & doctrina. Prouincialis creatur.

7. Hic cùm in solemni cuiusdam Monasterij visitatione

de

de illius paupertie subleuanda valde anxius esset, ducens, & ipse pauperimam vitam, Beatissimæ Virg. de more auxilio implorato ab eadem audire meruit: Ne timeas Petre, omnia tibi necessaria adijcientur, & altera die, sacro deuotissimè oblato, Angelus Domini Mercatoris forma indutus, statim illi prestò fuit, & tantas illi aureas pecunias detulit, quanta necessitate vrgebatur Cœnobium illud. quo facto Angelicus ille Mercator euanuit, & Diuus noster Virgini Matri immensas habet gratias.

Virgo Maria cū alloquitur.

Miraculū de mercatore.

8. Hinc Guillelmus Lemouicensis, Clementis 6. sororis filius, à quo in prima Cardinalium creatione purpuram sub titulo S. Mariæ in Cosmedim, anno 1342. accepit, Venerandæ memoriæ Viri Dei sanctitate, & doctrina allectus, cū olim in Parisiensi Accademia artissimo necessitudinis, & obseruantiæ vinculo coniungeretur, ipsum summi Pontificis iussu Auenione, anno 1351. aduocauit. In hac Pontificia Vrbe, publicis concionibus, & priuatis confessionibus, mira fortitudine, & vigilantia inseruire cæpit, Monasticam humilitatem, & clericorum disciplinam propagare studebat, libros excubando scribebat, rudes in dies edocebat spiritum meditationibus scopebat, Cęlo inhians suæ sanctitatis specimen cunctis dabat. Hisce curis addictus Petrus Thomas, quæ Dei, quæ proximi erāt lætè obibat, exercebat; Vnde pręstantissimi quiq; viri Patrię parētem appellitabāt, In hoc maximo Procerum atq; Aulicorum concursu vsq; adeò se vulgò probauit; vt à summo Pontifice Episcopali dignitate cohonestaretur. An Pactensis, An Pacensis Episcopus, & M. S. & Typis traditi codices non vniformes.

Apud Auenionenses labores.

Creatur Episcop.

9. Clemente VI. vita functo, ad Pontificatus apicē euectus est Innocentius VI. anno 1352. Hic integerrimus vita, Sacerdotes tùm moribus, tùm doctrina spectabiles summis honoribus est prosequutus: Quare Petri Thomæ nostri famam pluries admiratus Constantinopolitanum Patriarchā ipsum declarauit: Colligitur ex authenticis Almi Collegij Theologorum Bononien. manuscriptis caprinis, vt infra dabimus.

Patriarchatus honore decoratur.

10. Hinc paulò post ab eodem Innocentio 6. Bononiam

sub

ſub Patrocinio Androini de Rocca Burgundi Galli, Monachi, & Abbatis S. Petri Cluniacenſis magiſtri in Theologia Presbyteri Cardinalis tit.S.Marcelli Legati per totam Italiã ad erigendum in eadem vrbe publicum ſacræ Theologiæ Collegium miſſus fuit: de hoc Androino videndus eſt Alphonſus Ciaconius ſub Innocentio 6. & liber Doctorum Theologorum Bonon. quòd iniunctum munus adeò fælici ſucceſſit exitu; vt immortali gloriæ ſit donatum. Bononię commorabatur vir pius, & doctus in Religioſiſsimo D. Martini maioris Cœnobio apud Carmelitas, quo temporis ſpatio vndiq; Populi, tùm nobiles, tùm mixtæ fortunæ ad ipſum tanquam ad Anchoram ſacram confluebant, & omnibus ſuæ ſapientiæ immenſitatem, ac ſanctitatis ſpecimen, hilari vultu, impertiebatur; Sed hic ſanctiſs. noſter Pater ad inſtar roridæ nubis, è ſitienti terra citò pręteriẽs euanuit; Muſæo itaq; apud Bononienſes in toto orbe famoſiſsimo feliciter ſapientiæ exædificato, laureati omnes æterno ſuo nomini, æternas laudes ad præmium decantant, vbi cum Laureatis in Patria nunc æterna beatitate perfundi creditur. Admirandus ille, admiranda, & prædicanda fecit, & egit.

Bononiæ Collegiũ Theologorum egit.

Laudes eiuſdem.

11. Verba inſero formaliter ex manuſcriptis caprinis, ſtatutorũ, & priuilegiorum DD. Magiſtrorum Almi Collegij Theologorum facultatis Bononienſis deſumpta.

Formula erectionis ſtudij Bononienſiũ Theolog.

Ad Laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis Matris Chriſti, totiusq; triumphantis Eccleſiæ, ad ſingularem honorem, & exaltationem Magnificæ Ciuitatis Bononiæ Anno Domini 1362. Sanctiſs. in Chriſto Pater, Dominus Innocentius diuina prouidentia Papa 6. 11. Kal. Iulij Pontificatus ſui Anno 8. Ad Inſtantiam, & ſupplicationem Populi, & communis Bononiæ largiſsimè dotauit, & magnificè priuilegiauit ipſam Ciuitatem ſtudio Theologię, cuius quidem priuilegij forma, ſiue tenor eſt talis.

Tempus erectionis Collegij Bonon.

Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Quaſi lignum vitæ in Paradiſo Dei, & quaſi lucerna fulgens in Domo Domini eſt in S. Dei Eccleſia facultatis Theologiæ diſciplina, &c.

Bulla erectionis.

Reliqua habentur in Bullario D.Cherubini Laertij Bulla

2. & in caprinis prout à Pontifice ipso emanarunt seruatur in Camera, & Regesto Communis Bonon. sub Anno supra in libro 2. Regesti grossi fol. 233.

Modus seruatus in fundatione vniuersitatis mi Theologorum.

12. In libro Collegij Theologorum Bonon. post multa, Hæc alia sequuntur. Huius rei fama per vniuersum volante, tempore Reuerendiss. in Christo Patris, & D. D. Androyni Cardinalis Clunniacensis Bononiæ, & in ciuitatibus Ecclesiæ in Italia constituti Apostolicæ Sedis Legati, atq; Venerabilis in Christo Patris, & D. D. Aymerici Bononiensis Episcopi, nostrę sacrę Theologiæ facultatis dignissimi Cancellarij ad fundandum, & inchoandum Bononiense studiũ Theologicæ facultatis ex diuersis mundi partibus huc accesserunt viri sacræ lectioni dediti, & in lege Domini eruditi, Doctores vtique Theologi, scientia, moribus, & virtutibus insigniti, quorum magistrorum nomina digna memoria sunt ista.

Doctores vocati in fundatione. & erectione Collegij Bononiẽsis.

13. 1. Mag. Petrus Thomas, natione Aquitanus tunc Dei gratia, Patriarcha Constantinopolitanus, Ordinis S. Mariæ de Monte Carmelo miraculis clarus.

2. Mag. Vgolinus de Vrbe veteri, Doctor acutissimi ingenij, Ord. Herem. Sancti Augustini.

3. Mag. Franciscus Adriani Bonon. Vir angelicæ vitæ, Ord. Minor.

4. Mag. Thomas de Padua Textualis eximius, & eloquẽtia clarus, Ordinis Carmelitarum.

5. Mag. Thomas de Fregnano de Mutina, Doctor vtiq; moribus insignitus, & fidei zelator intrepidus, Ord. Min.

6. Mag. Petrus Monachus Dumacensis, D. Cardinalis Clu nniac. Auditor, & Socius commensalis.

7. Mag. Ioannes de Podio Doctor speculatiuus, & hæreticorum malleus nunquam fessus, Ordinis Prædicatorum.

8. Mag. Bonauentura de Padua vir tam diuinarum scripturarum, quam secularium litterarum Commentator prefulgendus, Ordinis Heremitarum.

9. Mag. Ludouicus de Venetijs Vrbanæ eloquentiæ Pater, nec habens quicquam rusticitatis admixtum, Ordinis Minorum.

Hi omnes veluti nouem Musarum imitatores almam Theologorum facultatem, & vniuersitatem instituere, quorum omnium antesignanus est D. Petrus Thomas Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo. Hactenus.

14. In huius sanctissimi viri memoria, singulis annis religiosissima, ac perIllustris. Carmeli D. Martini Maioris Bononiæ familia anniuersarium festum post octauam Epiphaniæ Domini, solemni ritu, cum Indulgentijs, & ingenti omnium ordinum concursu festiuissimè concelebrat. Orationes, & Conciones, in S. Petri Thomæ laudem à studij commilitonibus habentur: Dein publicè Theses deffenduntur, & quod summum est. ex constitutionibus nostris cap. 16. §. 13. ad perpetuam huius fundationis memoriam, in capitulo generali Bonon. 1602. talia leguntur. Nullo modo autem, ad gradum Magisterij promoueantur, nisi prius fuerint collegiati in vniuersitate Bononiẽsium Theologorum. Hæc ibi.

Acta Memoranda in honorẽ Fundatoris.

15. Nunc plura de Viri Dei discessu, rebus optimè dispositis, memoriæ reuocanda forent, sed illud vnum memoratu dignum recensendum puto.

Cùm frequẽs ergo illi in oratione pernoctare esset in Bononiensi, vt creditur, conuentu, accidit; vt Beatissimæ Virgini Mariæ orationes, & preces fundens noctu inter ima humillimi pectoris suspiria veluti efflagitabat, sacrũ Carmeli sodalitium, & cõseruare, & augere in dies nõ dedignaretur, precanti filio prestò fuit benignissima Mater. In nocte .n. sacratissimæ Pentecostes, cum idem propensius postularet, Inter Angelorum Agmina, splendoribus emicans visibiliter apparuit in hęc dulcissima erumpens verba; Confidito Petre: Religio .n. Carmelitarum in finem vsq; seculi est perseueratura: Elias namq; eius Institutor, iam olim etiam à filio meo impetrauit. O pretiosum promissum.

Deiparæ verba ad D. Petrũ Thomã.

16. Iam Gallos, Italos, & cæterarum Prouinciarum Nationes Occidentales in sui admirationem ob illustria eius merita rapuerat, cùm ad Orientalium ora animum conuertere cæpit. Christi cunabula sæpè meditatus, sæpius sepulchrum eiusdem plangens, sæpissimè Carmeli Eremum men-

Iter Hierosol.

te, & desiderio inuisere non desinebat. Verùm illud in primis ad iter excitabat Patriarchalis dignitas, ne commissæ oues Pastoris absentia à Christianis pascuis miserè deuiarent. Horum amore, & pietate allectus Romam adijt, & consulto Pōtifice, hortatus est se ad Constantinopolitanum iter, & terræ sanctæ missionem pro fidelium salute in dies labente quamprimum accingere. Incunctatus discedit, causam Christi ardentissimè amplectens, cum non ignoraret quanti momenti illic illius opera fuisset: Messis quidem erat multa, & operarij pauci; Venetias concessit, à littore soluit, sacerdotibus comitibus religiosissimis sibi adiunctis, quæ Christi erant quærebat, Præibat illis Virgo benedicta, Nauem ducebant Angeli, placidos Ethesios dabat Cęlum, & sedata Maris tranquillitate, Gręcorum littora petebant. Bisantium tandèm Vrbem Imperatoria olìm dignitate, nunc Turcarum tyrannide principatum lugens cū suis ingreditur. quantą in illa S. Petrus Thomas pro animarum salute tulerit, asserit. quātum fecerit ab anno 1370. vsq; ad annum 1376. dicant sancti Viri quàm capti sanctitate, & admiratione Virtutis illius excitati ab orco peccatorum, & ab infidelitatis caligine consurrexerant, cum in ipsa Vrbe Constantinopolitana, ex politia Ecclesiastica adhuc multi degāt homines Christiani latini ritus, quos Cassalucos vocāt ex oppido, Caffa per Maomettem Turcarum Regem eo translati, qui ad Christi fidem D. Petri Thomę ope sunt amplexati. Testatur Cęnobium in Vrbe Pera à Carmelitis inhabitatum.

Eiusdem Nauigatio.

Bisantina commoratio.

17. Nunc diuina ope mea insurgat oratio. Si quidem cum pro Terrę sanctæ visitatione pius Pater vellas vētis daret Alexandriam appulit vbi pietatis, & Catholicæ officia fidei maximo cum sensu exercere cæpit, inerat .n. ei tantus animi, & corporis candor, eloquentiæ feruor, & spiritus calor; vt Alexādrinos ciues beneuolos ad se attraheret, conciliaret. At dum Religionis Catholicæ propagandæ, & contra Saracenos defendendæ studio flagraret acerrimo, infidelium turbæ turmatim in eum irruentes, vt erant feroci ingenio, singulariq; crudelitate, vniuersam rabiem illius

Alexandriam petit.

infi-

infidelitatis in ipsum conuerterunt, & post ludibria multa, multaq; mala pro Christi fide tuenda passus, innumeris tandem exantlatis laboribus, plenus dierum & bonorum operum, ad palum alligatus telis infidelium vulneribus mille affectus 8. Idus Iannuarij hora à Deo præsignata obdormiuit in Domino, Anno Dominicæ Incarnationis 1376. à fidelibus collachrymatus, ad Cælum, cantantibus Angelicis choris, anima euecta est è manibus infidelium. Sauciatum S. Martyris corpus ereptum ad Insulam Cypri defertur, & in Famagustano Conuẽtu nostri Ordinis honorificè sepelitur. verum dum hæc Bononiæ meditarer R. Prouincialis Turronię retulit mihi in M. S. Cancellarij Regni Cypri extare D. Petrum Thomam sagittis quidem cõfossum, sed vulneratum diù superuixisse. Deus, in cuius honore martyrum subijt, suo quoq; tempore, reuelare non dedignabitur.

Capitur ab infidelibus.

Martyrium eius.

In Cyprũ defertur.

18. Hinc Vsuardus, apud famagustam Ciuitatem Cypri, B. Petri Thomasij Patriarchæ Constantinopolitani, Doctoris perceleBris Ordinis Carmeli professoris, qui post plures de Sacræ Crucis inimicis victorias, postquam plures conscriptos libros, ac patrata miracula die, ac hora à se præsignatis fæliciter obdormiuit.

Testimonium Vsuardi.

19. Molanus in annotatione 2. Petri Thomę, siuè Thomasij vitam scripserunt, Philippus Mazzerius Cancellarius Regis Cypri, & Ioannes Fauentinus nondum impressi.

Nolani.

20. Ex Breuiario antiquo nostri sacri instituti additur, quod in Conuentu Famagustano multis claruit miraculis, quemadmodum & in vita, singulariter autem à loci illius incolis contra morbum Epidimiæ, & pestilentiæ inuocatur, qui suorum desideriorum effectum consequuntur, vbi maximo honore colitur, & Deum laudant, qui sanctum suum tanta gratia donauerit.

Breuiarij Carmel.

21. Bernardinus Bustus Minorita in suo Mariali, serm. de Conceptione 4. asserit Petrum Thomam nostrum fuisse sacræ Conceptionis Mariæ accerrimum defensorem.

Bernardini Busti.

22. Et in libro, cui Titulus, Corone, vulgari idiomate conscriptus à Reuer. Padre Lectore Stephano Lusignano Cyprio sacri Ordinis Prædicatorum sub anno 1577. impres-

Stephani Lusignani.

pressus Patauij per Laurentium Pasqualé in Corona quinta Lusignana fol.mihi 53.habentur hæc verba formaliter: Pietro Tomaso dell'Ordine de' Frati della Beata Vergine del Carmine, Patriarca Constantinopolitano, huomo di santissima vita, morì martire; fù sepolto in Famagosta, e da tutti è tenuto Beato.

Ferdinan di Quirino Salazar

23. Et Ferdinandus Quirinus de Salazar, vir alioquin doctissimus in suo, de Immaculata Conceptione cap. 42. seculo 15. Martyrem nostrum hoc elogio prosequitur, Sanctiss. quoq; vir Petrus Thomas Carmelitarum decus, quoniam sapientiam, & doctrinam martyrio exornauit, conceptionē purissimam asseuerauit in Tractatu de Conceptione, ex quo iure optimo Sanctiss. in Domino Pater Paulus V. æterni nominis concessit inter Sanctos relatum, duplici minori officio à toto Carmelo Sanctum virum Petrum Thomam, coli, ac celebrari.

Peroratio

Te igitur Diuum, te sanctum Petrum Thomam flexus humiliter oro, vt mihi miserum, tuo nomine, insignito in hac miseriarum valle impetres peccatorum veniam, vt tuis meritis tecum in Cœlo triumphare valeam. Tu Pater filium amplectere, Tu doctor discipulū edoce, Tu Athleta inermem defende, à fallaci serpente, ne me cauda flagellet, aut sternat; Adiuua apud B. Virginem, vt te adiuuante, indulgeat Diua Diuarū. Accipe quod corde, & carmine complector.

Vt tibi, Petre Thoma Diuùm gratissime coetu,
Nomine iàm libuit me decorare tuo;
Sic meritis da me esse tua ac virtute decorum,
Æthereo Vt tandem, te fruar vsque Polo.



VI.

VITA SANCTI ANDREAE

Episcopi Fesulani Ord. Carmel.

Ex Laurentio Surio, Aloysio Lippomano, Petro de Natalibus, Gabriele Flamma, M.S. Vaticano, & alijs excerpta.

Moritur eodem Anno, Mense, & die, quo S. Petrus Thomas Translatus. Colitur die 29. Iannuar.

1 Eati viri Andreæ Carmelitę gesta, quantum sanctitatis, tantum admirationis præseferunt. Is ex nobilissima Corsina gente, Florentiæ, Patre Nicolao, Matre verò Peregrina, ortum duxit. Huius Parentes sterilitate, quo nil molestius Nobilibus, laborantes, vt fœcunditate donarentur, vouerunt ambo, se Deo primogenitum dicaturos. Deiparæ beneficium sæpissimè implorantes filium tandem obtinent, quem cùm in solemnijs S. Apostoli Andreæ in hanc prodierit lucem, Andream quoque denominarunt. Pridie, quam ederetur, Mater eius Lupum fœtu eniti, per visũ vidit, qui sensim in Templo Agnus euasit; ignorata somniatæ Imaginis interpretatione, trepido quodam sentit animum timore percelli, & diù silentio, visum per somnium condit.

Genus D. Andreæ.

Votũ Parentum.

Visio.

2. Interim puer affabilis educationi traditur, vt virtutibus, & morum disciplina imbutus, familiæ nobilitatem, splendoremq; augeret, & qui Deiparæ dicatus erat, sedula inseruiret fidelitate; At difficilis valdè, atq; lubrica via viri in adolescentia: Ex effebis vix eductus, eleganti pollens forma, à recto disciplinæ tramite deuius, iuuenilibus actitatus concupiscentijs, laxatis habenis, viuere cępit: venationi,

Adolescẽtia eius pessima.

tui, armorum strepitui, rixarum incitamentis, ludorum stimulis, sociorum blandimentis, & paternarum substantiarum dissipationi dicatus, spe melioris frugis amissa, maximis scelorum omnium facinoribus, obstinatè, virginitate seruata, contaminabatur, familiæ ignominiam paruipendens, parētibus, & amicis, perditus ille ludibrio erat. Acuto hoc doloris gladio transuerberabat, euiscerabat; & quāuis sæpius Maternis blanditijs, sæpius Paternis minis, ad morum integritatem reducere omnes conarentur, vt cum virtute vitam ageret, & inferorum vitaret pericula, laterem lauabant, inani laxabantur studio; equo indomito frænum rumpenti assimilatus.

Mater eū increpat.

3. Deus autem, qui neminem diu affligi permittit, virentis hunc arboris surculum, perire non est passus; quadam enim die, cùm matrem mille vexasset conuicijs, & iniuriosus ei mille intulisset improperia, somnium quod illius partum præcesserat memorans lupum præuisum, ad materna dirumpenda viscera lachrymabunda vocat. Andreas, maternis commotus verbis, quid somnij, quid genitricis lachrymæ, alta mente, reuoluit, instat, causas requirit, & prodigiosum audit somnum, formidolosamq; penetrat visionem. O Dei prouidentiam. Horret animo, & silet, formidine pœnæ territus; Anteactæ vitæ iuueniles secum meditatur errores, & flexo corde, varia rerum discrimina, suspenso animo, cogitat: suspiria pectore ab imo transmittit, Maternis sauciatus rationum telis; Ab ipsa veniam humiliter bene precatus, benedictione obtenta, proxima luce, ad Deiparæ Virginis ædem Carmelitarum conuolat; ante illius Aram, lachrymis perfusus, summis orationibus efflagitat, in Agnum de Lupo commutari: Cùm Diuam ad horam oratione orasset, obsecrasset, repentina quadam claritate, atq; dulcedine repletus, Cœnobium ingreditur, & ad P. Hieronymum Melioratum virum insignis prudentiæ, ac pietatis, laude præstantem, Tusciæ Prouincialem iter dirigit, cui Religiosi animi sensa, breuibus, aperiens, in Religionis militiam adscribi petit. Miratur Religiosus Pater Iuuenem, summo loco, natum libertate fruentem, delitijs assue-

Andreas reformidat.

Ad Carmel progreditur.

assuetum, duris Religiosorum viuendi moribus succumbere velle. Secretò per nuntium de filij proposito Parentes certiores facit, ij de accepto monitu, immortales gratulabundi Deo gratias agũt: statim, impigro pede, aduolant, & Andreæ mente percepta consilium confirmant, ac laudant, præacti voti officia soluentes; Benedictione à Parẽtibus humiliter obtẽta, Andreas à R. Priore in Conuentum ducitur, tribus mensibus, probatione firmandus. Elapso præscripti temporis spatio, Carmeliticum induit habitum, & militiæ adscribitur religiosæ. prudẽs Monachorũ Prior, vt Nouitiũ soliditate cõfirmet, viliora Monasterij munia, atq; seruitia ei demandat, quæ omnia, & pacato animo, & serena facie, tanta cum alacritate perficit, vt omnibus obedientiæ, & humilitatis exempla relinquat.

Fit Carmelita.

4. Tunc ad ianitoris officium destinatus, Diabolus inuidia disrumpens, sancti Iuuenis obedientiam, ac humilitatem sufferre minimè valens ipsum dolosis vrgere machinis cæpit. Prædiuitis viri formam simulat satellitum cohorte stipatus, Cœnobij fores sibi reserari iubet, captus admiratione ianitor, quid sciscitatur ab eo? cui annon me facie tenes? De tua quidem prosapia vir nobilis ego. Audiui de tuo hoc humili Religionis ingressu, quemadmodũ ægro animo fero, ità ab eo te deflectere cupio. Insperatus hic aduentus meus, ad pristinum delitiarum statũ te vocare contendit, & ad proprios lares, te omnium tuorum agnatorum lætitia, hac eadem hora mecum adducere. Iàm tibi Virginem puellam desponsam, nobilitate, & dote parem, paratam habeo. Cui vir ignotus es mihi, & amicè non loqueris. Prosapia mea falleris. Ante meum tibi notum ortum, hic, tibi ignotus ortus eram, progenitorum voto; quid ergo me a propria sede deturbare niteris? Me pauperie, obedientia, & castitate voui Deo; In sponsam Virginis Religionem accepi, à conatibus tuis abhorreo; Abi tentator, abi, & signo Crucis munitus fugauit dæmonem.

Diabolus ei insidiatur.

5. Eo tempore quo Fratres post prandium Ecclesiã, pro gratiarum actionibus, immediatè adire solent; Pænitentiale illud Dauidicum psalmum canentes, Miserere mei Deus.

Aestasim patitur.

Andream pluries mētis excessu raptum in Deum inueniūt, & immotum luminibus, Deo diū frui silentio permittunt.

Professionem emittit.

6. Probationis anno, vt vocant, completo, solemnioribus Religiosorum votis omnium fratrum applausu, hilari animo, se Deo, Deiparæq; Virgini fortius adstringit, & ardentiori pietatis studio, & vegetiori animi cultu, bellum cupiditatibus suis indicere, cœpit. Mirus in ciborum parcitate, altero quoque die, pane solo, & aqua, spiritui carnem subdit; cilicio corpus domat; orationum, vigiliarum, meditationum, disciplinarum, studiorum Patrum ac sacrarum litterarum assiduitate, tempus ipsum vincit; Humillima domus seruitia, prompta animi alacritate amplexatur; ægritudine laborantes, ardenti charitatis amore adiuuat; solitudinis quietem ad Regulæ præscriptum vehementer amat; tanta pollet mansuetudine, atq; humilitatis virtute, vt nemini vnquam iniurius fuerit; imò in perferendis iniurijs, vel lacessitus, maxillarum alteram, Christum imitatus, humiliter offerrebat. Hostiatim sæpè mendicantium more, panem ad victum, eleemosynæ gratia circumquærebat, quo in munere à suis non semel derisus, quasi auitæ nobilitatis contemptor aspernabatur; nec vlla tamen ab officiorum executione impeditur tarditate, vbi superiorum vrgebat præceptum.

Studia.

Irridetur à suis.

7. Exemplaribus hisce pænitentiæ exercitationibus, Animarum zelus in ipso adeò mirificè prælucebat, vt totus sæpè charitatis ardoribus languescere conspiceretur. Ioannes Corsinus suæ gentis insignis, cùm lætali morbo quem Periti Hærpem exedentem, seu lupinum morbum appellant, diuexaretur, vt cruciatus dolorem leniret ipse, omni ludorum genere, se diù noctuq; exercebat, cuius miseratus Andreas, de recuperandæ sanitatis modo illi verba fecit; spe concitata, pollicitus est se omnia executioni plenè mandaturum. Tunc pius Pater, à ludis abstineto, & octennis precationibus, ac ieiunijs Virginem Mariam benè precato; Iussa complet, & statim, ò miram Sanctorum benignitatem, sanitati donatus est, grates, laudesq; Deo dicit.

Curat morbidū hominē.

8. Interim de Missarum solemnijs, rogantibus cognatis,

&

& iubētibus superiōribus, sacris initiatur. Cùm ob primum Hostiæ sacrificium, consaguinei propter insignem familiæ nobilitatem, pompaticas excogitarent expensas; de Superiorum venia, secretò ad Syluarum Cœnobium, Florentia septimò milliari distantem, cùm socio commeat; ibiq; latitans sacerdotales primitias, tanta cordis lætitia, & animæ puritate, Deo omnipotenti, inter Angelorum Choros offert, vt in hæc quidem verba Laurentius Surius 6. Idus Ianuar. erumpat. Andreas Episcopus Fesulanus Ordinis Carmelitarum vir virtutibus ardens, & in dies magis, magisq; sanctitate pullulans, ad sacros ordines admittitur: Consimi omnes statuunt, vt primam Missam, Andreas celebraturus oblationem magnis apparatibus, ingentiq; pompa celebraret, sed ille vbi hoc audiuit, habita prius licentia à Prouinciali, secessit septimo milliari ab Vrbe, in Conuentũ Syluarum, ibiq; sacerdotij sui primitias offerenti, B. Maria Virgo cùm comitatu Angelorum apparuit dicẽs, SERVVS MEVS ES TV, QVONIAM ELEGI TE, ET IN TE GLORIABOR: Hæc dicens paulatim se in auras eleuat. Stupore perculsus Andreas, non elatione extollitur, sed magis per humilitatẽ nitebatur, sese dignum efficere seruum, & humanas fugiens laudes bonarum artium studio, sibi immortalitatem parat Hæc Surius. Hic adnotasse iuuabit, me superioribꝰ annis rogante, M. Vitalem Palatium de Bonon. tunc temporis Priorem sacellum, in quo B. Andreas primum sacrum fecit, vestire suppellectilibus religiosis vellet; in sancti viri Dei memoriam, rustico enim muro cingebatur; quod satis eleganter præstitit.

Primum eius sacrificium.

Sacellum in quo primum sacrum.

9. Hoc eodem tempore, in viri nobilis filia miraculum illustre. Hæc enim hectica febris morbo diu laborãs, Medicorum prædictionibus, nulla salus ei, audit de viri sancti fama, spem & votum concipit, Parentem consulit, rogatq; vt benedictionem à fratre Andrea super sumendos cibos, impetrare non dedignetur; confidebat enim, benedictione accepta, sanitatem quoque se recepturam fore: attenta filiæ confidentia Pater precibus pietate plenis, virum sanctum ad puellam adduxit, quæ instãti eius oratione, & bene-

Febricitantem sanat.

dictione sanitatem illicò, tota mirante familia, recipit, ipsamq; inter Moniales sanctæ Annæ sanatam recludit.

Parisijs studet. 10. Cùm iam in Religiosorum Palestra pluries de se periculum fecisset, Capituli Pisani iussu studiorum gratia Parisios mittitur: Triennio litteris operam nauat, didicit; eruditione clarus, cursu facultatum peracto, de Italica reuersione cogitat. In Aueniononensi Comitatu ad Cardinalem Corsinum Patruum suum, visitationis gratia, pergit, apud quem dies circiter decem carus commansit. Et hic, serui Dei memoratu dignum, si quidem hominem eleemosynam ab eo petētem, vtroque orbato lumine, in ipso limine Templi, oratione peracta, lumine restitutus est.

Cęcum illuminat. 11. In Italiam reuersus honorificentissimè à suis excipitur, & dum Prouincialia actitantur Florentini Cœnobij gubernacula, omnium Patrum hortatu renuens suscipit. Quo in munere adeò se præclarè gessit, vt exemplari vitæ sanctimonia ommissa, quæ mira erat, adhuc miraculorum gratia, & Prophetico vatum spiritu, effulget. Etenim Fratrem Venturam Pisanum Carmelitam Hidropis morbo laborantem, signo Crucis, & orationibus liberauit.

Creatur Prior. 12. Addimus aliud. Rogatus enim à familiari quodam, vt filium ei natum Baptismali vnda lauare dignaretur, annuit precibus, & in ipsa sacra lotione in ingentem lachrymarum imbrem erumpit; instanter scissitatus, inuitus demum respondit. Heu, hic Puer sibi, totiq; familiæ suæ excidio natus est: Propheticum sancti viri dictum spreuit renati Pueri Pater, sed temporis successu, contigit, pubescentem liberum in Patriæ libertatem coniurasse, vnde Carnificis gladio, maximo cum familiæ dedecore, commissi sceleris pœnas exoluit. Consulto mittimus præclara eius administrationis facinora, precationes, ieiunia, pauperiem, mititatem, & in Fratres omnes paternam benignitatem: omnibus enim erat, & Phari, & lucentes ignes in Religionis mari. Hęc enim quo admirabiliora, eò lucidiora apparēt.

Claret Prophetia. 13. Hinc cęlites, & homines certatim eius honores contendunt: Nam anno 1362. Vrbani V. tempore, Fesulano Prǫsule extincto, ipsum Canonici, communibus omnium

suffra-

suffragijs in Episcopum deligunt. Erat idne temporis vrbs Fesulana virtute, & armis insignis. At humilis Andreas, ne tantæ dignitatis oneri, humeros supponere cogeretur; Ad Carthusiam latitat, tertiò ab Vrbe milliari; Canonici autem illo nunquam comparente, de iteranda electione consilium capiunt, cordibus nutant, fluctuant mente; adh ut indeliberati ei spiritus illustrator animarum, per os triennis infantis, tali effatus eloquio. Elegit Deus Andream in sacerdotem sibi. Stupore clamantis pueri omnes oppleti, electionem ratam acclamant: Andream quęritāt, & è Carthusiensium latebris inuentum eruunt, & annuente Pontifice, Episcopus Fesulanus creatur. Fama est, Puerum illi totamente in Cœlestibus versanti, candida veste amictum astitisse, ortatumq; fuisse, vt constanti, & alacri animo diuino pareret decreto. — Vocatur ad Episcopatum.

14. Octauum igitur supra quinquagesimum annum agebat Andreas, quando Episcopale onus humeris suis, iubente Deo, concedente Pontifice, impositum est. Sponsa in decore accepta, omnibus admirationi erat, tanta enim virtutum omnium excellentia clarissimas anteactæ vitæ actiones superauit, quanta Animarum salutem faciebat. facillimè in oculis erat omnium. Ita se omnium moribus Pontifex cōformauit, vt omnes sibi deuinceret, omnibus carus esset. At qui mitis in omnes; solum sibi immitis erat. Austeriori vita vtebatur, cilitio, & ferreis catehulis, nuda corporis obstringens acriter domabat. siccis tabulis ad somnum vtebatur, oblectamenta omnia nihili faciens. Mulierū nedum colloquia, sed & aspectum, quasi à facie Colubri fugiebat; In Templorum sacrorum ædificijs, etsi maximas expēsas insumebat, in pauperes tamen tantæ fuit liberalitatis, vt egenorum nullus vnquā ab eo sine eleemosyna abscederet. Imò ipsos S. Gregorij Papæ ad instār, ad calculū enumeratos retinebat, vt eleemosynarum tempore, promptiores haberet. — Episcopale studiū.

15. Mirum adferemus. Cūm annonæ summa esset penuria, & egenorum innumeri ad eum confluerent, omnibus iam erogatis bonis, nihil ei donandum supererat: vrge- — Pauperis tactus ditatur.

bant pauperes, vbi ministri Episcopum excusabant; iubet molestia ductus, diligentius Arcam scrutari, negabant serui, iam euacuatam scientes; quibus eia confidite, & panes de penu afferte, parent, & panes, diuino beneficio inuētos, admiratione capti, Episcopo adferunt, quibus illicò, pari alacritate conuocatis, pauperibus distribuit.

Pauperes curat.

16. In more posuit vir Dei, singulis quintis ferijs, ob memoriam Dominicæ humilitatis pauperum pedes abluere, ex conuocatis quidam renuebat pietatis officium, sciscitata ab eo causa, putredine scatentia crura ostendit ei, cuius miseratus, fili, dixit, confide in D. Iesu Christo hac lotione curaberis, ò miram Dei bonitatem. Abluitur, & sanatur.

Pœnitētia

17. Varijs insuper macerationibus, corpus item in seruitutem redigebat. Præter Cilicinum superhumerale, ferrea item vtebatur catena, ad lumborum constrictionem, quæ in Florentino adhuc Cœnobio adseruatur. quotidie pœnitentialium psalmorum, ac litaniarum precationibus præmissis; disciplinam adiungebat; vitis sarmenta ei lectulum sternebant, quæ peristromate babilonico, affabrè tegebat.

Bononiā mittitur.

18. Cùm Bononia Vrbs inclyta Italiæ maximis Ciuium vreretur discordijs, Vrbano V. iubente, tradunt Historiæ omnes, Andreæ nostro horum causa committitur. A grandi populo, opibusq; sæpè venenata dissidia, quæ à frequenti, contumaci, & intrepidā plebe initia duxere. Accedit Præsul insignis, modo nobilium Senatum audit, modo popularibus cateruis obuiat, illos rogat, hosce lenit, mixta componit dexteritate, seditiosorum, & tumultuantium animos. Tandem breui temporis spatio, tumultum Ciuium non repressit solum, sed extinxit.

De mōte præmonetur.

19. Sed iam tempus aderat, quo fideli operario diurnus soluendus erat denarius. Igitur anno ætatis suæ septuagesimo primo, dùm sacrum Natalitium nocturno tempore de more, in Fesulanæ Ecclesiæ Cathedrali, sancta Maria Primerana nuncupata, eidem B. Virgo Maria splendoribus perfusa astitit, & de extremo obitus sui die, in solemni Epiphaniæ Domini celebritate recursuro, certiorem reddidit. Quare febre correptus, acriter diuexatus, sacramentorum

munimine præparauit animam suam.

20. Testimonium Codicis Vaticani ad verbũ referemus. Apparuit ei gloriosa Virgo, dicens: Ecce fili mi tempus egressionis tuæ, in die Apparitionis filij mei in terris, apparebit anima tua in Cælo; tecum ero, nec à te dissociabor. Gauisus Andreas gaudio magno, tres Natiuitatis Domini Missas celebrauit, & palida facies eius rosea facta est. In die Circumcisionis verò febre grauatus, Canonicum Guidonem fidum, & carum amicum eius alloquẽs, rogauit preces fundere ad Deum pro eius transitu; deflet acceptum nuntium, & clamat, veh nobis cecidit corona capitis nostri, peccata nostra talem non merentur Antistitem. Accedunt Ciues, accurrunt Clerici, dolentes omnes super interritum eius. Hæc ibi. In lectulo itaq; decumbens, die prænotato Epiphaniç Domini, Apostolorum, ac Athanasij Symbolis recitatis, serena facie, post Simeonis Canticum. Nunc dimittis seruum tuum Domine; natura concessit Pontificatus sui anno duodecimo, ab Incarnato Verbo 1373. Ab ingressu Ordinis 55. ætatis suæ 72. octauo Idus Ianuarij.

Infirmatur ad mortem.

Moritur.

21. In eius glorioso transitu cubile, immenso circũfunditur splendore; & sacrum eius corpus suauissimum diffundit odorem, quo multi recreabantur, ac sanabantur infirmi. In Ecclesia Cathedrali Fesulis, inter ciuium lachrymas, ac suspiria, dum Anima Cœlum lætãter ingreditur, solemni ritu humatur. Hic adeò castitatis culturam adamauit; vt Virgo toto vitæ suæ cursu credatur. Conuincitur quoniam semel cuidam Sacerdoti Canonico, & Commensali, sese totum albicantem, post mortem, & rosatum, ac liliorum serto redimitum ostendit: de quibus sciscitanti Canonico dixit, hæc Animæ puritatis, ac corporis Virginitatis insignia esse. A Carmelitis tandem obtentum, Florentiam transferunt, & in eorum Ecclesia, maximo populorum concursu, conditur, & colitur. Innumeris coruscat miraculis: & ab Eugenio quarto, in album Sanctorum adscriptus, per omnia secula gloriosus ibit.

Funeralia

Virginitas.

Translatio.

Qua

Quædam miracula, ex Codice Vaticano.

22 VIrgo Florentina cùm Matre Vidua, singulis diebus festis, montem ascendebat, capta concionum B. Andreæ feruore, de illius graui infirmitate certior facta deflêsin die Circumcisionis rogat; ò vtinam in obitu suo, secũ me traheret; grauiter infirmatur Puella, & pridie Epiphaniæ, sub Aurora vox intonat, audientibus omnibus, veni filia te expecto, vt vna hodie Cęlum ingrediamur. Subridet Virgo, oculos attollit, & complicatis manibus, animam efflauit. Et ecce fletus magnus, post fletum, Mater eius quasi per somnium vidit, viam latam rosis, lilijs, & floribus ornatam ad Cælũ tendẽtem, per quam B. Andreas Pontificalibus indutum incedebat, vna cum filia ipsum sequentem, melos dabant voces Angelicæ canentes. Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt. Hac lętitia visæ filiæ mortis, dolorem mitigauit.

Virginis puellæ transitus mirus.

23. At insigniora videamus; relata quoque à Zaccheria Lipeloo, in vita eiusdem S. Anno incarnationis Dominicæ 1440. Eugenio 4. Pontifice Max. Philippus Maria Mediolanensium Dux Ecclesiæ, Florentinis vltrò bellum intulit. Iamq; multis circum oppidis crudelem in modum deuastatis, vltimum pænè exitium Florentinis, & Cardinalibus, qui cum Eugenio Summo Pontifice Florentię erãt, imminebat, cùm neq; mens, neq; ratio, quibus validissimis hostium viribus resisterent, suppeteret. Erat Ciuium animis ingens iniectus metus, omnes trepidare, festinare, armis diffidere & suo quisq; metu pericula metiri, cũ tota ferè Ciuitas Andreæ nostri Corsini miraculis excitata, singulari deuotionis studio ad Ecclesiam Carmelitarum conflueret; & inter cæteros adolescens quidam multis decorus virtutibus aduenit. Cui tota mente, diuinis rebus intento B. Antistes apparuit, mandans ei, ne tardaret Prefectis sua verba referre scito, inquit, quod Deus Israel, qui manu potenti Pharaonis exercitum confregit, clarissimam vobis de aduersarijs omnibus victoriam largietur. Confidite, & rem cùm hoste

Philippus Maria bellum gerit in Florentinos.

Apparitio.

armis

armis gerite; Quinto, à S. Ioanne Bapt. proximo festo victoriam de hostibus reportabitis. Adolescens, etsi Numinis visione vehementer exterritus, audita tamē Præfectis belli nūciat. Illi de pietate, & ope Antistitis confisi, milites colligunt, & parua manu hostis exercitū, bellicis rebus instructissimum, in effusam fugam conuertunt. Hoc tàm felici belli euentu, Ciuitas à præsenti internecionis periculo erepta, ingentes Deo gratias agere, Antistitis sanctitatem, virtutemq; laudare, manus in Cęlum tollere, vota nuncupare, & oībus modis apud summum Pontificem Eugeniū instare nō cessat; vt Andreæ in Diuorum numerum relato, cælestes honores decernat. Eugenius tametsì iàm ante satis, superq; insignem viri sanctitatem compertam haberet, rumoribus tamen nouis permotus, nihil vltra differendum ratus, eximijs prius sancti viri virtutibus, egregia oratione, explicatis, libens Florentinis annuit, & in Cœlitum numero collocatum, pia voce, inuocat. Victoria.

24. Addit M. S. Codex, ex hac victoria ordinatum fuisse maximum festum, videl. solemnē processionem totius cleri regularis, & secularis, ad Ecclesiam Carmelitarum, vbi de sancta Trinitate sacrū fecit Episc. Fesulanus, quo terminato, DD. Cardinales D. S. Crucis, D. de Capranica, D. Columna, D. Andegauensis, D. Placentinus, & D. S. Marię nouæ supplicarunt D. N. Eugenium de ostensione corporis S. Andreæ, & eius iussu, in ea processione, ostensum est omnibus Corpus S. Andreæ, ità integrum, vt ei nihil omninò deesse videretur. In hac ostensione Dominus Papa turrificauit ipsum, & orationem ei direxit, concedens, vt eius nomen possit inuocari, ac eius reliquias venerari, tanquam Beatus in æterna Patria. Hæc ibi. Festum in Ritu...

25. Refert item, quòd cum Bononiam mitteretur ab Vrbano V, pro sedandis ciuium litibus, data est ei auctoritas excommunicandi, & agrauandi etiam pęnis temporalibus, proteruos omnes. Quòd humiliter se gessit, & in Conuentu S. Martini Maioris de Aposa moram duxit. Quòd rebellium parte ab eodem excommunicata, pænis, & minis itèm expulsa, quidam infirmitatibus varijs vexati, ad ipsum Auctoritas apud Bononienses.

pro sanitate recuperanda humiliter accesserunt,& obtinnerunt. Quòd tandem ciuitas quiete donata Nobiliores Bononienses vsq; Fesulas se ei associarunt.

26. Plura alia miracula varij generis, varijs locis, tabellis, & inscriptionibus digestis referũtur; vt de Plebano diù cum populo suo litigãte, & iniustè eiecto precibus S. Andreę, cui votum vouit, tandem acclamantibus omnibus, miro cum honore recepto, & in locum suum restituto. Et alijs febribus, cœcitatibus, & malis genijs liberatis.

27. Anno 1439. in translatione corporis B. Andreæ Bilia Florentina vxor Francisci Martini de populo Sancti Fridiani lecto affixa morabatur, sine vsu pedum, resolutione neruorum diuexata: Fama accidit de B. Andrea, orationibus, & lachrymis, toto corde sanari petit; & paulò post recreata fulchra deponit, & ad sepulchrum viri Dei sese confert, sanitate, & gressu plenè recuperatis.

28. Philippus Donini filius, S. Fridiani, vlcerata tibia, in lectulo decũbens, gressu priuatus, vehementer cruciabatur. Audit miracula à B. Andrea noua, & inaudita, capitur ire, & animo obfirmat, se ad eius sepulchrum collaturũ votes sanitate adepta; ecce mirum, statim è lectulo surgit rectus ad aram venerationis, & gratiarum actionis causa, liber pergit.

29. Nicolaus Augustini Nicolai, venerantes reliquias B. Andreæ per sacerdotes in sacrario ostensus populo maximo, seorsum deridebat, & illicò oculorũ lumen ammittit, exclamat; heu, heu me miserum. in terram cæcidit, & cum diù cæcus permansisset, orat, & pęnitentia ductus, ad sepulchrum S. Patris, lumine restituitur.

30. Leonarda vxor olim Bartholomæi Bartoli eiusdem populi apoplexia in brachio, & manu adeò cruciabatur vt omne robur ammitteret, & inutilis, nullo vacaret negotio. Aures eius de B. Andrea sermo pepulit, & ire inclinauit, & iuit. Offert ceream imaginem, & statim liberatur.

31. Marcus Antonius Aini de populo S. Stephani de Ognano ad decennium altera tibia, nimio dolore correptus, ammisit sanitatis recuperandæ spem omnẽ; Audijt viri Dei

sa-

famam, deferri voluit ad eius sepulchrum, tetigit illud manibus, dein tibiam, ò benignitas, sanitatem illicò recepit. ambulauit, cucurrit, miraculũ omnibus patefaciens. Quod etiam testificatus est coram Reuerendiss. D. Benozzio de Federicis Episcopo Fesulano. D. D. Ioanne Nicolao de Spinellinis. Salutato de Salutatis Canonicis S. Reparatæ ciuitatis Florẽtiæ. Ex tabulis Amidei Francisci Notarij Florentini anno 1439.

32. Anno 1440. D. Betta vxor D. Philippi de Lenzis Pratensis infirma brachio, & aure irreparabili morbo, ex medicorum assensu, audiens S. Andreæ laudes à concionatore, se ei tota cordis deuotione commendans, terminata concione, sanitate donata est.

33. Sub idem tempus. Angela filia Chechi sponsa facta, dum ad sponsi domum pergit, mente capitur, & stulta sanè omnibus ludibrio erat. Audit mater eius filiæ miseriam, ipsam vouit B. Andreæ, rogans summis precibus, liberari filiam à demẽtia sua. Ducit ipsam ad B. Andreæ sepulchrum, & ante eius aram rogat flexa sanitatẽ filiæ, post aliquot dies menti reddita, & libera facta est.

Laus Deo, & B. Andreæ.



VITA SANCTI AVERTANI CONFESS CARMELITAE.

Ex Speculo Ordinis Carmelit. Ioanne Paleonidoro, Didaco de Coria, Cæsare Francioto, & alijs.

Moritur Lucæ Anno 1380, Colitur die 25. Febr.

1 ESTAS S. P. N. Auertani viri colendæ memoriæ, breuiter apud nostros transcripta leguntur. Non laudamus, narrare incipimus; Animam in Cœlestibus cumulatam meritis, sat est in terris, religiosō suspici, ac venerari silētio. Conspirant omnes Auertanum nostrum genere Gallum, patria Lemouicēsem fuisse. A teneris, Catholicis, ac pijs parentibus suggerentibus Deum timere, & Virginem benedictam colere, didicit. Adolescens, luce præeunte diuina, abdere se mundo, & piæ conuersationis studio, claustraliū more, Religiosam ducere vitam decernit; satius Deo, quàm hominibus inseruire, etiam reluctantibus Parentibus, deliberat. Lachrymosis quotidiè orationum petitionibus, ante B. Virginis aram, Cœlum ipsum pulsat, quid illi statuendum ad Animæ salutem humillimè petens.

S. Auertani patria.

Adolescētia.

2. Hæc prima florentis illius ætatis semina. Pijs nocte quadam fessus exercitationibus, Angelū Domini per visum, luce coruscum adstantem sibi, & hæc verba ore liliato promentem videt, & audit. Surge virorum optimè, & ad B. Virginis de monte Carmeli sacratam ædem illicò propera, cùm cæteris illius familiæ, vsq; ad noua monita, mansurus. Mira hac visione, etsì perterritus, noctu è cubili surgit

Visio Angelica.

& sta-

& statо tempore, mundanis omnibus relictis, ad Lemouicense Carmelitici Instituti Monasterium, in eadem vrbe doctrina satis, ac pari religione insigne, conuolat; vt quemadmodum Cęlorum Regina ab origine per Eliā hanc sanè familiam institutam, & Prophetarum filios prosecutā, & auctam, semper dilexit, protectioneq; fouit, ità eius disciplina compositus, ab eadem quoq; diligeretur, foueretur; Carmeliticum Habitum, & locum, fauorabilibus votis tandem, Deo volēte, obtinet, Religiosorum cętui cooptatus, tanto cum feruore Deo, Deiparæq; Virgini inseruire cæpit; vt hoc insigni Elogio, à viris sanctis, & pijs insigniri meretur. Auertanus vir morum sanctitate præ cæteris sublimis, & eminens. Nouitius nemini secundus, obedientia adeò prelucet; vt inter coętaneos suos vulgò obediētię filius denominaretur: Professione tandem emissa, orationi noctu, diuq; vacat, nunquam defessus. Imò pluries in Deum contemplatione raptum, ab ea nemo fratrum, integro die, auocare audet.

Fit Carmelita.

Elogium, Religionis D. Auertani.

3. A nemine accepimus, num sacerdotali dignitate decoratus. Illud insigne, quod cùm Gregorius Vndecimus, cui optimè cognitus, Patria enim Lemouicēsis erat, ad apicem Pontificatus euectus anno 1371. ex Coriolano; Romanam Curiam è Gallijs, vbi per 76. annos steterat, ad vrbem, monente S. Catharina senensi, reduxisset annò 1376. Auertanus ardenti, Romam ad Apostolorum limina adeundi, & Lateranensem Basilicam, quæ super omnes vrbis, & orbis Ecclesias supremum obtinet locum; vt ex constitut. quam Pontifex summus ex Aucnionensi ciuitate dederat; quæ incipit, Super vniuersas, &c. deuotè visendi desiderio flagrare cæpit. Quare Sanctorū omniū festo concelebrato, facultate obtenta, anno 1379. comitem habet fratrem Romeum, & ipsum, credimus, Lemouicensem; quippè qui mira fulgens sanctitate, sancti viri ductum fideliter sequebatur. Vix Italicas Alpes, ac præruptos Montes aggrediuntur, cum Auertanum tetra morbi semina terrere incipiunt; Hinc passim per vrbes, & oppida, gressus suspendere opus est eis; nec tamen ab itinere deficiunt, nec ieiunio laxantur, nec orationibus

An Sacerdos ignoratur.

Profectio Italica.

Comes in Itinere.

nibus fatigantur; grauiter quidem affectus vir Dei peregrinationis allectus dulcedine, ardua facillima illi; imò imbrium, niuium, atq; ventorum glacialis hiemis dissensio, vel pugna ipsa imbecille corpus reddebant impauidum.

Lucam petit. 4. Lucam inter Etruscos inclytam, liberamq; Ciuitatem, Deo duce, peruenere; Hospitio S. Petri maioris ad vrbis mœnia, alter laxatus itinere, alter morbo correptus, summa excipiuntur charitate, ad hoc enim Xenodochium Peregrini frequenter diuertere solebant. Verum S. Auertanus ingrauescente morbo, supremum vitæ præsagiens diem, Ciuitatis

Infirmatur. ingressum humiliter expetit, nec precibus obtinet; Ferunt enim tunc temporis, & Epidimiæ morbum per Italicas oras grassari, & bellorum rumores vbiq; locorum inualescere, schismate præualente; æquo animo, impedimenta suffert, & prophetico numine actus, grauissimum schisma aliqualiter Deiparæ Virginis precibus sedandum prædixit. Quod euentu ipso comprobatum est; instituto enim ab Vrbano sexto sacro Visitationis festo, schisma cessauit; Mors imminebat vita excessuro, cùm precibus, & orationibus enixè, socio eiulante, atq; dolente, illius animam citò ad Cęlum volaturam Deo suppliciter commendat. Prædicit itèm abiectum corpus suum à Lucensibus viuens refutatū, ab ijsdem tandem mortuum summis honoribus, principaliori Ciuitatis loco condendum fore: subinde Carmelitas in D. Petri Ciuilis Templo gloriosè victuros, vbi ipsum Carmelitam, in D. Petri hospitio incognitum spiritum paupertimè exalare contingebat. Postea Ecclesiæ sacramentis recreatus, inter odores, & miros lucis splendores humilis Peregrinus, Hospitalario cùm socio mirantibus, sanctā efflauit animam anno Domini 1380. die 26. Februarij.

Prophetat.

Moritur.

5. Dùm autē Sancti Peregrinatoris obitus per hominum ora euulgatur, frequens illicò cuiuscunq; Ordinis multitudo ad sacrum funus piè colendum accurrit. sacrum viatoris corpusculum, cęlicum pignus, reuerenter inuisunt, Mulieres maxima Religionis pietate, floribus, ac virentibus herbulis, sepulchrum exornātes, gratissimo perfundebantur odore, & insolito miraculorum stupore, in aridis, Paraly-

Pietas Lucensiū erga sāctos.

ralyticis, cęcis, & alijs, ordinum omnium concursus in dies augescit B. Auertanus mortuus magis, quàm viuus honorari, ac exaltari cæptus est.

6. Pio sancti viri funere euulgato atq; sanctitate per testes fideles comprobata, D. Paulus de Gabrielis Eugubinus, tūc temporis Episcopus Lucensis, annuente senatu, Populoq; Lucensi, decreto sanciuit, magna cùm solemnitate sacrum pauperrimi Carmelitæ corpusculum, nobiliori loco, in Ciuitate collocandum esse. Præfinito die, incredibili populorum frequentia, à toto clero in vrbem Lucæ deuotissimè translata, & in Ecclesia Parochiali S. Petri, honorifico Tumulo, sacra sunt condita Pignora D. Auertani Carmelitæ. Apparat• funeralis.

7. His, B. Romei Carmelitæ eiusdem S. Auertani, indiuidui comitis paucula libenter attex imus, ex ipsis Lucensium fragmentis à Cæsare Franciotto collectis. Is enim fideli orbatus socio, & dilectissimi fratris mæstitia consumptus, dolore transuerberatus, volente Deo, graui cæpit & ipse infirmitate laborare, septem dies māsit infirmus; primis illis, morbus nihil remisit. Sequentibus verò, febris ardor ità incalescit, vt octauò die ad Cęlū gloriosè sit euocatus. Quare sanctus fidū quē habuit in terris, in Cęlis itèm immortalē habet sociū, sepultus eodē Loculo, quo Sanctus Auertanus. De B. Romei infirmitate alij Henricus.

8. Temporis successu, ob nouam D. Petri Templi fabricam erigendam, de Ciuium Lucensium assensu sacra sanctorū Auertani, & Romei corpora solemni apparatu translata, depositaq; fuere in Cathedrali Ecclesia, cùm repetitione, vt in Tabulis manuscriptis apud Excell. D. Iosephum Altogradum, quas dum lectoris munere fungeremur Lucæ anno 1597. vidimus, atq; publicè in Ecclesia Cathedrali de suggestu anno 1598. testati summus. Corpora horum sanctorum, vnica plumbea Arca, in eiusdem Cathedralis sacristia occlusa seruantur. Sancti viri Auertani publicum cultum Paulus V. pietate fulgens, toto Carmelo lætante, sub duplici officio concessit, anno 1609. Reliquiarum translatio.

9. Superest memorandum Carmen, insigne huius antiquitatis, & veritatis historicum monumentum, vnà cùm depictis eorundem sanctorum imaginibus.

Car-

Epitafium ad D. Auertanum & Romeū

Carmeli quondam, nunc Auertanus Olympi
Cultor in hac moriens ossa reliquit humo.
Græcus Ioannes Lucensis origine nuper,
Eruit, & Celso sustulit ille loco.
Romeumq́, dedit Comitem, qua iungeret Urna
Vnus honor, quibus in ætheris Vna Domus.
Vt quia perpetuò regnant cum Principe vitæ,
LVCA sub ipsorum Numina tuta valet.

Scriptores.

10. De Sancto Viro Auertano scripsere, Mag. Baptista Cataneus Venetus, vt in Chronico Carmelitico, Ioan. Paleonidorus, Battauus lib. 3. cap. 12. eruditissimus P. Cęsar Franciotus, & alij. Rogamus, vt dum peregrinamur in terris, Auertanum Peregrinum protectorem habere mereamur in Cęlis.



VI-

VITA
SANCTISS. MATRIS
TERESIAE VIRGINIS
Nostræ Religionis iubaris,

Ex ijs, quæ ab Episcopo Turiasonensi, Francisco Ribera, Compendio Ioannis à Iesu Maria Discalceat. & alijs præstantiss. viris recensentur.

Vixit ab anno 1515. vsq; ad annum 1582. Moritur sub Pontificatu Gregorij XIII. felicis record. Colitur autem die 4. Octobris.



1 MMORTALIA præclarissimæ Virginis Teresiæ facinora, immortalem iurè exigunt calamum, vt maximarum illius rerum Lectores, pari lectione afficerentur. Res .n. grandes æqua æstimatione perpensæ, altius imprimuntur. Verùm quæ pro tenuitate, exili sed verò stylo modò recuduntur, legentis pietate compensentur. Prolusio.

2. Anno igitur à Virginis partu 1515. quinto Kal. Aprilis, Abulæ in Hispania ex Alphonso Sanchez de Cepada, & Beatrice de Ahumada ingenuis, & nobilissimis parentibus ortum duxit inclyta Teresia Virgo. Infantilitate plena Deo, nulla suauior: vnà cum lacte Christianorum moribus imbuebatur, quare septenna ipsam clementissimus Deus ad se allicere cæpit. Rodericum fratrem Germanum habuit, qui postea militum ductor, apud occidentales obijt; Hic vna cum sorore piorum librorũ lectioni impensius vacabat, & ambo sanctorũ Marty. historijs abrepti, ad omnes cruciatus non se tantum excitarunt, sed & re ipsa

Ortus D. Teresiæ.

Pueritia.

Studium.

Martyrij desiderium. Christi nomine viriliter accinxerunt. indicto die, consulto Deo, clàm Domo ac Vrbe excesserunt, Maometanorum Regna petẽtes, vt capite fortitèr dato, Christũ lucrarentur. At patruus suus inopinanter obuiat, rem demiratus, intercipit viam, & domum ambos reducit.

3. Re igitur infecta, ad noua pietatis exercitia animum reflexere; in paternis .n. hortis, pueriliter certè schemate, sed Clariora studia. senili sensu, heremiticas cellas ad solitudinis otiũ cõstruere cęperunt. Simulacra illa, etsi inter manus decidentia, internorum tamèn vtriusq; desideriorum in res diuinas indicia dabant. Samaritanæ imagine, ac Verbis illis, Domine da mihi hãc aquam, Teresia Virgo mirificè capiebatur.

4. Duodéna facta, Beatrix eius Mater è vita migrat, cuius Vouet se B. Virg. pręmatura morte perculsa, inter lacrymas, in Beatiss. Virginis Mariæ clientelam, coram illius imagine flexa se dono dedit. Aegrè tulit humani generis hostis hæc Teresiæ specimina, quare duplici bello, ipsam à recto tramite deuiam dare constituit. Primum, vanissimam equestrium librorum Diabolica tentatio. lectionem illi in ipsa domo suppeditat; Vnde hæc damna familiarissima, temporis iactura, vestis pretiosior, odoramenta, Cincinorum recuruatio, manuum nitor, formæ ostentatio, erat .n. facie pulchra, tribus neuis ad gratiam signata, statura mediocris, & forma elegans: & hoc studium turpibus carebat; ità præseruanda erat, quæ sanctitatis exẽplar erat prębitura. Alterum irritamentum, stricta Consanguineorum cõsuetudo fuit; & potissimum cùm non vsq; adeò cordata Puella, quę Virginem quatuordecim tunc annos agentem, à primæua pietate abducere conabatur, verum à Deo non discedebat, quæ cùm Deo semper erat. Tribus duntaxat mensibus, leuitatibus istis inseruiuit, quibus Infirmatur. refutatis, in Monasterium Puellarum Domina Nostra de gratia dictum, se recepit, in quo animi viribus reassumptis, vanitates omnes resecat, & Deo inseruire ingenti studio cępit. At infirmata morbo, sanitatis gratia domum Paternam repetit.

5. Conualescit de infirmitate, & partim apud sororem, partim apud Patruum suum extra Abulam sanitatis causa,

in

in ſacra librorum lectione detinetur, qua propter de meliori vita conſcia facta, mundi conſuetudinem relinquere decernit; vnde 4. Nonas Nouembris anno 1533. acutè diſcuſſa, cum Antonio de Ahumada fratre Germano, ſummo mane, oratione præmiſſa, è Domo clam exit, & in Monaſterium Incarnationis, quod Abulæ inclytum, & B. Virgini de Monte Carmelo ſacrum ſe conſtantiſſimè abdit.

6. Relictis mundi oblectamentis, hilari vultu, apud Virgines illas, ſuauiſſima comitate probari cæpit, & tanta fulget exemplaritate; vt paulò poſt veſte ſacra Carmelitici inſtituti indueretur, cuius Religionis ingreſſum multò ante vaticinatum fuiſſe nobiliſsimi aſſerunt ſcriptores. In ipſo probationis anno à Regulæ præſcripto, & orandi aſsiduitate, nedùm tantillo diſcedit, ſed pleniſsimè illius obſeruatiſsima fuit: & quamuis aduentante profeſsionis emittendæ die, ac in ipſo propemodum actu ſolemni, diabolicis infeſtaretur tentationibus, fortiſsimè præualet, ac ſe ipſam deuouet. Fit Monialis Carmelitę.

7. Verum morbi inualeſcebant, ſincope, Comitialis, alijq; plures; vnde auxilio medico deſtituta, è clauſtro vna cùm Moniali ei familiariſsima in Oppidum Beudas curationis gratia deducitur: Manſit à hyemali initio, vſque ad ver nouum, apud D. Mariam de Cæpada eius ſororem: ſecum habet Oſunnæ viri pijſsimi Abecedarium tertium, quod à Patruo dono acceperat, in cuius aſsidua lectione verſãs, ſupra captum eleuata, quietis & vnionis gradus ſcandere cæpit, & Chriſtum quoad poteſt præſentem imaginatione verſat. Tribus decurſis menſibus, cùm nec ſanitatis compos fieri poſset, hetica laborare ipſam Periti credunt; quare feſtiuiſsimo Aſſumptionis die, ſpaſmo quodam immani, in quatriduum protracto correpta, extrema vnctione de more ad obitum delibuta eſt; & iam Moniales in Monaſterio Feretrum ei parant. Quatriduo elapſo euigilat, & illis conqueritur, qui ipſam euigilare fecerunt; cũ Cœlum & Tartarum ſe luſtratam fuiſſe affirmaret, de qua re pręclaros teſtes conſulito, apud P. Ioannem à Ieſu Maria; In Paterna domo, Pœnitentiæ ſacramento ſolata, & Euchariſtico pane refocilata manet. Morbis cruciatur.

8. Monasterium etsi languens repetit, octo mensibus iacet, tribus annis morbo laborat, tandem sanctiss. P. Ioseph precibus, contractione solum incedere cæpit. At ei inuidens Diabolus relaxationis morbo eam diuexare non desistit: siquidem accedentibus ad eam amicis, & consanguineis, verba dare blanda non desijt; vnde orandi munus intermittens primæuæ eius fidei feruore tepescere conatur. Quo tepiditatis anno, quadam vice, internis oculis Christum grauissima specie, columnæ religatum nuda brachia laniata exhibentem videt, cuius aspectu terrefacta, à quacunq; rerum mũdanarum occasione, se deinceps expeditam reddit. Vnde P. Vincentij Varronij Dominicani prælectoris, qui erat à confessionibus, consilio permota, intermissum orandi studium resumit; nec deerant quidem Carmelitarum Patrum religiosa officia.

Languet.

Retardatur.

9. Per annos ferè viginti, quæ Dei, quæ suæ salutis erant secretò conuoluit. Labitur tandem Virgo ante Christi sauciati imaginem, & in Oratorio suo illam conspicata accenditur, & se tanto ardore excandescere sensit; vt eius intimi sensus ictibus scindi viderentur. Ad Crucifixi pedes prouoluta diuinę gratiæ incremẽta lacrymosis orationibus rogata, deinceps impetrauit: & cùm oratione iteratò instaret, quieti, & vnioni donata, Christi mirabili cõsuetudine frui, & imaginarijs visionibus illustrari, cæpit. Quod acceptum referendum esse Confessionum D. Augustini lectioni, cui summopere inuigilabat, cognouere omnes. Interim ad tantum sanctitatis culmen B. Virginis, ac sanctissimi Patris Ioseph precibus euehitur; vt omnium virtutum sublimitatem obtinuerit; ingenuo potissimum percutitur timore ne Dæmonis astutia decipiatur. Quare Franciscum Salzedum sanctitate clarũ in cõsultationem vocat, quippè qui cùm Theologo clàm rem discutiendam tractauit. Censores autẽ illam duriusculè pręmentes ad quemdã Societatis Iesu patrẽ peritissimum remiserunt; Hic mitius se habuit, nàm circa Christi humanitatem exercitia illi iniunxit, & ad suauem quandam austeritatem suauiter illam allexit, consulitquè à P. Francisco Borgia Societatis Iesu Generali Abulam tunc tẽpo-

Ante Crucifixum stabilitur.

Consultat de sua salute.

po-

poris aduentante, consilium petendum esse, à quo accipit, diuino spiritui haud resistendum esse, sed Christi passione meditata, se Christo ipso committere, quo responso recreata, silentio cuncta meditatur.

10. Confessario Abula discesso, afflicta alium eiusdem Societatis obtinet, qui Spiritu sancto implorato, sancti Spiritus Hymnum per aliquot dies ad lucem obtinẽdam illi iniũgit. Rem aggressa subitaneo raptu meruit audire, NOLO IAM cum hominibus, sed cum Angelis verseris. suauitate nimia affecta silet. Et eam deinceps Deus alloqui cæpit. Quare Prophetiæ dono affulsisse apertè visa est, cùm, præter naturæ modũ, de sanctissimæ Trinitatis mysterijs, Christi humanitate, sanctorum beatitate, de animabus quæ igne Purgatorio expiantur, reuelatis allocutionibus sermocinabatur. etiam quæ futura prospiciunt, prædicit, Vt de sancto Angelo Carmelita, qui ei apparens librum pergrandem ostendit, in quo legit. Florebit futuris ætatibus ordo hic, & Martyres multos habebit. alia missa facimus. Prophetiæ dono fulget.

11. Verum in eam nouum excitatur bellum, nàm censores, qui supra, decreuere, ne sacram Synaxim tam sæpè sumeret, & vt solitudinem vitaret; in tanto mœrore à Collegio S. Aegidij dimittitur. Anxia facta Virgo post diuturnam orationem, sic illam Deus affatus est. NE TIMEAS FILIA EGO SVM, NON TE DERELINQVAM. Quibus verbis solata nimis, serenã sentit suauitatem, in lacrymas, & suspiria eliquescens, cor Deo plenum internæ paci donat. Et cruce arrepta, in Dæmoniacos hostes erumpit; Congredimini nunc omnes; experiri volo, an mihi potentissimi Dei famulæ nocere possitis: ex quo Dæmonum agmina ab hinc pro nihilo ducit. Non defuere tamèn, qui mulierem seductam, & leuitate tactam, etiam Dæmone obsessam, ipsam tribus annis venditarunt. Deus Teresiam alloquitur.

12. A. P. Balthasare Aluarezo, è societate Iesu eius Confessario tãtum fidebatur; Cœlestes in ea visiones acquiescebant: Verùm cùm à quodam seductam esse suaderetur, iussa est; vt ad quemlibet ei occurrentem, signo Crucis se statim munire non desinat: occurrit Christus visibiliter, en Teresia Armatur signo crucis.

sia cruce se muniens, & veniam ab eo petens; at lassitudine flexa, Crucem manu ostendebat obedientiæ gratia; vnde à Christo Crux surripitur, & quatuor fulgentibus gemmis cōstructa eidem redditur, quo singulari dono diutissimè perfruita est. Frequentioribus spectaculis Cor Virginis sæpissimè oblectabatur.

13. Illud insigne, quod cùm pro spōsi desiderio æstuaret, cum Propheta repetit: Quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus, inter ipsos homines nequibat diuinis æstuationibus resistere. Reticere nefas esset; Ipsam sæpè vidisse iuxta se ad sinistrum latus Angelum statura breuem, forma elegantissimum, igneo aspectu flagrantem, quem ab ardore Seraphim existimabat. ferebat ille manu iaculū aureū, è cuius spiculo summo, vt apparebat ignis eminebat modicus. quo, vulnerata corde dulciter sauciatur, subtiles edés gemitus, cùm ad clamorem deficerent.

Angelico iaculo sauciata.

14. Fortissima fuit in corporis castigatione, quandiù enim per morborum intermissionem licuit. Præter victum parcissimum, lectum duriorem, vestes rudes, se totam austerè nimis excreuit, flagellis, Ieiunijs, cilicijs, & alijs spiritualibus afflictationibus, se macerabat. Vnde à P. Petro de Alcantara Franciscano Discalceato (re altè percepta) hoc meret cōdecorari Elogio; Præter fidei Catholicę asserta, nihil habeo certius, quam Virginem Tresiam à Spiritu sancto duci. Hic censores sinceritati donauit, & P. Balthasarem alloquutus, omnem ab eo scrupulum abegit. Verùm ob multiplices à Deo collatos ei fauores confessarios conueniebat, viros sapientes consultationis gratia perquirebat, qui audita dona facilè diuina demirantes Teresiæ nomen cunctis euulgabant, magnificabant.

Mortificationes D. Teresiæ.

15. Austerior in dies sibi placidè facta, cùm D. Mariæ eius Neptæ, quæ in eodem Incarnationis Cœnobio educationis gratia degebat, & Ioannæ Soariæ Virginis amicissimæ, de mundi totali abdicatione, verba faceret. Primæuam Carmelitarum Regulam mitigationis insciam, summopere laudibus extulerunt, & modo, quo se heremitis illis primæ-

ue

uæ obseruantiæ arctissimè conformarent pernoctantes impensè student. Conuenit ergo inter illas, Deo preces offerendas esse, & sacra sinaxi reficiendum. D. Maria interim mille aureos pollicita est, pro arctiori monasterio cōstruendo. Consilio expleto, rem Deo, & B. Virgini Mariæ toto affectu commendant. Paulò post, Eucharistia percepta, Christus Virgini iubet, rem totis viribus obire, & Monasterium sub nomine sanctissimi Ioseph insignire, promittens rem pro voto successuram, se cum sacris Virginibus intra claustra versaturum, Cæli Reginam vni, Ioseph alteri Ianuæ præfuturum, Monasterium, velut stellam splendore conspicuum orbi lucem allaturum; Præcepit insuper, vt Confessario visa referret. Superiores enim, & confessarios pro Deo habebat.

Consultat de obseruantia primæ Regulæ.

16. Rem igitur P. Balthasaro Aluarez, è Societate Iesu mandat, qui causam P. Angelo de Salazar Prouinciali Carmelitarum remisit, qui & ipse petitionibus acquieuit: Hoc idem per litteras P. Petro de Alcātara Franciscano significauit, & ille vrbis Episcopum admonuit. Ciuitas tota excandescit, & in illam derisus excitatur. Interim P. Guiomar, & Teresia Virgo P. Iuagnez Dominicano rē totam exposuere, qui opus maturandum, & orationibus obtinendum dixit. Renouantur per Vrbem maledica, & Incarnationis Monasterium, vti fama denigratum conquerebatur; Prouincialis inter tot omnium Ordinum questus, perterritus promissis stare negabat. Et quod multum refert per litteras P. Balthasar Aluarez monuit ipsam à proposito retrocedere, Teresia verò patienter cuncta ferebat. At diuino monitu solata; vt sedate ageret, & Confessario ad tempus moram gereret intellexit: sex mensibus in diuinis Christi meditationibus quieuit, quibus elapsis, Romam de condendo nouo Monasterio litteras misit D. Guiomar, & responso accepto, per nouum Rectorem P. Gasparem de Salazara Virginem Teresiam fessam recreauit; Et Christus, ne moereret, citò afflictionem cessaturam amantissimè dixit; iniungēs vt Confessario insinuaret Crastina die; illi versiculum illum meditandum esse. Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis pro-

Bella spiritualia in ipsam Virginē.

Confirmatur in Regulæ acceptatione.

fun-

fundæ factæ sunt cogitationes tuæ: quare proximo, die luce circumfusus, intellexit Dei voluntatem, statimq; Virgini iniunxit, vt ad opus se accingeret. Parata pecunia per D. Ioannem de Oualle sororis suæ virum, domum emit Monasterio destinatam, & die 10. Augusti anno verò 1561. inchoatum est ædificium, cui præfuit expeditionis gratia D. Ioanna de Ahumada Virginis soror, & cum die quadam cæmentaria deficerent, Beatiss. Ioseph per visum iniunxit paciscendum cum mercenarijs, pecuniam neutiquam defuturam, quod re comprobatum fuit.

Christus redarguit ipsam.

17. Anxiabatur Virgo de exiguitate rerum domus construendæ, cui Christus, sacra synaxi recreatæ, ò generis humani cupiditas, quæ te sic afficit, vt terram tibi defuturam existimes? quoties ego abnoctaui, cum tecto carerem? erudita domum satis amplam ad cohabitandum cognouit, & gratias egit. A B. Clara solemni eius die pulcherrima forma visa, ad opus fortiter incenditur. Extructo tandem Monasterio ad nouam institutionem auspicandam, per visum à Christo facultatem, nedum à Prouinciali, sed ab Episcopo & Romam demandandam esse, vt monasterij gubernatio ei concrederetur accepit.

Primum Monasterium Abulæ.

18. In solemni Assumptionis die estaticè rapta, se candida veste amiciri animaduertit, à dextris B. Virginem, à sinistris verò S. Ioseph ipsam induentes adspicit. Hortata est, ne timeret, cum tutelares essent suæ nouæ fabricæ, in quorum fidem Monile preciosissimũ cruce signatum, collo eius iniecit; Et stupente Virgine Reginam Angelis stipatam in Cœlum efferri videt. Per id quoq; tempus, puerum muro ruente opressum, ab illius Patre Virgini delatũ gratè in vlnis suscepit, & demisso velo, quo caput obtegebat, caput infantulo admouet, orat secretò, ò Deus, expergiscitur puer, & ipsum sanum Parentibus eiulantibus reddit.

Estatica Visio.

19. Inuidet Dæmon benè cæptis, vnde murum clausuræ à fundamentis, etsì altum noctu euertit, re cognita, Virgo immota manens omnia necessaria pecunijs diuinitus acceptis, pro reparatione præparauit. Nam anno 1561. ad solandam D. Luysiam de Cerda Mariti viri Illustrissimi morte orba-

Dæmonis bellum.

orbatam, & languentem Toletum euocata est, quare Prouincialis facultate benignè accepta, Toletum venit, vbi in ædibus D. Luysiæ per sex menses, mira sanctitate, exemplariter vixit. Certior facta de Superiori eligenda in Monasterio Incarnationis, à Christo ipso, his quidem verbis hortatur. Neutiquam ab itinere supersedeas, quin potius, quandoquidem Crucis desiderio teneris, festina, grauis .n. tibi Crux imminet, ne illam detrectes: perge fortitèr, ac statim, ego tibi opitulabor. Confessario consulto, quę ęstuabat Christo, se, ęstiuo tempore, itineri dare non timuit, & opportunè quidem.

20. Eo tempore, quo Teresia Abulam ingreditur, litteræ Apostolicæ, redditæ Episcopo fuere, quibus præficiebatur nouo Monasterio. Re maturata, tandem die 24. Augusti anno 1562. Mag. Daza Eucharisticum Altare erexit, & quatuor Virgines inopes à Virgine Teresia delectas, Antoniam à Spiritu sancto, Mariam à Cruce, Vrsulam à Sanctis, Mariam à S. Ioseph. Veluti quatuor lapides angulares lætissimè induit. Et in hunc modum Regularis obseruantia Carmelitanę familię per Virginem Teresiam in Monasterio, cui nomen S. Ioseph, innouata est. Per litteras enim Pij 4. Datas, die 17. Iulij 1565. inter nouatas Virgines Primæuam Regulam Carmelitarũ, sub quorum disciplina per 27. annos vixit, introduxit. Quæ quidem à Patribus eiusdem reformationis in Comitijs Compluti celebratis amplexata est, & à Reuerendiss. Domino Cæsare Speciano Episcopo Nouarensi Nuntio Apostolico Madriti anno 1585. die 10. Octobris confirmata.

Moniales delegit & obseruat. primæ Regulæ.

21. Vix innouata est Carmeli obseruantia, vix noua clausura diuulgatur, cùm nouæ infestationes, ac perturbationes grassarentur. Nam vrbs tota sæuiens in Monasterium S. Ioseph subito quodam impetu irruere cæpit, & diù agitata, tum à Proceribus Ciuitatis, tum à sapientissimis viris, orans, & eiulans Virgo Teresia, vna cum filijs suis, rem suam Deo commendare nõ desistit. Inter merores aũt illos à Deo solari, his verbis, meretur. Nõne scis me omnia posse? Quid times? Certè noueris, Monasterium neutiquam destruendum,

A Christo solata.

dum, quicquid pollicitus sum explebo. Vnde paulò post tempestate sedata, tranquillo animo omnes esse cœpere. Etenim in Monasteriũ rediјt, & Deo propitio, summa tranquillitate, anno 1563. Prouincialis concessu quatuor alias Virgines, Anna à S. Ioanne, Anna ab Angelis, Maria Elisabetha, Elisabetha à S. Paulo consangninea Virginis Teresiæ clausura, se in eodem Monasterio adstringunt, quibus Annam à S. Ioanne præesse voluit.

Admiranda visio.

22. Discedens circa hæc tempora ab Incarnationis Monasterio, & in Templo noui Monasterij S. Ioseph orans, antequam claustrum ingrederetur, suspensa raptu, videt Christum ipsam excipientem, & pretiosam capiti eius coronam imponentem, ac pro labore clementissimæ Reginæ Cœlorum causa suscepto gratificantem aspexit. Alioq; die Reginã ipsam candida veste Monialis protegentem intuita est. Fama interim vbiq; locorum peruagatur. Hinc eleemosynæ multorũ milliũ, hinc multarũ Virginum nobilium, stupente mundo, in Monasterium ingressus, hinc omnium hominum ordines ad sacellum nouũ conueniẽtes mira circũferebant.

Orat pro infidelib.

23. Pauperrimo ergò septa Claustro, turbinibus mundi depulsis, tranquillissimam ducebat vitam, & Hortum Dilecto sæpè aperiebat. Rebus Religiosæ vitæ compositis, aquam habuit salientem de profundo Puteo, ad Monasterij commodum per aliquod tempus, non alio ab Vrbe concessa, aquæ emanare tàm altè cessant. Ad quinquennium peruenit suæ reformationis Virgo Teresia, cum à P. Alphonso Maldonato Franciscano, de quotidiana Ethnicorum morte in Indijs audit, cuius stimulo puncta, in vna è Cellulis eremiticis in horto constructis, ad orandum se abdidit, & de tot animarum periclitatione ante Deum causam egit; instabat diù, noctùq; pulsabat orationibus pro eorum salute, tandem audire meretur, paullum expecta filia, & grandia cernes: Cogitabat quæ grandia, nec penetrat, sperat, nec deficit. Interim Reuerendiss. P. Io. Bapt. Rubeus Rauennas Ordinis Generalis pro visitatione ingreditur Abulam & Monasterium; vt inuisat, operam nauat. Accedit, & Virginis prudentia, atq; vitæ sanctimonia antiquata Carmelo

floren-

florente, restituta disciplina, non modo cœpta, non improbauit, verum litteras patentes ad alia condenda Monasteria amplissimè illa dedit. & ne quis Prouincialium repugnaret seuerè interdicit.

Approbatur à Gener. Ord.

24. Grandia illa promissa à Deo per oracula tandem accipit non solum Monialium, sed virorũ etiam caput fore; cũ ergo Generalis Abulæ adhuc ageret, Episcopus cùm & de instituendis fratrum Cęnobijs cõfert, qui nonnullis reiectis difficultatibus, tandem gratiosissimè concedit; & duo Cœnobia dat extruenda. Facultate gratiosè obtenta, Monialium propagationem, Deo impellente, cœpit cogitare, & Abula discedens, Medinam de Campo adijt; secundum vt extruat Cœnobiũ, quod per R. Iulianum sacerdotem spatio dierum quindecim, agente R. P. Antonio de Heredia Carmelitarum Priore, domus satis commoda empta est. Abula tandem oratione præmissa, è Monasterio S. Ioseph Mariam Baptistam, & Annam de Angelis, ex Incarnatione verò datum enim erat omnibus ad reformationem transire. Agnetem de Tapia, quæ postea Anna de Incarnatione, Elisabetham, quæ postea Elisabeth à Cruce, & Teresiam de Querada secum abducit 13. Augusti anno 1567. vna cum Iuliano & alijs comitibus. Et licet in via per litteras moneretur domum emptam impediri à Patribus Augustinianis propter contiguitatem, non tamen animo frangitur; Accedit P. Antonius de Heredia Prior, qui ejus animum subleuat, aiens domum, quam ipse emerat honestã commodam esse ad rude principium. In vicino oppido, Villa noua dicto, sub custodia R. D. Vincentij de Ahumada, Agnetis à Iesu, & Annæ de Incarnatione, frater Germanus quatuor ex filijs suis relictis, ad Episcopum Abulensem sociata duabus alijs Vlmeto procedit, qui humaniter ipsam excipit, re exposita, statim cursu accommodato iubet Medinam peruehi, & cum intempestæ noctis silentio aduentaret, antequam dies illucescat, opera R. Prioris Carmelitarum, rudem locum, Deo disponente, à nouis Carmelitis inhabitandum, sericis tapetijs, & alijs ornamentis aulicis, ab Oeconomo Dominæ illius domus acceptis obtegunt, ità per litteras ei iniungitur,

Secũdum Monasteriũ erigit Medinæ.

Diligẽtia in erectione Monasteriorũ.

Tertium Monast. Villæ nouæ.

vix cęlum albore primo nituit,cum ad Vicarij domum conuenere destinati Patres, vt eius scriba fidē firmaret, ne quis obstaret, iuridicè Monasterium ibi cōstruendum esse; quod solicitè ità factum est; vt cohonestato loco, & Campanula in altiori ædis loco suspensa, ad primum auroræ splendorem, ad sacrum pulsaretur. Tota vicinia frequens accurrit, stupetq; nocte vna cæptum, & absolutum monasterium. Incredibile dictu, peruolat fama, irruunt turbæ, collaudant omnes Teresiæ fortitudinem, & sanctitatem. Sic ergo Monasterium S. Ioseph Medinæ lætissimo Assumptionis festo, anno 1567. ad immortalem S. Virginis Teresiæ laudem fundatum est.

25. Agitata diù extitit S. Virgo Teresia, ne loci direptione, sacrum Christi corpus aliqua iniuria afficeretur, quare aliam domum tutiorem, sedulè inquirere facit. Occurrit Blasius de Medina vir pius, qui è domo ampla sua partem S. Virgini Teresiæ commodauit, donec Monasterium repararetur. Accedit etiam D. Elena de Quiroga, quæ vnà cum filia postea in Monasterium, spreto seculo, se abdit Virginem inuisit, pecuniamq; ad extruendum sacellum, & Monialium Claustrum alacrè spondet. Vnde opera, & sedulitate, P. F. Antonij de Heredia Carmelita intra duos menses in Monasteriū Virgo reuertitur, & ipso incēdente Ciues multi eleemosynas erogant; Interim miratur Virgo quid sibi velit Christi silentium in hoc Medinę opere; cui Christus, quid vltra desideras, Annon satis apud illud miraculosum extitisse?

A Carmelitis adiuuatur.

26. Grandia alta mente reuoluens S. Virgo Teresia, secretò cùm P. Antonio de Heredia Carmelit. Priore, de condendis fratribus confert, qui suæ reformationis votum aperire non dubitat, decreuerat enim ad Carthusianorum institutum diuertere, lætatur Virgo, ipsum ad arctiorem disciplinam cohortata est. Accedit quoque alius F. Ioannes à Cruce Salmanticæ, tunc studijs intentus, cuius probitatem P.F. Antonio laudatam sancta Virgo expetit; cum eo quoq; de grandi proposito confert; quod ille auidè amplexus festinationem requisiuit.

Cogitat de fratrū noua reformatione.

27. In-

27. Interim Iuuenis quidē genere illuſtris, à Deo actus Medinam veniens pollicitus eſt, donaturū ſe amplam domum contiguum Viridarium, latamq; vineam, ſi valli ſoleti Monaſterium condere vellet, & expeditionem inſtabat. Sub idem verò tempus D. Bernardinus de Mendoza domum Valli ſoleti ſatis amplam donat, at rogata à Perilluſtri D. Leonora Maſcarena, vt Complutum ſe transferre vellet, ob inſtantem mortem D. Mariæ de Mendoza ſororis D. Bernardini de Mendoza, negare nefas putat, vbi ad duos menſes permanet. In diſceſſu ergo Toletum venit intercedente D. Luyſia de Cerda ſorore Ducis Medinæ Cęli, ſtatim Virginem Malagonum deducit, Monaſterioq; nondum coaptato, in oppidi Arcem per dies octo ſecedit, & in Palmarū ſolemnitate, tertium Monaſterium ſub titulo S. Ioſeph, cum alijs Monialibus ſuis ingreditur. Hic locus incommodus erat orationis ſtudio, propterea alium commodiorem Luyſiæ expenſis, citiſſimè erectum, ſe transferunt. ſæpè infirmitate quadam contractionis laborat. Fundat alterum Monaſt Valli ſoleti.

28. Vénit tandem Complutum, vbi de morte repentina D. Bernardini de Mendoza certior facta, & vocata, eo quod de illius damnatione multum timebat, rem cum Deo egit, à quo accepit igne Purgatorij ipſam expurgandā eſſe, quamobrem, ommiſſo Toleti Monaſterio, quod extruere cupiebat, Abula, Medinaq; tranſiuit, & tandem Valli ſoletum celeriter peruenit, præeunte Iuliano, in ipſo itinere, & alijs, ſecum habuit Eliſabetham Ariam, Antoniam à ſpiritu S. Mariam à Cruce, Iulianam à S. Madalena, Mariam à Viſitatione, 10. die Auguſti 1568. Valli ſoletum ingreditur, diſplicet locus, licet amęnus, obtenta facultate, ſacrum à Iuliano faciendum, qui cum Euchariſtiam Virgini porrigeret, eſtaſi raptam cernit; & Bernardinū, quem lętum vidit citò à pęnis Purgatorij liberandum accepit; die 15. Auguſti Aſſumptioni ſacro Monaſterium Conceptionis B. Mariæ de Carmine erectum eſt. Paulò poſt meliori conſilio Domum S. Blaſij Moniales deductæ ſunt. Nouo Monaſterio Valli ſoleti Eliſabetham à Cruce, olim Ariæ præfuit. In Abulam poſtea Toletum die 24. Martij anno 1569. vna cum Eliſabetha à De Purgatorij viſio

S. Pau-

S. Paulo, & Elisabetha à S. Dominico, quas Abula eduxerat, festinat.

Fundatio quinti Monasterij Toleti.

29. Toleti enim Martinus Ramirez discessit sine liberis opulentus valde, qui morte præuentus, nequiuit spirituale opus quodam explere, ei successit frater Germanus, cui ab eodem Martino iniūctum est, opera P. Pauli Hernandez Iesuitę, vt nouum conderet Monasterium Virginibus Carmelitis; At Aloysius pactiones iniquas proponens discessit, à testatoris voluntate. Nequibant primarij animi duritiem frangere, quod fecit deinde Virgo Teresia; Andrada enim pauperrimus, à P. Martino à Cruce Franciscano missus, Virgine iubente, plenè perficit, Domum conducit, & claues manè Virgini affert. In nocte sequenti Virgo Teresia apparatum, pro sacro faciendo citissimè apponit. Vicinorum rumorem excitatum sedauit, & quæ necessaria erant parare non destitit. Auditores Archiepiscopi succensi Virgini minantur, cum abesset gubernator, à quo facultatem obtinuerat, silent tandem, re benè cognita. Eleemosynarum copia immensa erat, & Alphonsus Aluarez non modo inopiæ succurrit, sed Capellā, quam appellant maiorem, in posteritatis sepulchrum ædificat, & domum pro Monasterio faciendo, duodecim aureorum millibus emit, & alia pacta, pro sacris offerendis solemni ritu, è Monasterio Malagoni duas sorores, & alias Abula, è Monasterio Incarnationis euocat, in quo viginti septem annis spatio, virtutū specimē didicit.

Sexti Monasterij Pastranæ fundatio.

30. Condito Monasterio Toletano, vix quintus decimus dies effluebat, cùm per certum Nuntium D. Annæ de Mendoza Principis nobilissimè vocatur ad condendum Monasterium Pastranæ. Aegrè tulit nuncium, tamen decernit illò ire, consultatione facta cum Christo, qui sic illi iniunxit. Filia ito prorsus, alia quippè de causa, quæ modo latet, eò destinaris. tecum Regulam, & constitutiones effer. Discedit ergo tertio die Pentecostes 30. Maij anno 1569. cum duabus Monialibus Conuentus Toletani, humanissimè excipitur, & per tres menses, res actitata est. tandem die 9. Iulij eiusdem anni nouum conditur Monasterium, cui nomen Dominæ nostræ de Conceptione indidit, & Elisabetham à

S. Do-

S. Dominico, vt presit Pastranæ Monasterio mittit.

31. Mira Dei bonitas Virginis Tereſiæ opera aſſociatur & grandeſcere in dies volebat, quare per Litteras P. Martinus Guiterez, è Societate Ieſu vocatur ad Monaſterium ſalmanticæ extruẽdum, iam ab Epiſcopo facultatem obtinet, Domus interim conducitur, & ipſa Maria à Sacramento aſſociata diſcedit, ad nouum opus extruendum, & in profeſto ſanctorum omnium anno 1569. Salmanticam ingreditur; ad conductam ædem per Nicalum Guitierez mercatorẽ deducitur, & increpuſculo noctis, iuuãtibus fratribus Carmelitis, vnà cum P. Guitierez ſummo manè, Eccleſia ornata apparet, ſacrum fit, & Monaſterio S. Ioſeph titulus imponitur. Abula deinde, & Medina nonnullæ Moniales euocantur, & Anna de Incarnatione alijs præficitur. Subinde ſanctitate flagrans noua domus, aucta eſt ingreſſu nobiliſſimarum Virginum. Septima fundatio Salmanticæ.

32. Diligẽti operariẽ Meſſis valde creſcebat; etenim Franciſcus Velaſquez, & Tereſia de Laiz nobiles coniuges, pro octauo Monaſterio Albæ extruendo Virginem Tereſiã euocant, & licet diù res ventilata, tandem concluſum eſt, negotium illud pium. Interim per ſomnium ſubtiliſsimum, ab Apoſtolo Andrea, domus in Monaſteriũ vertenda illi oſtenſa eſt maxima cum oblectatione; Die autem 25. Ianuarij anno 1571. Albæ Monaſterium fundatũ, & auctum à pijs coniugibus eſt; Ioanna à Spiritu ſancto prelata alijs. Octauum Monaſt. Albæ.

33. Poſtquam fratres Carmelitæ in Tereſia Virgine Dei voluntatem agnoſcunt (nõ enim omnes capiebant verbum, quid eſt modicum?) maximo ſemper honore vbiq; locorum ſanctam Virginem Tereſiam tanquam filiam in Conuentu Incarnationis longo annorum tractu editam, ſunt proſecuti. Quare nonnulli vnquam ſunt audiendi, qui acta ſanctæ Virginis deſcribentes paſsim Prouinciales, Priores & Fratres Prouinciarum Carmelitarum, velo pietatis obtecti abſconſo, acu pungunt. Sancta Virgo Tereſia filia fuit Conuentus Incarnationis Carmelitanæ familiæ Abulæ, per annos 27. in ipſo regulæ noſtrorum perfectionem eſt meditata, in ipſo à Deo vocata ad illius obſeruantiam: qua- Notatu dignum.

re haud mirandum, si Anno 1571. ab ipsis patribus Prouincialibus, & alijs, Carmelitici instituti, habenæ Conuentus Incarnationis Abulę cõmissæ Teresię Virgini, hilari vultu fuere. Imò ab ipso Christo iussa est incunctanter abire, vt optimè P. Ioannes à Iesu Maria pluribus lib. 3. Compendij vitæ S. Virginis.

Visio B. Virginis Mariæ.

34. Vnde mirum illud accidit, pridie solemniorum S. Sebastiani Martyris: Nam cùm Monasterij curam suscepisset gloriosissimæ Virginis Mariæ Imaginẽ in sede Priorali collocauit, dum autem in Choro (Salue Regina) cani inciperet è Cœlo descendẽtem Beatissimam Virginem, Cœlorum Reginam in eodem loco, Angelorum cateruis stipatam, quiescentem videt, Angelosq; sedium aliarum capitibus incumbentes, intentos conspicit. Vbi Cœli Regina Teresiæ sic est effata. Rectè egisti, dùm in sede hac me collocasti, ego sanè intercero laudibus, quæ filio meo hic redduntur, easq; illi ego ipsa offeram. Quibus optimè apparet, quantum Deo, & B. Virgini carum fuit Monasterium illud Incarnationis, mitigati (vt aiunt) instituti.

Nona fũdatio Segouiæ.

35. Duobus annis præfuit Virgo prudentissima, cum postea Segouiam, Christo iubente, cogitur ire, vocata à visitatore, vt Salmãticam, ob nonnullas Monialium necessitates occurrendas. Iam annuente Episcopo, Domum conduxerat visitator, & mense Martio die S. Ioseph anno 1573. maximo cum apparatu erectum est Monasterium, & Eucharistia reposita, Per Vicariũ Episcopi passa est multa, sed cuncta, Deo disponente, sedata fuere.

36. Iulianum interim, & Antonium Gaytan Pastranam Virgo Teresia mittit, vt inde Moniales omnes abducant, ob Principum licentiam. sub hoc idem Tempus à D. Catharina Gondinez ex oppido Veas, quod ad Beticæ confinia situm est, enixè postulatur, consultatione facta cum Christo de more, & à Visitatore venia obtenta, eò se contulit, vbi cum iam paratũ esset inhabitandũ monasterium, die S. Apostoli Matthiæ anno 1574. Illud ingressa est sub nomine S. Ioseph de Saluatore, & duę filiæ D. Catherinæ de Gondinez, quarum maior Catharina de Iesu, minor verò, Maria à Iesu

Decima fundatio in oppido Veas.

nun-

nuncupata est; Et Annam à Iesu instituit ad custodiam illius sacræ domus.

37. Illud vnum notatu dignum inserendum censuimus; Quod etsi multis, & grauissimis corporalibus detineretur morbis, laboribus, occupationibus, tamen nunquam libros scribere sapientia plenos, dictāte Spiritu sancto, intermittit. Primus liber est de diuinis affectionibus. Secundus iter perfectionis. Tertius de quadam Monasteriorum fundatione; Quartus Castellum interioris, siue mansiones. Quintus Cantici Salomonis explanatio.

Libros componit Teresia.

38. Historiæ perspicuitati inseruiens, hactenus distuli Cœnobiorum fundationes. Cùm ergo Medinæ S. Virgo ageret. P. F. Antonium de Heredia Carmelitā mitigatum, postea F. Antonium à Iesu, & P. F. Ioannem à Cruce incendit, ipsis à Deo sæpè orabat loca donari. Quare anno 1568. D. Raphael de Abula thexia sanctæ Virgini Teresiæ exiguā domum in oppido Duruelo Abulæ vicino promittit. venia obtenta à Prouincialibus, iàm paratam domunculam ingrediūtur, & in hunc modum primum virorum Cœnobium, auspice Deo, iuxta primæ Regulæ Patrum nostrorum præscriptum conditur. Paulo post ob loci incommoditatem, Manzeram oppidum propinquum, petente D. Luysio de Toleto, Ecclesiam ab eo acceperunt, & ità relicto Duruelo, Māzerę Cœnobiū conditum est; Deerat aqua, & P. Antonius Prior baculo illiso terræ, hic effodite dixit, & aquā inuenere.

Acceptatur prima Regula à Carmel.

39. Anno 1569. S. Virgo Teresia quendam Eremitam natione Italum virum doctum, ac prudentem nomine Marianum à S. Benedicto, & fratrem quendam eius comitem, cui nomen Ioannes à miseria Eremitas, in loco Tardon Hispali vicino, lęta cōuenit, & illos Regula primęua nostri Instituti ostensa, Pastranæ pro Monasterio à Principe Ruygomez donando dirigit; Habito itaq; consensu comprouincialium Carmelitarum Cœnobium nouum sunt ingressi. Quibus adhærere spontè voluit P. Balthasar à Iesu, ex mitigatis, è quibus Monasterijs, prodiere viri doctrina, & prudentia clari.

Eremitæ acceptat ad Religionē pro fundatione.

40. Præsidebat reformatis Patribus P. Hieronymus à Ma-

tre Dei, vir sapientia, & prudentia insignis, ex mitigatis Carmelitis Beticæ prouincialis commissarius, & visitator Apostolicus; hic rogauit sanctam Virginem Teresiam, vt Hispali Monasterium conderet, nam Archiepiscopi veniam liberè promittebat. Assentit Virgo, & Hispalum cùm sex Monialibus, & alijs comitantibus aduenit. Quibusdam pulsis difficultatibus, die 29. Maij 1575. Monasterium sub nomine S. Ioseph erectum est. Teresiam amplectens Archiepiscopus illi promittit liberaliter se cuncta præstiturum fore. Grauia tamen in opulentissima hac Ciuitate subinde passa est Virgo Teresia, tum propter Puellam in obseruãtia duram; tum propter Monasterij bonum non ẽ in discrimen vocatum; tum etiam propter nimiam pauperiem, quæ per longum tempus nullo subleuabatur auxilio: At permittente Deo, Laurentius Cepada B. Virginis Germanus frater, ei multis sumptibus, pręsto fuit. Domus est empta, & ex alio Tẽplo, Eucharistia allata, Archiepiscopus ipse sacrum summo cũ decore fecit 3. Iunij 1576. Monasterio Mariam à S. Ioseph proposuit Virgo Teresia, & discessit.

Vndecima fundatio Hispali.

12. Fundatio Carauacæ.

41. Discessit autem, vt in oppidum Veas se transferret, at litteris pulsata per D. Catharinã licentiati Muñoz vxorem, Carauacam inuitatur; quo nuntio læta intellexit tres puellas nomine Franciscæ inter eius sorores cooptari velle. At Hispali manere ei oportuit; non distulit tamen Carauacam Annam à S. Alberto, cum alijs quatuor mittere, quæ domum iàm paratam inuenientes, puellas acceperunt, & veste sacra indutæ Monasterio sub titulo S. Ioseph anno 1576. in die Circumcisionis, summo applausu, recũduntur.

Tribulatio in Ordine à Dęmone.

42. Ob malas, suggerente Dæmone, informationes Reuerendiss. Generali totius Ordinis, è diuersis locis datas censuit super sedendum fore, à Monasteriorum fundatione, donec res altius firmarentur, per annos quatuor res ventilatæ fuere, tandem Gregorio 13. Pontifice Max. concedente conclusum est, Discalceatos Carmelitas soli Generali parere debere; Interim S. Virginis paupertatis studium, obedientiam, gratitudinem, prudentiam, & alias virtutes, quibus florebat sanctissima Virgo recensere longum esset. Re-

bus

bus ita compositis monita fuit Teresia, Virgines numero Nouem, eius aduentum expectantes, ad Religionem admittere, & villæ nouæ Monasterium condere, cum illac expectata vehementer esset. Lætatur Virgo, & re consultatione maturata, à Christo quoque sollicitata operi incumbit. In eius itinere conuolant Populi, muneribus onusti, vt Virginem inuiserent, & festinè exciperent; benedictionem Armentis suis procurantes ab ea, tantę existimationis erat eius fama. Tandem villam nouam ingreditur Virgo 21. Februarij anno 1580. & festiuissimè excipitur; Virgines nouenas aduocat, & explorat, & Monasterium S. Annæ ingrediens, clausura perpetua illas munit.

Tertiadecima fundatio Villa nouæ.

43. Adhuc defaticationes Teresiæ Virginis metas non agnoscebant, fulgebat enim tanta humilitate, patientia, ac Dei amore, vt nullum prorsus sentiret in laboribus incommodum. Ex oppido itaq; Villæ nouæ Toletum, inde Valli soletum Virgo Teresia discedit, & cum ab Episcopo Palentiæ euocata per litteras fuisset, recuperata grauissimo morbo, conualescens ad Pallentinum opus illicò se disponit. Re cum sapientissimis viris communicata, post sacram Synaxim, à Deo impulsa, audiuit. Quid times? Quando tibi defui? idem profectò semper sum, ne monasteria respuas. Quibus verbis non adhuc firmata valetudine, Valli soleto discedit; & locum paratum à Canonico Reynoso postridiè festi SS. Innocentium, Monasterium cui S. Ioseph titulus inditus est, erexit. Accessit Episcopus gratulaturus, & eleemosinis amplis erogatis, valdè lætatus est. Visum est populo aliam domum, quæ propria esset (illa .n. conducebatur) emere, & Templum B. Mariæ de via occurrit; sed emergentibus difficultatibus B. Virgo rem cum Deo agit, vnde sub sacram Eucharistiam, audit, Hæc scilicet B. Marię Ecclesia tibi expedit, multa quippè crimina in eo loco patrabantur, quæ monasterij sanctitate erant expurganda, & cum hæsitaret an verba Christi essent, audit, ego sum, conquieuit. & templo B. Virginis de via comparato, Episcopus Pallentinus accedit, & sanctissimum Sacramentum ritè locatur, Monasterium S. Ioseph B. Mariæ de via appellatum

Quartadecima fundatio Pallentię.

Propensa animabus Purgatorij. est. in hoc Monasterio visa est Virgo Teresia, ab alia moniali, inter suspiria scribens fulgere vultu, splendore admirabili in Deo rapta. Hic inserendum, mirũ fuisse Teresię in Deum, & proximum amorem, ardentissimamq; charitatem, in peccatores subleuandos, in ægrotos adiuuandos, & præsertim in Animas Purgatorij liberandas, etenim tot Animas è Purgatorio igne, suis precibus liberauit, vt si scriberentur, molestiam lectori generarent.

Quinta decima fundatio Numātię. 44. Properamus ad quintum decimum Monasterium Numantiæ extructum; etenim Oxomẽsis Episcopus per litteras Virginem incitat, ad Conuentum Numantiæ erigendum, precibus D. Beatricis de Vaimonte viduæ, quæ Monasterium erigere promittebat. Placuit votum. Et sex moniales quarum Catharina à Christo præfuit loco disposito 14. Iunij 1581. primum sacrum festum, & Monasterium Sanctiss. Trinitatis nuncupatum est.

45. Sub initium eiusdem anni S. Virgo Teresia Abulam peruenit, electa Monasterij Priorissa; sed paulò post P. Ioannes à Cruce; vt B. Virginem Teresiam Granatam deduceret accessit: verum cõsultatione habita, Annam à Iesu, vt preęsset, & duas alias moniales secum misit, quæ à D. Anna de Pennalosa (cuius rogatu opus illud instituebatur, & ditabatur) liberaliter sunt exceptæ. Monasterium condunt, & Deus ab omnibus laudatur.

Sexadecima fundatio Granatæ.

Vltima fundatio Burgos. 46. Ad supremam tãdem fundationem peruenimus; etenim post modicum tempus, à D. Catharina de Tolosa per litteras sancta Virgo Teresia excitatur, vt Burgos veniat, quia ab Vrbe iam venia obtenta, condendi Monasterium, expectatur; Frigescebat, & audijt à Christo. Ne frigus expauescas, ego quippè sum verus calor, Dæmon quoad potest, enititur ne Monasterium Burgense condatur, è contrario, tu pro me vires tuas exerce, tu ipsa omninò proficiscere, magnus enim inde prouentus existet. Festinat vna cum socia Anna, à S. Bartholomeo, & septem alijs, postridie festi Circuncisionis anno 1582. discedens Burgos 26. Ianuarij multis exãtlatis laboribus peruenit. Eucharistia recreata, faucium morbo cruciabatur, vnde nihil traijcere potest.

Se-

Sequenti nocte, ecce vertigo molestissima, vomitus vehemens, & asperiora faucium vlcera ad ipsam sanguinis execrationem vexantia. Non tamen à curis vacabat. & superatis difficultatibus omnibus inter Ciues, & Archiepiscopũ empta est domus, & annuente ipso Episcopo, die 9. Aprilis 1582. ritu solito Monasterium S. Ioseph erectũ est; cui Thomasinam Baptistam laudabiliter præfecit, & Deo commendatum discessit.

47. Hic haud prætermittendum duximus S. Virginis cultum in venerabile Eucharistiæ sacramentum, & sanctorum venerationem. Ex quo enim ab ineunte proposito austerioris vitæ, in ipso Incarnationis Monasterio, quotidie cœlesti illo pane ali cõsueuit. Et à quacũq; veniali culpa, etiam prius consciẽtiam mundare non repugnauit. Mira sunt quæ in accessu ad celestem illam mensam percipiebat, sentiebat, gustabat. En quot coluit sanctos, speciali deuotione, S. Iosephum, S. Albertum, S. Cyrillum, omnes Ordinis sanctos, omnes Angelos, peculiariter Custodem, Patriarchas, S. Mariam Magdalenam, decẽ millia Martyres, S. Ioannem Baptistam, S. Ioannem Euangelistam, S. Petrum, S. Paulum, S. Augustinum, S. Dominicum, S. Hieronymum, S. Regem Dauid, S. Franciscum, S. Andream, S. Bartholomeum, S. Iob, S. Gregorium, S. Claram, S. Mariam Aegyptiacam, S. Catharinam Senẽsem, S. Catharinam martyrem, S. Stephanum, S. Hilarionem, S. Sebastianum, S. Vrsulam, S. Annam, S. Elisabetham Hungaricam, Beatissimam Virginem, quæ vt Sanctorum Regina in Cathalogo inferiorum scribenda non venit.

Deuotio, & amor erga Eucharistiã.

Deuotio ergo quosdam sanctos.

48. Dum ergo Abulam iter dirigit; Albam, petente Ducissa D. Maria Enriquez, irè decretum est, curru grauiter affecta, deliquio vehemẽti agitatur; vix cibo reficiebatur, pridie festi S. Matthæi Apostoli, Albam vesperi peruenit, lassata nimis ad quietem est inuitata, sequenti die sacro interest, Eucharistiam sumit, denique alternis vicibus exurgẽs, cadens, in die S. Michaelis post sacrum, & Eucharistiã fluxu sanguinis debilitata, lecto decubuit. Triduo ante mortem Virgines, prudentissimis, & saluberrimis consilijs ad-

Infirmatur grauiter.

monere cæpit, pridie festi S. Francisci, Eucharistiam vesperi postulat, ingrauescēte morbo ad interritū, ante Viaticum expectatissimum, commissis manibus, postremis verbis, Virgines illas affatur, & rogat, per Dei amorem in Regulæ, ac constitutionum obseruationem impensè admodum incumbant: allata Eucharistia, etsi veluti Paralytica iaceret sine vllius adminiculo, se confestim erexit, & facies solito pulchrior facta, candidus ille cygnus sub morte diuina canere cępit. ò Domine Iesu, ò Sponse mi, aiebat, tempus iam tandem optatum accessit; æquū est, vt iam te videam. Tempus est mi Domine ex hac vita migrem. Fiat obsecro iuxta placitum tuum: venit demum hora, qua hoc exilio eripiar & te fruar, quem tam ardenter expetiui: sæpè repetens gratias ago, quod sim Ecclesiæ filia peccatorum, veniam impense precabatur, &; vt id obtineret astantium preces enixè postulabat, & præsentibus Virginibus, Regulæ, & constitutionum obseruantiam, quasi testamentum expressæ voluntatis recordabatur. Sed cum iām penè interriret, alta cum demissione illa verba vsurpabat. Ne proijcias me à facie tua, & spiritum sanctum tuum, ne auferas à me. At dimidium versum illud Cor cōtritum, & humiliatum Deus non despicies, singulari sensu, donec animam efflaret, repetere non destitit. Vnctionis extremæ sacramentum poposcit, ac reuerenter precibus respondens excepit. Totam noctem doloribus afflicta peregit. Proximoq; die Christi crucifixi effigiem manu tenens, quam donec sepeliretur nunquam deposuit. In latus incubuit, & posito vultu orare non desinebat; Ità suspensa vsq; ad horam noctis tertiam permanet, die verò quarta Octobris anno 1582. ætatis suæ 68. animam illam sole splendidiorem exhalauit.

Monitio extrema Teresiæ.

Singulari præparatio ad mortem.

Moritur suauiter.

49. Remansit Virginis corpus, mira pulchritudine, & odoramentis refertum: Sacræ Virgines Matre orbatæ lugebant inconsolabiliter: Quarum vna olfactu amisso, ad pedum eius oscula sensum recuperauit. Eodem actu altera, quæ capitis, ac oculi dolore grauiter laborabat, sanitatem recepit. Quod cuidam etiam quaternis annis dolore capitis vexatæ accidit. Tandem proximo die, pro illius oppidi

Miranda ad eius corpus.

di exiguitate Virgineũ corpus solemni ritu sepulchro conditum fuit. Visa sunt lumina Cœlestia supra Templi tectum in Choro, ac propè cellam sanctissimæ Virginis. Auditus est strepitus magnus plurimorũ qui candidis vestibus amicti, festiuissimè sanctæ Virginis Teresiæ cellam ingressi obeuntis lectum abierunt. Hi autem erant Martyres illi decies milleni quorum festum B. Teresia celebrabat; promiserant enim hora obitus se accursuros, & eam in Cęlestẽ Aulam deducturos; Non defuere etiam qui ipso mortis momento, Albâ quasi columbam ex ore Virginis prodeuntem videre. Alij qui lucem Christallo similem iuxta cellæ fenenestram prospexere.

Visio decẽ millia Martyrũ.

50. Ad eius sepulchrum tenero quodam affectu Virgines frequentia reuerenter accedunt, vbi si fortè somnus obrepisset, strepitu excitabantur ad orandum. Odor continuus & suauis diebus festiuis ab ipsa cultis efflabat. Post nouem menses Iulij 1583. conditorio aperto, integrum corpus, & odoratum, vnà cùm vestibus reperit P. Prouincialis. Manum præciderunt, Olyssiponem mittentes. Anno verò 1585. die 24. Nouembris Abulæ sanctæ Virginis corpus delatum est. Brachio cum manu ad solatium Monialium Albæ relicto. Sanguis eius per annos tres maduit tanquam recens. Cara hæc pignora mirificis ornamentis, vti decebat, asseruata hactenus custodiuntur. Ad omnes suspicationes Euellendas consultum est, die Circumcisionis 1586. sanctissimum corpus per Medicos peritos, & prudentes reuisendum; vt ne balsamo conditum, an Dei virtute integrum, & odoratum maneret; dignosceretur: Episcopus aderat, qui excommunicationis gladio fodiẽdũ esse reuelantẽ indixit. Hęc Abulę.

Noua mira ad eius sepulchrũ

Abulam defertur.

Probatio miræ conseruationis.

51. At Albæ cogitatum est de repetendo Virginis corpore, à Duce Antonio de Toleto, & D. Fernando, quare summi Pontificis iussu discalceatis Patribus sacrum corpus in Priorem locum restituendum fuit 23. Augusti 1586. Alba, & Abula certantes Sixti V. præcepto corpus Albæ remansit. Stella splendore ad mensem præindicauit Albæ transferendum corpus. Odor, & liquor adhuc mirificè promanant. Exuitur, & induitur corpus illud prodigiosa incorruptione conseruatum.

Repetitur corpus.

52. In

Miracula. 52. In morte Monialis cuiusdam, lux in sepulchro Virginis insolitè est visa. Tempore silentij frangentes monebantur interdum, ternis in Cellæ ostio ictibus. Pluribus fratribus pluries, & sanctimonialibus item inter splẽdores apparuit. Miracula innumera silentio præterimus, quæ Dei omnipotentiam, & admirationem in sanctis prædicant; & nequeunt breui scribentis compendio perstringi. Pius lector longioribus quidem, & pijs exarratam S. Virginis Teresiæ vitam perlegat apud Episcopum Turiasonensem, P. Franciscum Riberam, & P. Ioannem à Iesu Maria; à quo sæpius, & verba, & sententias, & ordinem, & seriem, elegantissimi sui Compendij, compendiosius, prout à pia Matre Teresia instillatum nobis fuit, accepimus. Ipsa pro nobis oret, & in necessitatibus nostris nos audiat, & exaudiat, ante Deum intercedendo.

Excusatio

NOTA.

Illud præmittendum; S. Teresiam è viuis quidem in Cœlum migrasse die 4. Octobris, vt supra; sed summo Pontifice concedente, publicè, & in ordine apud Discalceatos Patres, ne D. Francisci solemnia impedirentur, die 5. Octobris colitur.



VITA
B. MARIAE MAGDAL.
De Pazzis Virginis Carmelitæ,
Ex ea, quæ à D. Vincentio Puccino excerpta.

Moritur die 25. Maij anno 1607.



N ſexu fragili Beatæ, & admirandæ Virginis Mariæ Magdalenæ de Pazzis fortitudo, nouiſſimo hoc ſeculo, nouiſſimo hoc loco, quaſi ad operis Coronidem ſuccedit contemplanda. Acta eius quæ ſcribere aggredimur rem ipſam illuſtrant. Prolusio.

1. Maria Magdalena nobiliſſima Virgo, ſplendidis orta Natalibus, Camillũ Gerium de Pazzis, & Mariam Laurentij Bondelmontis Parentes habuit, oritur Florentiæ inclytæ Hetruſcorum Ciuitatis die 2. Aprilis anno 1566. ſacro fonte leuata, Catherina nomine inſignitur. Huius infantia à Matre ipſa pulchritudine, & ſuauitate extollitur, quemadmodum eiuſdem pueritia, grauitate quadam, cum deuotione fulſit. Chriſtiana pietate, morum lenitate, & ſpiritus ardore in Deum Deiparamq; Virginem, & Religioſos viros maxima diligentia educatur. B. M. Magdal. ortus.

2. Septennis in Pauperes adeò propenſa, vt puerile ientaculum, & antecenium ipſis ſæpiſſimè erogaret. Orationes Dominicam, Angelicam, & Symbolum, rudes pueros, etiam agricolas, diligenti ſtudio, edocebat. Confeſſarius ei fuit P. Andreas Rubeus è Societate Ieſu, à quo in oratione mentali, auxiliãte P. Gaſparis Loartis libello, accuratè inſtruebatur. Vt Deũ ſolum tutè cõtẽplari poſſet, ſolitudine ſummopere delectatur, cæterorum conſortia ſæpiſſimè fugiens. Venerabili ſacramento cùm iam decimum ageret annum, de confeſſarij aſſenſu paſci, cæptum eſt. Huius odore ſæpiſſimè, Puellaris ætas. Deuotio.

mè,

mè, & ipso fumentium olfactu recreabatur. Quinta feria pentecostæ hebdomodæ dum sacrum hoc epulum, ad Animæ delitium suauiter contemplaretur, Virginitatem suam, Virgini Agno perpetuò deuouet. Ab hoc sanè tempore vndenna facta sacræ mensæ, vt se benè prepararet vigilijs, Ieiunijs, orationibus, & disciplinis iugiter incumbebat. Imò vt cùm Christo Crucifixo capite pungeretur, spineam corollam capitisflio, integra nocte, imposuit, & detulit.

Propensio ad Religionem.

3. Cortonam Tusciæ Ciuitatem Parentes eius administrationis gratia adire coguntur; & Puela Catherina Monasterium S. Ioannini, P. Petro Blanca societatis Iesu cohortante, aducanda ingreditur; quo loci maximum religiosæ indolis exemplum, sacramentorum frequentia, & mentalis orationis vsu Monialibus præbuit. Huic, Ascensionis Domini die, orationi intentæ, diuinæ bonitatis cognitio tanta communicatur, vt nimio ardore incensa æstuare, videretur. Moniales verò illius captæ virtutibus, apud illas commanere, Religionis habitu indutam, frequenter ipsam rogabant. Quibus diuinum responsum expectãdum respondebat. Reuersis Parentibus, ritè functa commissa administratione, Puella quoque sacro loco educitur, domũ petit, & de connubialibus vinculis ipsam pertẽtant; At inconcussa libentius dicebat, decollatam mori, quàm matrimonio iungi. Huius rei summa patri spirituali eius demandatur, & duobus monasterijs propositis, cui vult adhereat. Diuino acta spiritu Carmelitarum Monialium Monasterium S. Mariæ Angelorum, ob quotidianam venerabilis Altaris sacramenti, frequentiam delegit; diebus 15. apud illas commoratur, quo breui temporis spatio, Moniales omnes ad sui amorem allexit. Propriam domum, coacta à Parentibus repetit, & tribus mensibus apud illos commoratur. Tandem an. 1582. quo B. Teresia è viuis excessit, se claustro consepelinit Christo; vt dùm altera Cælo nascitur, altera terris moriatur. Sabbatho ante Dominicam Aduentus, die Conceptæ Virginis. Decemb. 8. votis fauorabilibus ad Religionem de more acceptatur. Die verò 30. Ianuarij anno 1583. Religiosæ Carmelitarum familiæ sacrum induit habitum, toto lætante

N ubere negat.

Habitum Carmelitarum induit.

Mo-

Monialium cætu, in ipsa sacrorum indumentorũ actione tãta perfunditur suauitate, ac animi lætitia, vt Crucifixo Christo se, suaq; studia, suaq; officia deinceps sit pollicita.

Nouitiatus.

4. Nouitia Magistræ suæ plenè semetipsam tradidit erudendam. Expleto anno professionis emittendæ, de more, vehementi tenebatur desiderio; sed re in aliud commodius dilata tempus, vt cum alijs quibusdam profiteretur Virginibus; interim frequenti vexatur tussi, & acribus vret febribus, itaut in discrimine vitæ versaretur. Consultum est ad animi solatium, solam professionem emittere. Quod præstitit anno 1584. die 27. Maij; qua emissa, lectulo decumbens, petit quiete donari; Abscedunt Moniales, & in Deum rapitur spatio duarum horarum, & paulo post, nullis adhibitis medicamentis, conualescit. Negauit à Nouitiatu dimoueri, aut singularitate aliqua recreari, quod omnibus admirationi fuit.

Professio.

Scriptores actorum B. Magd. deputati.

5. Aduertunt Superiores in venerabilissimi sacramenti quotidiana refectione mente ad excessum rapi, iussa est obedientiæ præcepto, vt reuelationes omnes, quibus passim fruebatur communicaret Religiosissimis Virginibus Vangelistæ Magistræ suæ, & Mariæ Magdalenæ de moris, quæ iuramento ligantur, vt acta omnia sororis Mariæ Magdalenæ scriptis fideliter tradant, Reuerendo Confessario ostendant strictissimè præcipiuntur. Quod quidem postea, maxima adhibita diligentia, præstiterunt,

Videt animam in Paradiso.

6. Anno 1584. vndecimo die Iulij rapta imaginaria visione, Animam sororis Mariæ de Bagnesijs florentinæ iam demortuæ, dum ad eius sepulchrum oraret in Paradiso, lucis Solio incomprehensibilis eleuatam vidit. Illa in humanis maxima fulsit sanctitate, vt in eius vita testati sunt Patres Alexander Capaulius ordinis Predicatorum, & P. Siluanus Razzius.

Abstinentia perpetua.

7. Monasterij laboribus occupabatur, dum anno 1585. die 21. Maij repleta Deo, prosternitur, quid à me Domine? inquit, & reuelatum est ei, solo pane, & aqua futurum, vt vesceretur, diebus verò festis quadragesimalibus Cibis vti conceditur; & hoc pro quotidianis peccantium excessibus:

 osten-

ostensum item est ei abijcientium terrena propter Deum, singulare præmium. Psallebat alternatim, sequenti die rapitur, & clamat, adsum, adsum; ad dimidium horæ semimortua iacet. In proximo verò nouo excitatur raptu, & audit. sequenti luce pane, & aqua vtere, ne auertam â te oculos meos; & singularis Angelorum custodia, eximiaq; B. Virginis subsidia promittuntur. Post dimidium horæ responsum dat, Non moriar sed adimplebo opera tua. Negabat hanc reuelationem dare: at in Mensa appositos cibos nunquam sumere valet, vomitu impediente: re cognita, conceditur solo pane, & aqua vesci. Huius autem victitandi modi obseruantiam incepit die 25. Maij an. 1585.

8. Sub idem tempus rapitur spatio duarum horarum silentio pressa assurgit, & quid ei reuelatũ præcepto adstringitur. Torquetur in responso. Tandem inquit, Deum Patrem spiritualia ei iniunxisse exercitia. Hæc autem talia, vt pane, & aqua reficiatur; vt nocturna quies horam quintam non excedat; vt mansuetudinis, veritatis, & iustitiæ verba omnibus præbeat; vt omnem effugiat curiositatem; vt memoria tantum retineat accepta â Deo beneficia; vltimò, quod in tẽtationum lacum ad quinquennium descensura erat à die Pentecostes: à quo liberanda foret, Deiparæ Virginis, S. Augustini, S. Angeli Carmelitæ, & S. Catharinæ Senensis auxilio. Statim horrendę Dęmonum imagines obijciuntur ei, pauet, clamat, rogat adiuuari, & liberatur.

Visio mirabilis.

9. Subinde à Iesu Christo tèr vocatur. Veni Sponsa, veni, veni; audit, solo immobilis hæret, & lata sunt ei 20. præcepta, in reliquo vitæ obseruanda.

Precepta iniuncta illi.

1. In omnibus Puritas quærenda, ac si verba, & opera suprema forent.

2. Zelandum esse super omnes Animas, quarum cura illi commissa.

3. Nemini consilium dandum, nisi à Crucifixo Christo prius obtentum.

4. Neminem reprehendendum esse, nisi reprehendendus inferior esset.

5. Verba sincera, vera, grauia, & adulatione immixta,

Chri-

Christi exemplo proferenda esse.

6. Inter æquales, suauitas, & grauitas æquentur pondere, ne fiat excessus.

7. Actiones, magnetis ad instar, mansuetudine, ac humilitate, astantium corda rapiant.

8. Charitatis exercitia in omnes explenda omni abiecta lassitudinis excusatione.

9. Omnia omnibus fieri studendum, vt omnibus auxilio prosit.

10. Apud seculares serpentis prudentia, apud Religiosos columbina simplicitate procedendum.

11. Passionibus dominandum Imperio Dominationis Iesu Christi.

12. Infirmandum cùm Paulo, omnibus infirmis.

13. Neminem priuandun bonis suis, etiam potestate facta, nisi cum meditatione Dei intuentis corda.

14. Ordinis Regulam ac Christum æstimandam, cum à Christo per eam ad vitam vocemur.

15. Minorari ab omnibus optandum, quemadmodum alios præcedere abhorrendum.

16. Animæ solatium, totum in humilitate, ac sui ipsius despectu.

17. Animæ desideria, ac Dei sacramenta nemini aperienda nisi ad præscriptum.

18. Memorandum cui deuincimur, in operibus, & desiderijs nostis.

19. Ante communionem orationibus præparanda est Anima, iteratis vicibus, ante ven. Sacramentum.

20. In quolibet opere Animam in Deum transformandam esse.

Quibus habitis, à raptus dormitione statim excitatur, & Deum per omnia secula laudat.

Acclamationum excessus miri in illa, in quibus mille, modo ad Deum, modo ad Crucifixum Iesum suauissimæ prodibant Iaculatoriæ. Conscientiæ examen ante Dei conspectum, præclara mentis puritate habêt.

10. At [illegible] pulsat admirabilis raptus, quem à vigilia

Raptus octo dierũ. lia sacræ Pentecostes die 8. Iunij, anno 1585. summo mentis excessu, per octo dies passa est. In ipso enim Spiritus sancti Charismata hora tertia varijs modis retulit singulis diebus accepisse, innumerasq; vidisse visiones. Vocatur autem eadem hora tertia talibus veni sponsa, cui responsa dabat, ecce venio, venio cito, cito venio, & illicò rapitur per octo dies ad supernas contemplationes.

11. Die 16. Iunij sanctissimę Trinitati sacro post admirãdum illum octo dierum raptum imaginariæ visionis, lacum leonum infernalium, hoc est, tribulationum, & tentationũ ingreditur. Et quemadmodum à D. Iesu quina acceperat dona, 1. vulnera animæ; 2. coronam spinarum; 3. spirituale connubium; 4. cor Iesu Christi; 5. Diuinæ puritatis participationem: Ità quinis tentationibus, illisq; grauissimis, cæpta est vexari. Videlicet infidelitate, superbia, sensualitate, mentis caligine, & gulæ appetitu. Diris insuper dæmoniorum vexationibus, visibili quadam forma, sæpissimè torqueri visa est. Quare anno 1586. in S. Margheritæ festo, rapitur, & ei reuelatum cognoscit, nullo cibo, spatio dierum 15. Dominicis exceptis diebus, nisi sacro Altaris Pane esse recreandam: Quod superiorum concessu explet. Nec omittendũ, dæmoniaca flagellatione spatio horarum quinq; acri modo percutitur, nec deficit, Deo iuuante.

Tentationes.

Admiranda facta.

12. Sub idem tempus, nobilis Puella Catharina nomine malis Genijs infesta diuq; possessa, ante conspectum Virginis Marię Magdalenæ à matre mœstissima adducta, dum ipsam loquentem audit, verborum sonitu statim liberatur, dęmone fugiente. Prædixit itèm supremam Pontificatus dignitatem Archiepiscopo Florẽtino, tempore quo Priorissa Conuentus creanda erat, & de eius breui duratione præmonet. Hic autem fuit Leo. XI. Videt die quadam D. Iesum facie in ipsam turbatum, in genua procidit, & dolet; Idem ter accidit, & solatur. Quandam B. Virginis Imaginem anaglyfico opere sculptam, suppliciter orat, vt inter vlnas eius puellum Iesum pręstare dignaretur, ò mirum dictu, obtinet, & ea statim percurrit loca, in quibus iratum vidit D. Iesum; in quolibet æterno Patri filium offert, vt ei placatum

red-

reddat. Primò loco, dixit. offero tibi sanctæ Pater filium, quem ab æterno genuisti, & mihi in terram misisti. secundò loco. Offero tibi æterno Patri filium tuum, quem ab æterno tenuisti, & in sapientia tua generasti, & propter miseriā meam, & misericordiam tuam, in terram misisti. Vltimo tandem loco, offero tibi filium tuum, æternæ Pater, quem post resurrectionem eius, ad te attraxisti, & ad dexteram tuā collocasti. His habitis Puerum Iesum sculptæ reddit Imagini Mariæ, omnibus astantibus Monialibus, omnibus orantibus, videntibus, & admirantibus.

13. Anno 1587. quinta Iulij ei per excessum mentis reuelatum, vt nudis pedibus, & pannosis vestibus induta incedat. Assentit, & superiorum nutu explet. Dein per schedulam in manibus sculptæ Virginis Deiparæ idem promittit, & toto vitæ cursu, it obseruatum. Eodem ferè tempore sororem conuersam membrorum attractione diù vexatam præsentia visitat, imaginem B. Virginis inter brachia deuehens, signat ipsam signo Crucis, melius statim se habet, & sanitate donatur. Inuidet ei dæmon, & corporeis afflictationibus ferè ad mortem pręmit. Suffucatione strangulat ipsam, clamat vix, morior. morior. Accurrunt Moniales, nec valent; tribus horis, diuexata dæmoniaca visione. Accedit tandem B. Virgo Maria, & candido humeris eius adaptato velo ipsam solatur, ipsam liberat. Verùm Dęmon Moniali habitu assūpto vt ei illudat, adhortatus est ipsam; vt ab austeritate tanta resiliat, non enim gratā dicebat Deo; horret Virgo, & Priorisse consilio Dęmonem expellit. In profesto SS. Apostolorum Simonis, & Iudæ.

Reuelatio aca mira.

14. Tempore quo laruis inseruiunt homines orat flexa S. Virgo, rapitur, & ecce ei Christus, eadem sanè forma, qua à Pilato ostensus Iudæis, cùm dixit, Ecce Homo; qua perterrita visione, suauissima facta meditatione, canit, Fasciculus mirrhę dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. His ità peractis, paulò post iterum ostenditur ei Iesus, in infantilitate, & à B. Virgine Maria conceditur inter vlnas adorandum, quo circa robustior euadit, & tentationibus omnibus, quib. sæpissimè vexabatur fortius resistit. Hyems

Visio passionis & infantilitatis Christi.

erat,

erat, & nimio rigebat frigore: cui vt occurrat prudens Priorissa, iubet meliorem induere vestem, quæ ex eleemosyna ei largiebatur: obedientia victa, hoc artificio, frigori resistit.

15. In Vigilia S. P. Augustini post Completoriũ rapitur, & ei hora matutinali adest D. August. qui alternis vicibus officium ipsum, persoluere cæpit. Visione terminata, ad communionis locum se transfert, flexa tandiù Patrem spiritualem orando expectat, quandiù sacræ refectionis desiderium, quo rapta tenebatur explet. Sub eandem refectionem tentatur Gula, desperatione, superbia, propria existimatione, inobediẽtia, & alijs; at viliora Monasterij exercitia executioni mandans, humilitatis ergò, & Monialium dein oscula pedibus figens in Refectorio, nedum libera euadit, sed S. Ioannis Euangelistæ, & S. Catarinæ senensis præsentia solatur. Post hæc interno quodam affectu, in Deum excitata Religiosis à Iesu Christo induitur vestibus, & confessione communi recitata cæpit dicere. Domine non sum digna. Dein videntibus omnibus consocijs Religiosis sacro Iesu Christi corpore refocilatur; Hac sacra peracta refectione, dicit: Dilectus meus candidus, & rubicundus. Speciosus forma præ filijs hominum. electus ex millibus, diffusa est gratia in labijs tuis collocauit se in Anima mea. & alia multa pietatis plena.

Tentationes nouæ.

Consolatur mirificè.

16. Et curationum, & miraculorum gratia mirabiliter fulsit B. Maria Magdalena. Dolium diffusum vinum continens, pulsante Monasterij pauperie, benedictionis signo restituit; quo quidem à religiosa Virgine Angela de Santucijs hausto, illicò febrem, qua vrebat, pulsat. Rapta de more, videt Animam cuiusdam sacerdotis, è Purgatorij pęnis lætanter egredientem. Demum crebris vexata tentationibus in die Annunciationis Dominici verbi misterijs meditatis, & sancto Didaco ab ea sępè inuocato solatur: dein cum à spiritualium virtutum exercitijs nũquam deflecteret, plenam consequitur liberationem.

Miracula.

17. Barbara de Bassis eiusdem Cęnobij Virgo, cum diù membrorum omnium contagio laborasset, medicorum ope-

Miracula.

opera destituta, de illius salute desperabatur. Ad eam se confert B. M. Magdalena consalutationis gratia, ad eius aspectum, in spem venit salutis; se orationibus illius maximo fletu, commēdat, sancta Virgo Charitatis vrens flammis, affecta elingit mēbra; & egreditur; egreditur inquam, & ad infirmam ingreditur sanitas. Sub idem quoq; tempus conuersa nomine Pace Colombina, altera corporis parte attracta lāguens, nullum ei remediū humanū, Virginem sanctam rogat, vt D.N. Iesu signo Crucis, affectam partem munire dignaretur; etsi charitate impulsa, tamen animo resistente, quid agēdum dubia, Deum rogat, Crucis signaculo signat, & illicò è lectulo consurgit, exilit, & ad publica Monasterij exercitia sana se confert an. 1589.

18. In ipso orationis raptu, iam demortuæ cuiusdā Virginis Animam Paradisum introeuntem videt, & exclamat, Abi soror mea. Abi soror amica ad Paradisi delitias, & suauissima congratulatione, alia plura subdit. Quod & de alterius sororis anima, idem contigisse fertur. Interim quinquennio expleto, in sacræ Pentecostes nocte, eo tempore, quo Te Deum laudamus, in Matutinis canitur, à tribulationum pressuris, & Dæmonum tentationibus validissimè liberatur: Quare lætitia exuberans, cæpit dicere. Eripuit me de manibus inimicorum meorum, & ipsi confusi sunt. Transiui per ignem, & aquam, & eduxisti in refrigerium. Iterum liberata rapitur, & in Dæmones inuehit. Feria secunda Pentecostes, ei D. Iesus apparuit, & sub triplici forma contemplatur. Primò, dum infans fertur in Aegyptū. Secundò, dum inter Doctores in Tēplo disputabat. Tertiò, dum in Caluario Crucifixus moritur, & in qualibet visione pulcherrimas habet meditationes.

Visiones.

Liberatur à quinquēnali tentatione.

19. Anno sequenti 1590. vitæ spatium impetrat R. D. Augustino eius confessario moribundo. Atq; sorori Cherubinæ Rabate Virgini professæ fœdo vlcere laboranti sanitatem mirabiliter confert. Rem ordinatè ab exordio referemus. Laborat, inquam, ista immedicabili morbo, nouissimus decurrebat Decembris dies, cum in communionis refectione, diuinitus sācta Virgo M. Magdalena vltimò reser-

Infirmās sanat.

uatur loco. En mirum. Infirma cum facra fynaxis vtriq; eodem tempore, miniftratur, fperat, commenfalis auxilio in menfa ipfa Altaris fanitate donari.ò rem ftupédam.communione refecta, melius cœpit haberi, & medicamentis relictis, breui tempore, fanatur. Idem Virgini Moniali Mariæ Benignæ de Orlandinis Elephātiafis morbo grauiter diuexata, contigiffe fertur. Videt Matris fuæ animam in Cœlum euntem, & aliam cuiufdam Sacerdotis Deo fruentem. Addamus fanctam Virginem M. Magdalenam cœlefti acta fpiritu futura contingentia, & prævidiffe, & prænunciaffe. Hæc eadem humilitatis gratiā, ità à Domino Deo affligi petit, vt etiam fpirituales confolationes ab ea dimoueātur. Anno fequenti, laborat fiftula in oculo graui, eadem Monialis Cherubina, orat in nocte, Virgo S. Magdalena, & liberatur. Paulò poft iterum infirma ad mortem in lectulum Virg. Magdalenæ defertur, & mirabile dictu, fanatur illicò.

20. De animarum falute S. Virgo vehementi pulfatur defiderio, & fæpifsimè pro ipfis orat. Infirmis confororibus auxilium præftat, & tāta in omnes fulget charitate, vt Profeffarum Puellarum cura, à fuperioribus ei tradātur. Ijs mirabile fanè eruditionis exemplum, & fanctitatis præbet. Zelo ardet pro Dei honore, pro venerabili Altaris Sacramento, pro frequenti orandi modo, pro fubleuandis peccatoribus, pro arcendis, & propulfandis peccatis. Hoc humilitatis dono fupra modum ornatur. Superiorum reuerentia in ipfa admiranda. Aequales fufpicit, & honoris gratia flexa fæpius eafdē rogat proprios defectus illi aperire non dedignentur. Imò terram, quam pedibus calcabant inter lachrymas exofculatur, fibi firmiter fuadens, confororum orationibus diuinam euafuram vltionem. A Virgine quadā prudenter interrogata, num aliquo follicitaretur animi pruritu inter collata à Deo bona, vel potius laudum, aut vanægloriæ moleftaretur titillatione. Cui prudētius; Qui gloriatur in Domino glorietur, non enim qui fe ipfum cōmendat illę probatus eft, fed quem Deus commendat.

Magiftra profeffarum.

21. At illud, humanum fuperat captum. Quod eftafi, & mente in Deum rapta, opera acu, miro artificio elaborata

fæ-

sæpius, visa est ad exitum feliciter perducere; quod & de pictis sanctorũ imaginibus, quas mirificè repræsentabat, etiã inter dẽsas tenebras, nulla præeunte luce, imò velatis oculis, & clausis Cellulæ fenestris delineabat, iuratæ idẽ affirmãt Moniales omnes. Puritatẽ mentis, & corporis adeò coluit, vt sæpius diceret, Deum præmia Religiosis conferre, ad puritatis pondus; quare ipsam vehementi spiritu sororibus inculcabat, vt Deo, quomagis claræ, magis placerent. Ardebat tandem internè ignito voluntatis Dei explendæ desiderio, vt sensibus alienata, in Deum solum oblectaretur, pro cuius amore, Regularis disciplinæ obseruantiam, ad præscriptum votorum, & Instituti Regularum, mira edit diligentia; adeò vt ei nihil contrarij vnquam ad peccatum commiserit.

Rapta est orat etiã liberat.

22. Infirma quædam Monialis, dùm Animam agebat anno 1598. ad eius cubile orat S. Virgo Magdalena, & ipsam ab Angelicis choris expectari videt. Suffragijs associatur, & eãdem aurea circumamictam veste, in cęlestibus respicit. Sub idem tempus Nouitijs præficitur Magistra, quo in officio quantum Charitatis, ac pietatis operibus fulserit, aurea monita, Religiosa præcepta, Tirrunculis Puellis in dies collata declarant. Virtus inerat ei, vt dum oculorum aciem in aliquam figeret, vel eandem ad peccatorũ compunctionem cõmouebat; vel inter ipsas sollicitudines mirè recreabat. Propheticus spiritus eius in Puellarum acceptatione, vel instructione, vel moribundis ipsis, ex prædictionibus liquidò apparebat. Multa, ne multus sit sermo noster consultò præterrimus.

Magistra nouitiarũ.

23. Eodem anno die 4. Aprilis rapitur mentis excessu, & B. Luigium Gonzagam inter sanctos lætari videt, cum quo suauiter plura, & mira de eo profert. Dolium euaporatorum vinorum iterum signo Crucis sanat. Anno 1602. Religiosa Virgo Catherina Ginoris calculari morbo tribus annis laborat, medicamina omnia superflua, ad exitum vitæ perducitur; orat B. Virgo M. Magdalena pro ea, & statim lithiasis calculus exit. Per annum cùm dimidio, Ischiade (lumborũ est morbus) dirè vexatur nobilis Virgo Mag-

Visio sanctorum.

dalena de moris, dum autem feria sexta penosæ hebdomadæ oraret B. Virgo M. Magdalena, rogauit ad eius præsentiam deferri, obtinet; & illam supplex efflagitat pro sanitate obtinenda; Orat B. Virgo Magdalena, & statim liberatur. Alia quoq; Monialis Catherina de Chellis in brachio, fœdo vlcere, cruciatur, ad B. Virginem Magdalenam se confert, hęc brachium fascijs exoluit, & plaga detecta, signat ipsam, & paulò post consolidatur.

Sanat infirmas.

24. Infirmatur quidem S. Virgo M. Magdalena, & in Asthmate suspiriosa capit esse. Tussi, ac difficili vexata respiratione, valdè debilitatur; At officijs, & exercitijs suis vacare non desistit, imò impensius laborat: cogunt ipsam Superiores inualescente infirmitate, lectulo decumbere; Paret eis, & die 2. Augusti tussis, vnà cùm sanguinis excretione vehementius ipsam adhorritur; itaut de eius salute sit desperandum Medicis. Planctu repletur Monasterium, vndique Virginum lamẽtatio personat; ipsa verò omnes solatur, eis se superuicturam promittens. Estasi leuatur, & accipit reliquum vitæ eius morbi vexatione complendum; cui cùm nihil optatius, acceptum diuinæ clementiæ refert. Expectat igitur majori in dies grauari infirmitate, vt patientiæ Corona fulgentius mereretur ornari. Morbus inualescit, ardentior fit febris, & doloribus vehementius cruciatur, ipsa verò in gratiarum actione persistit. Vix cibo recreari valens, cibus ipse pęna erat. Capitis dolor continuus, & grauis, die Veneris intensior. Lamentabatur aliquãdo, & de ipsa lamentatione, num offendisse Deum, petebat; perculsaq; timore, num salua fieret anima sua instabat. O imitandum exemplum.

Eius infirmitas grauis.

25. Anno quinto à grauedine infirmitatis, ad supremum vitæ cùm peruenisset, supremi quoque diei illius memoriam assidua mortis meditatione versabatur; Integra mente, extrema vngi vnctione, de more Catholicorum petit, quare die 13. Maij, anno 1607. à deputato Patre spirituali, sacro delibuta est oleo, versibus, & orationibus responsa dando. Superuixit 13. diebus, quo spatio, suauissima præstabat colloquia, de Cælesti Patria, de Dei amore, de spirituali vitæ,

læ, de Religiosis exercitijs, de Deipara Virgine Carmelitarum Matre, de Sanctis ordinis, de Claustralium votis Deo promissis, alijsq; dulcissimis sermonibus. Interim Diaphoretici, vt aiunt, sudores, nũquam intermissis doloribus, è macie morientis Virginis corpore, diffluere non cessant. cõfluunt ad eius lectulum, lachrymis absorptæ Virgines omnes; orationes à toto conuentu multiplicantur ad Deum. Demùm die 24. Maij ad animæ commendationem ventum est. Sub idem tempus petit S. Virgo ad Viaticum sacratissimum Christi corpus, vt cùm Iesu dulcius moriatur; quare dùm medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu, medium iter haberet, Verbum Dei sub panis specie, à regalibus Sacerdotis manibus, sanctissimè collatum est ei. Assurge mens, & calamo instilla, quo spiritu, quo affectu, quo amore, Anima morientis Virginis vnitur Christo; sumpto viatico, monialibus omnibus orantibus, facie quidem pulchrior apparet, serenior mente, & tranquilliori spiritu in Deum eleuatur. Supremum agens spiritum, iussa est per nuntium, expectare Patrem spiritualem; vt eius interfsit migrationi, subridet, & quę sine voce, clara voce kimat; Benedictus Deus. & morti morientem eripit. Mœstissimus interim aduenit Sacerdos; & vnà cum Religiosissima Virginum corona, ad decidentis Virginis lectulum appellit. Verba statim deficiunt, membra rigescunt, & oculi in Crucifixum Iesum intenti caligant. Fugit mens, fugit consilium; singultus, & lachrymæ communis comploratus. Flexæ Deũ, Deiparamq; Virginem moribundæ Virgini adesse rogant; Die Veneris, hora, qua D. Iesus spiritum in Patris manus tradidit, Religiosa Virgo Maria Magdalena supremum in Iesu Christi manus egit spiritum. Virgineum corpus nimia pulchritudine affectum, miram instillat sanctitatem, & eximius ab eo manat odor. Quanto autem affectum fuerit mœrore sacrum illud Carmeli Collegium tanta orbatum luce; deficit manus scribere, & penna mẽtem interpretari nequit. Moritur anno ætatis suæ 41. die 25. Maij 1607. à Religione 24.

Moritur.

Miradum in morte.

26. Sacrum Virginis Corpus in capitularem locum, maxima

Sepultura

xima

xima reuerentia, delatum est, feretro floribus vndiq; circumornato. Monialium singulæ ad oscula extrema lachrymis effusæ procedunt. Orationes, Hymni, Psalmi de Carmelitici instituti more decantantur. De laudibus iàm demortuæ sanctæ Virginis consolatoriã, mæstissimis Virginibus, oratiunculã R. Confessarius hora 22. eleganter habuit. Sequenti verò die in exteriori Ecclesia S. Mariæ Angelorum populi conspectui venerandum Virginis corpusculum exponitur; Commouetur vniuersa Ciuitas, & Populus it veneratum illud. Certatìm omnes, de sacri corporis ornatu, aliquid surripere tentant. Dein hora diei extrema, Sole ipso cadente, propè altare Maius sanctę Virginis Carmelitæ speciosissimum, pretiosissimum Pignus, decenti quidem honore, sepulturæ traditum est. Vrbanus 8. P. M. in album sanctorum ipsam retulit venerandam die 8. Maij An. 1626.

NOTÆ

Ad vitam S. Virginis M. Magdalenæ de Pazzis Carmelitæ.

1 POst emissam Professionem, mentis excessu rapitur, venerabili Altaris Sacramento recreata spatio dierum 40. Quibus in excessibus de Deo vno & Trino, de Verbi diuini Incarnatione, de Deiparæ Virginis immensa plenitudine, de Angelorum mirabilibus, de Sãctorum fruitione, de vita, miraculis, & Christi Passione, de Eucharistico Pane, & alijs, Theologizantium more: mira suspiciebat, mira fruebatur; Prout in secunda parte vitę eiusdem plenius D. Vincentius Puccinus.

2. Sacro Annunciationis die anno 1581. tanto Animæ feruore rapitur, dum verba illa, Verbum caro factum est, attento spiritu meditabatur; vt D. Augustinus, post diuturnam horarum intercapedinem, ei appareret, & in eius corde, eadem verba, litteris aureis, & sanguineis, ad stuporem inscriberet.

3. Feria 2. hebdomodæ sanctæ plagarum D. N. meditatione extollitur, & ante Crucifixũ Iesum in genua procumbens, dilatatis brachijs rogat, Absconde me bone Iesu in vulne-

vulneribus humanitatis tuæ: Apparet ei Christus, cui paulatim adhærens dixit, oculi mei maneant in oculis Misericordiæ tuæ. Aures meæ in Auribus tuis, vt intelligant, & comprehendant vocem sponsi mei. Os meum in ore tuo, vt os meum loquatur, quod mecum sponsus loquitur. Pectus meum in pectore tuo, dilecte mi. Manus meæ non in manibus tuis, sed in cauerna sponsi mei, vt sint participes cooperationis eius. Venter meus in ventre tuo, vt præsens sit, & particeps cooperationis ordinationis, quã operatur charitas in Cella vinaria. & multa, ad Deũ Patrem dixit. Quare in hoc raptu, Anima eius vulnerata est, igneis vulnerum radijs, ad modum Crucifixi Iesu; licet postea externè non apparuerint. Raptus quinq; horarum duratione.

4. In quinta feria eiusdem hebdomadæ penosæ eleuatur spiritu in Passionis D. N. meditatione die 11. Aprilis anno 1585. & fit pœnarum, atq; dolorum D. N. particeps, eo tempore, quo in Crucis stipite animam efflauit.

5. Estasim 26. horarum patitur; meditatur D.N. Passionem, & vehementi pœnarum eius cruciatu, profunda humilitate torquetur.

6. In Profesto S. Catharinæ Senensis anno circiter 1585. spiritu eleuata, populorum peccata, ei spatio horarũ trium adspicienda proponuntur. Horret, & clamat circumdederunt me dolores inferni; Dolores inferni circumdederunt me, comedit me dolor inferni pro multitudine iniquitatum nostrarum. & alia plura, quam ab eodẽ Puccino recitantur.

7. Die 4. Maij sequentis anni vocatur ad excessum veni vnigeniti sponsa, verbum ab eo promissum executioni est mandaturum; ad oratorium accedit, & D. Iesus apparens ei, spinarum sertum, Virgineo capiti eius imponit, præsentibus Deipara Virgine, S. Augustino, S. Angelo Carmelita, cuius pro festũ celebrabatur, & S. Catherina Senensi. Auctas edit meditationes, vt in vita eius.

8. Eodem anno excessum mensti patitur spatio 40. horarum ob sepulturæ D. N. memoriam, & in vehementi illa animi abstractione, Iesus cor suum infundit pectori eius; visibilem se ei prębet in monumento iacentem, & è monu-

men-

mento exsuscitatum: Dein accendentibus S. Angelo martyre Carmelitano, & S. Catharina Senési, completorij Pensum alternatim in sero persoluunt. Ibidem p. 2. cap. 8.

9. Eodem item Anno rapitur, & eam docet D. Iesus puritatem quatuor modis adquiri. 1. Abnegatione sui, & temporalium. 2. Amore Dei, & rerum diuinarum. 3. Munditia corporis, & sensuum. Vltimò, humilitate.

10. In Vigilia Ascensionis D.N. colloquium inter Christum in Cœlum ascendentem. & Mariam Matrem eius, vna cum reliquis Apostolis admirabili quidem mētis illustratione, & spirituali Animæ visione, piè meditatur.

11. Diebus quatuor integris rapta spiritu manet; & reuelata sunt ei admiranda mysteria, & præclara sacramenta, relata à R. Puccino.

12. In die Dominico 3. Aduentus fuit in spiritu, & B. Virg. Mariam in medio SS. Angeli Martyris Carmelitæ, & Ignatij Loiolæ vidit; ab Ignatio de humilitate plura; ab Angelo B. Virginis habitu induto, eximia de paupertate percipit. Quibus peractis, sibi reddit, & Laudate Dominum omnes gentes recitat. Purgatorium subinde aspicit, & Animam fratris sui dolens cognoscit.

13. Ob maximā erga Deiparam Virginem deuotionem in Assumptionis eius Vigilia per 12. horas integras, de Assumptionis eius laudibus, cum ipsa Matre Dei sermonem habuit.

Pie Lector innumera consultò omittimus; ne te molestia afficeremus. Laus sit Deo, & incarnato Verbo D. N. Iesu Christo, Deiparæq; Virgini Mariæ, & omnibus Sāctis Protectoribus meis, quorum auxilio opellam hanc ad exitum perduxi. Vos Cœlitæ Carmelitæ, quorum studio, pietate, & bono animo laboraui, vos me, & hoc quidquid ingenij, ac stili est, in peccatorum, ac culparum mearum remissionem accipite, flexus rogo, & Deo summo vna cum corde, & pennā, benignitatis aura offerte.



MENOLOGII
PARS ALTERA,
Antiquata continens, ſed auſpice Deo, ſuo tempore, reſumenda feſta.

LECTORI SINCERO,

Et vniuerſis Carmelitici Inſtituti RR. Patribus, & Fratribus omni veneratione colendis.

Fr. Petrus Thomas Saracenus de Bonon. S. T. D. omnium Carmelitarum minimus.



VETVSTAM Romani Imperij magnitudinem, ac amplitudinem, qualem iam olim, & quantam ipſa Vrbis ruinarum fragmenta penè ad ſtuporem cóclamant, & vetera direptæ molis rudera, arte collecta, ſuperba Regum Palatia ſplendidiora reddunt: Quorundam noſtri Inſtituti Sanctorum Acta, quaſi orientalis Imperij ruinarum fragméta hactenus propoſui, vt auitam ſacræ noſtræ Religionis magnitudinem, ac amplitudinem in Dei Eccleſia, qualem ab exordio quantumuè fuiſſe plenè teſtarentur; Nunc verò quaſi diſſipata ſacrorum ædificiorũ rudera, non aliena ſed propria, de induſtria colligimus: ea ſanè mente, vt in primo cultu, noſtri Carmeli maieſtas; ac veterum eremitarum Patrum noſtrorum culta deuotio, quadam refulgeant ſerenitate: & ritus inſuper ſanctiſsimi Sepulchri D. N. Ieſu Chriſti, à Carmeli cultoribus ſanctiſsimè obſeruati, priſtino reſtituãtur nitori, ac ſplendori. Non innouamus temerè, ſed aſſueta olim nunc bellorum turbinibus diſſueta, infideliũ perſecutionibus obſoleta, & temporum iniurijs mille annorum ſpatijs expugnata, abraſis Rubricis, deletis notis, omnia omnino

ferè deperdita, de offusa tenebrarum caligine, in pulchram perennitatis lucem, aliquo modo & piè suademus, & bona fide, reuocamus. De M. Claudio Marcello, Syracusa expugnata, fertur, nihil vrbis secū asportasse in ædibus, nihil in Hortis posuisse, nihil in Suburbano; putauit .n. vrbis ornamenta, si domum suam non contulisset, domum suam vrbi ornamento futuram, Cic. 4. in ver. ornamentorum alienorum nihil in Carmelo nostro ponimus; putamus enim Carmelum ipsum, vniuerso orbi præclarū ornamentū esse.

Petri Castellani Gerardi mōtensis ΕΟΡΤΟΛΟΓΙΟΝ, Syntagma de festis Græcorum Antuerpiæ excussum, superioribus annis, vidimus, & rubore suffusi; heu dolentes inclamauimus; Græcorum ergo prophana festa memoria, repetuntur, innouantur; iucundissimè verò sacræ nostræ familiæ recordationes, obliuioni mandantur? Dùm itaq; ardenti rerum nostrarum flagraremur incēdio, vetustissima quædam, ad solatium selegimus, quæ primæuo illo aureo, dein ferreo tempore, iuxta ritum Sanctiss. Sepulchri Hierosolymitanę Ecclesiæ ab Eremitis Patribus nostris terram sanctā inhabitantibus, in qua alma nostra Religio sumpsit exordium, maxima celebrabantur veneratione, & illa modo ob oculos vestros, qua valemus breuitate, ac sinceritate, bono animo, subijcimus. Rogatos interim in Domino vehementer cupimus superiores nostros, quorum interest, in generalibus comitijs, præindicata ordinis nostri festa, pristino restituere candori, & vbi temporum edacitate vel amissa, vel dimissa periere, in Carmelitico agro, pro Deo, pro Religione, pro munere, repubescere, omni diligentia, curent. Senescunt omnia, potentioribus remedijs, iuuenescant, oportet. Hoc idem sæpius laudatissimæ memoriæ viri in ordine nostro sacræ lucernæ, B. Hilarion eremi cultor, An. 300. B. Ioannes 44. Hierosolymorum Patriarcha anno 400. B. Bertholdus primus Latinorum Generalis anno 1128. B. Ioannes Soreth an. 1466. Vener. M. Baptista Mantuanus 1513. M. Nicolaus Audet an. 1524. M. Ioannes Baptista Rubeus anno 1570. zelo zelantes pro Domino Deo exercituum, Deiparaq; Regina nostra, Regulis, statutis, ordinationibus,

Rubri-

Rubricis, atq; sanctionibus indefessè, maxima cùm laude, tentarunt, & maximo animarum nostrarum fructu, præstitere, vt Carmelus noster tandem vna repræsentaretur Religionis facie, vna cōseruaretur interpolata sāctitatis forma.

SYLLABVS SECVNDÆ PARTIS.

Festorum iurè filiationis repetendorum, cùm Notis.

1. De Sacratissimo nomine Iesu die 14. vel 15. Ianuarij non impedito.
2. De pretiosissimo Christi sanguine, Fer. 5. vacante post oct. Visitationis.
3. De corona spinea. Fer. 6. vacante post oct. Paschæ.
4. De Quinque plagis D. N. Iesu Christi.
5. De Resurrectione D.N. Iesu Christi Dominica proxima ante Aduentum.
6. De SS. Patriarchis die 6. Octob.
7. De Parentibus B. Virginis Mariæ Ioachim, 16. Septēb. Anna 26. Iulij, & Ioseph Sponso eiusdem B. Virg. die 19. Martij.
8. De Sororibus B. Virginis Mariæ, Cleophæ, Iacobi, & Salomæ, die 25. Maij, ex Capitulo Generali Lugduni 1342.
9. De Conceptione Immaculatæ Virg. Mariæ, die 8. Decēb.
10. De Commemoratione solemni B. Virg. Mariæ de monte Carmeli.
11. De S. Basilio, die 1. Ianuarij.
12. De S. Magdalena, die 22. Iulij.
13. De S. Ludouico Galliarum Rege, die 25. Augusti.
14. De Antiphona Salue Regina M. M.
15. Cathalogus Sanctorum, ac Beatorum sacri ordinis B. Mariæ Virg. de monte Carmelo.

De Sacratissimo nomine Iesu.

1 FEstum sacratissimi Nominis Iesu, celebrabatur die 14. vel 15. Ianuarij apud nostros. Duplex maius. De

hoc festo Molanus ad Vsuardum talia. De Nomine Iesu, ordinationem festi, & officij per Clemente septimum, cum annotatione Indulgentiarum ab eo concessarum an. 1530. excudebat Antuerpiæ Michael Hillenius an. 1534. vnico quaternione. Apud Carmelitas, ad ritum sanctiss. Sepulchri Hierosolym. Ecclesię olim festum totum duplex in antiquis Breuiarijs, vnà cũ Missa: in moderníoribus abrasum est officium relicta Missa pro voto; Carmelitæ discalceati idem officium extensum resumpserunt approbatum à Clemente octauo. incipit. Ad primas Vesperas. Ant. Omnis qui inuocauerit nomen &c. cũ Hymnis, antiphonis, lectionibus, responsorijs proprijs, vt in Kalend. sanctorum Ord. B. Mariæ Virg. de monte Carmelo, iuxta vetustum officium an. 1609. die 28. Iunij.

De Sanguine Christi.

2 FEstum pretiosissimi Christi sanguinis celebrabatur in ordine nostro feria 5. vacante post octauam Visitationis Dominæ nostræ; vt in Rubricis ordinalis Reuerendissimi Ioan. Bapt. Rubei, officium totum duplex. eius tamen dispositionẽ in Breuiario nõ reperimus. Habetur verò in Conuentu Mantuæ dispositum ad normam illius Ecclesiæ; Missam in Missalibus reperire non valuimus.

De Corona spinea.

3 FEstum Coronæ spineæ D. N. celebrabatur in ordine nostro fer. 6. vacante post Pascha immediatè, vt in vetustis Breuiarijs, & Missalibus, hoc ordine. Cap. Accipite armaturam Dei, &c. Hymn. Pange lingua gloriosi, &c. Oratio. Deus, qui pro salute mundi. quod officium ab Alberto magno compositum, testatur Molanus ad Vsuardum in Annotat. & pronunciari cæptum S. Ludouico Rege. Ait enim; Parisijs, susceptio sacræ spineæ Coronæ Domini ab infidelibus, per B. Ludouicum Francorum Regem feliciter ereptæ: quę honoratur in sacrosãcta Capella Palatij Regis, Parisijs;

Hæc

Hæc illa Carmelitæ discalceati idem officiũ resumpserunt, iuxta ritum antiquum, alio quidem modo, per totũ dispositum, Ad Vesperas Ant. Milites Præsidis; cùm reliquis Antiphonis de Laudibus. cap. Egredimini, & videte &c. Oratio. Præsta quæsumus omnip. Deus, &c. Anno 1609. concedente Paulo V. P. M.

De Quinque Plagis D. N. Iesu Christi.

4 FEstum quinque Plagarum ex vetustissimis Ordinalibus, Breuiarijs, & Missalibus, singulis sextis Ferijs alio festo non impeditis, extra Aduẽtum, Quadragesimam, & tempora anni, in ordine Carmelitico obseruatum fuisse, non dubitamus. Missam quinque Plagarum habemus, officium verò non inuenimus; Festum tamen ex antiqua Patrum nostrorum traditione, maxima in toto ordine colebatur celebritate; Quod in quibusdam alijs Religionibus obseruatum aduertere, licet.

De Resurrectione D. N. Iesu Christi.

5 FEstum Resurrectionis ex vetusto Carmelitarum Breuiario, sanctiss. Sepulchri Ecclesiæ Hierosolymitanæ, cuius titulus. Breuiarium fratrum Carmelitarum venustioribus typis excussum, quàm vnquam à fratre Iuone Leuaillant Theologorum minimo recognitum, & ad vetus ordinale, ità emendatum, vt omnibus viam orandi facilem, & antiquo Patrum ritui cõsonam exhibeat. Parisijs an. 1439. colebatur. Rubrica talis est, Dominica proxima ante Aduentum Domini fiat de Commemoratione Resurrectionis Dominicæ. secundum vsum, & consuetudinem Ecclesiæ S. Sepulchri Hierosolymitani ab Antiquis Patribus approbatam. Sabbat. ad Vesp. Antiph. Benedictus. Psalm. ipsum, Capit. Christus resurgens ex mortuis. Respons. Dũ transisset. Hymn. Chorus nouæ Hierusalem. Versus. Surrexit Dominus. Ad Magnif. Vespere autem Sabbathi, &c. Oratio. Præsta quæsumus omnipotens, & misericors Deus; vt in

Resurrect. D. N. Iesu Christi. Reliqua ordinatè habentur ad Matutinũ, & horas, quæ breuitatis gratia sufficit innuisse. Breuiaria aliqua, vna cùm quibusdam ordinis nostri memorijs, etiam manuscriptis, in Bibliotheca nostri Conuentus Bonon. reposuimus adseruanda, in capsula quadam depicta, & claui clausa.

De SS. Patriarchis.

6 FEstum SS. Patriarcharum Abraam, Isaac, & Iacob, erat nouem lectionum, iuxta ritum sanctissimi Sepulchri Eccles. Hierosol. & die 6. Octobris colebatur à Carmelitis, hoc modo. Ad Vesp. Capit. Scriptum est, quoniam &c. Respons. Dum staret. Hymnus. Annue Christe, &c. Vers. Lætamini in Domino. Ad Magn. Fulgebunt iusti. Oratio. Deus, qui nos voluisti exemplis Patriarcharum tuorum Abraam, &c. Reliqua disponuntur iuxta ritum veterum Patrum Eremitarum montis Carmeli, vt in Breuiarijs illis, de quibus supra.

De Parentibus, & Sponso B. V.

7 FEstum Parentum, & Sponsi B. Virg. Mariæ vetustissimum apud Carmelitas, ob reuerentiam erga Dominam nostram. De S. Ioachim die 16. Septemb. de S. Anna die 26. Iulij, & S. Ioseph, die 20. Martij, solemni officio, antiquitus in toto ordine, vna cum Missa, concelebratio maxima, longè antè decretum Gregorij 15. Pont. Max. Imò Sodalitas in ordine nostro in honorem S. Annæ Parẽtis B. Virg. vnà cùm Indulgentijs, ab Innocentio 8. concessis, instituta fuit. Palconid. lib. 3. cap. 14. Atque inter suffragia consueta, seu commemorationes communes, tam in Dominicis, & ferijs, quàm in festis semid. simplicibus, & simplicifs. in Vesperis, & Matut. Laud. erat suffragium, seu commemoratio S. Annæ Reginæ nostræ Parentis.

De

De Sororib. B. Virg.

8 FEstum Sororum B. Virg. Mariæ Iacobi, & Salomæ à priscis Patribus nostris, solemni ritu, celebrabatur. Nostrorum enim semper tantus fuit ingenuus pudor, cum obseruantia coniunctus erga B. Virg. vt in Generali Capitulo Lugduni celebrato, die Pentecostes, anno 1342. publicè statutum, & approbatum fuerit (ex notis Paleonid. lib. 3. cap. 11.) per Reuer. P. M. Petrum Raymundi de Grassa, in die S. Vrbani 25. Maij piè concelebrandum festum sororum B. V. Mariæ.

De Conceptione Deiparæ Virg.

9 FEstum Immaculatæ Conceptionis B. Virg. apud Carmelitas semper insigne, semper cultum: Tùm quia vetustum in eodem ordine; tùm quia Doctores Carmelitæ immaculatæ Conceptionis propugnatores acerrimi; Tum demum, quoniam scriptis, pro illius defensione in arenam feliciter descenderunt. Horum antesignani sunt Mag. S. Petrus Thomas an. 1370. Ioãnes de Bassano 1340. Michael de Bonon. an. 1416. atq; innumeri alij, qui de hoc sacro festo egregiè scripsere; vt videre est apud Ferdinãdum Quirinum de Salazar Iesuitam, de Concept. cap. 42. Franciscum Biuarium, in vindicatis Patribus. Cistерciensem Monachum. Bernard. Bustum 1. p. serm. 4. p. 3. Ioannem Priseum in auctoribus Carmel. Petrum Lucium Belgam in Bibliotheca Carmel. & licet Auctores huius festi exordium tribuant, primùm reuelationi factæ Abbati Herluino Monacho Becensi an. 1066. deinde promulgationi per S. Anselmum Archiepiscopum Cantuariẽsem; Nostri tamẽn semper & cognouerunt, & retinuerunt, & promulgare non destiterunt B. Virg. Conceptionem: Hinc anno 1303. in Capitulo Narbonæ, in Capitulo Tholosæ anno 1306. & in Capitulo Ianuæ 1309. ordinatum fuit Conceptionis festum solemniter celebrari in vniuerso Ordine nostro, vt in Histo-

storijs Ordinis attentè legentibus patebit. Fortè didicerunt à D. Iacobo minori Apostolo, & Episcopo Hierosolym. qui in lingua Syriaca per Syrios composuit sacram Liturgiam, in qua ordinauit, vt Sacerdos post consecrationem, alta voce exclamaret, & diceret. Memento præcipuè sanctissimæ, immaculatæq; super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ semperq; Virginis Mariæ. Cantores respōdebant. Dignum est, vt te verè beatam dicamus, Deiparā semper beatam, & omnibus modis irreprehensam matrem Dei nostri. Vide Apophtegmata SS. PP. F. Gregorij Gallicani Minoris Obseruant. cap. de Concept. in additionibus.

De Commemorat. solemni B. Virg. Mariæ de monte Carmelo.

10 FEstum Commemorat. solemnis B. Virg. M. de monte Carmeli sub dupl. maiori, vna cum octaua apud discalceatos Patres, quo tempore cæptum, aperiendū. Originem duxisse firmiter sanè credimus, anno 1226. post miram Regulæ nostræ confirmationem per Honorium 3. P. M. habitam, vt in S. Simonis Stock vita innuimus. Tunc enim temporis, gratitudinis ergo Patres nostri, die 16. Iulij, Romani Pontificis assensu, & concessione, singulis annis, solemnem B. Mariæ Virginis de monte Carmelo commemorationem, ritu perpetuò, cùm Processionibus, & indulgentijs, virorum, ac mulierum sodalitate ordinata instituerunt. Visum est hîc luculentissimum nostri instituti Cæremoniales testimonium apponere. lib. 1. Rub. 33. illud ità.

Commemoratio solemnis Gloriosæ Virginis Mariæ, quæ & festum B. Mariæ de mōte Carmeli appellatur; quod eius sacra Carmeli sodalitas in monte Carmeli fundata (quem locum ipsa in humanis agens, sua præsentia visitauit, & post eius mortem, ibi Ecclesia primaria ab eisdem Carmelitis fuit ei dicata) ob sui nominis, quo eam dignata est insigniter nobilitare, collationem; ob singularem in suos filios, fratrum, & confratum adoptionem; ob gloriosum sui habitus induitionē; ac ob infinita in ipsum suum ordinem

ab

ab initio, vsq; ad præsentem diem collata beneficia, solemniter celebrari meritò instituit.

Sed totam hanc Historiam plenius descriptam, & à sacra Congregatione Rituum Dominorum Cardinalium approbatam die 20. Iunij an. 1609. in matutinalibus lectionibus Breuiarij reformati, attentè legito.

De S. Basilio.

11 FEstum D. Basilij Cæsareæ in Cappadocia Episcopi in ordinem nostrũ ab initio, inuexit inueteratus amor: vnde apud nostros Patres duplici honore, singulis annis, ipsum olìm sunt prosecuti. Primò Kal. Ian. ob natalem sui obitus an. 378. Gratiano imperante, festum recurrebat, & post octauam Epiphaniæ translatum colebatur. Secundò 18. Kal. Iunij, quo die assumptus fuit ad Episcopatum. ea forte ducti ratione, quoniam Regulam ab Alberto Hierosolymorum Patriarcha traditam, ex scriptis eiusdem Sancti P. Basilij excerptam cognoscebant. Vtraq; solemnitas, duplici officio, cùm lectionibus eius vitæ olìm constabat.

De S. Maria Magdalena.

12 FEstum S. Mariæ Magdalenæ solemne quidẽ, & apud nostros memoratu dignum, siquidem eo die facta est mutatio Barati, in Pallium, antiquo more, album. Rem ab exordio breuitèr exponemus, ex speculo ordinis nostri, Ioanne Paleonidoro lib. 2. cap. 9. & Cyrillo Propheta Priore, & Presbytero mõtis Carmeli, in lib. de Peculiaribus gestis Carmelitarum ordinis cap. 7. & 8. Dum Christianissimus Eraclius, de prophano Cosdroe victoriam obtinuisset, reportata quoq; cruce Domini in Hierosolymam, ad propria redijsset, Rex Arabię Humar, cùm ingẽti Saracenorum multitudine, totam terram sanctam anno Domini 636. suo dominio subiugauit: quo tempore, pauci quidem respectu anteriorum temporũ, sed tamen probatissimi, nostræ Carmeli-

 meli-

melitice religionis monachi, dimissis Vrbium mãsionibus, in monastica vita ab Elia instituta, in eremis Carmeli, & alijs permanserunt: Attamen ipsi, sicut & cæteri Christiani terræ sanctæ, sub magno iugo tributorum, ad tempora vsq; Caroli magni steterunt, multis tribulationibus, cum Sophronio, vel Sophorino Hierosolymorum Patriarcha afflicti. Saraceni autem molestè ferentes habitum nostri ordinis albi coloris; cum solùm eorum Satrapæ albis vestirẽtur, coegerunt fratres, habitũ ipsum deponere; vnde Pallia barrata assumpserũt, in memoriam Pallij albi, quod ab Elia ceciderat Eliseo per ignem, à quo discoloratum est effectum. Hæc Cyrillus supra. Anno verò Domini 1274. ob decretum Concilij generalis Lugdunensis 2. quo inhibebatur ne quis de cætero nouum ordinem, aut religionem, vel habitum nouæ Religionis sine Põtificis Rom. auctoritate assumeret; ne decreto huic aduersari nostri viderentur, P. Petrus de Amiliano Prior Generalis ab Honorio 4. per D. Geruasium tituli S. Martini in Montibus Presbyterum Cardinalem, Pallium variegatum in album mutari, iuxta veterum Patrũ nostrorum antiquam consuetudinem, anno 1285. obtinuit. Cùm postea anno 1287. Patres nostri in Capitulo Generali in Monte Pessulano die S. Mariæ Magdalenæ celebrato, auctoritate Apostolica, Palliũ album resumpserint, vna cum Capucio, eo modo, quo nunc vtimur. Bulla est in Bullario Laertij Cherubini; & idem confirmatum habetur per Nicolaum PP. V. anno 1288. & Bonifacium octauum, pridie Kalen. Aprilis. In speculo ordinis f. 89. Hinc officium duplicis minoris in die S. Magdalenæ, ob tam præclarum factum, in vniuerso orbe, maxima cum lætitia celebratur.

De S. Ludouico Rege.

25 FEstum S. Ludouici Galliarum Regis, toto exultante Carmelo, à nostris colitur, officio duplicis minoris, eo quia Rex sanctus in Galliam ab oriente rediens, secum nostros traduxit Patres, & maximis ditauit muneribus. Testatur in sua Topographia sanctorum, D. Primus Episco-

pus

pus Cabilunensis 1450. his quidem verbis; Carmelus Syriæ Mons. Hic mansio Eliæ, & Elisei Prophetarum. Hinc Ludouicus Rex Galliarum in sua peregrinatione anno salutis 1245. trāstulit Carmelitarū ordinē in Gallias. Hæc ille.

c Non grauamur sancti viri Ludouici Regis Hierosolymitanam professionem ad verbum transcribere, à nostris in speculo Ordinis lib. 9. cap. 6. fide relatam. Beatus Ludouicus Rex Francorum Illustrissimus dilatationē fidei Christianæ, ardenti desiderio, cupiens. An. D. 1248. contra gentem incredulam cruce signatus, cùm magno exercitu transfretauit, & tādem ad Aegyptum applicans, famosam illā Ciuitatem Aegypti, quam Damiatam vocāt, an. 1249. fœliciter cæpit. Vlterius autem procedens ipse cùm suis captus fuit à Saracenis. Reddita itaq; eis Damiata, & copiosa pecunia pro sui suorumq; redemptione data, de captione liberatus, ad terram sanctam peregrè est profectus; qui sepulchrum Domini visitans, & cætera terræ Sanctæ loca perquirens montem Carmeli ascendens, propter laudabilem conuersationem fratrum B. Mariæ de monte Carmeli ibidem commorantium, eorū monasterium, ex deuotione visitare decreuit. Post modum audita Reginæ matris suæ morte, Baronum suorum consilio in Franciam redire acquieuit. Dum autem esset in mari tertia nocte, propè diluculum nauis deferens Regem retrocedendo ad Biralassum, iuxta montem Carmeli, bina impulsione, tàm fortiter est collisa, quod à Nautis, & alijs fracta, & protinus submergenda credebatur. Tanta ergo concussione excitati, & perterriti, quidam eorum clamauerunt, & alij sanctum Regem, genibus flexis, Deum deuotè orantem inuenerunt. cumq; omnes submergi indubitanter crederent, campanam monasterij fratrum B. M. de monte Carmeli, pro matutinis recitandis sonantē in auribus suis resonare senserunt, qua audita, pius Rex, cuius loci campana esset Monarchum diligenter interrogauit; & eam esse Monasterij fratrum B. M. de monte Carmeli, ex Monarchi respōso percepit; deuotione ergo genitricis Dei accensus Rex eius Monasterium tūc visitare promisit, si ipsa ab illa graui tempestate eum cum

suis liberare dignaretur: Tranquillitate ergo eius meritis & precibus, in mari subitò facta, B. Virgine eos à prædicto mortis periculo liberante, mox mitis Rex in Carmeli montem ascendit, & Matutinas fratrum magna cùm deuotione audiuit. Quibus dictis, pius Rex locum illum considerans humiliter, ac prædictorum fratrum titulo B. Mariæ V. in toto orbe terrarum, quo ad ordines approbatos, singulariter insignitorum, fama laudabili, & religiositate permotus, quosdam eorum natione Gallicos, à Priore dicti Monasterij obtinuit; qui itèm desiderabant sanctum sequi Regem, & de loco illo ante faciem persequentium paganorum fugere; etenim propter graues illorum incursiones, frequenter oportuerat eos hactenus Monasterium illud deserere, & se interdiù in saltu Carmeli abscondere, aliquando in Ciuitate Caiphas sese includere. Sex Fratres secum adduxit in Franciam, quibus Parisijs monasterium ædificauit. Hi verò alios ad Religionem admittentes, in diuersis Franciæ, & Alemaniæ partibus sui ordinis Monasteria construxerunt. Hæc ibi ad verbũ. Festum igitur S. Ludouici Galliarum Regis laudabili memoria à Carmelitis celebratur.

De Antiph. Salue Regina.

14 Melliflui Cantici, Salue Regina, à nostris Patribus, in singulis Monasterijs, & quotidianis Canonicis horis omnibus, & diebus Sabbati, pulsantibus Organis, maxima animi lætitia, ante B Virginis Aram decãtati, paucula adnotasse iuuabit, vt illius præstãtia cognita, toto cordis affectu, & animi deuotione, ardentioriq; conatu, Deiparam Virginem Reginam nostram, ore salutare, & corde inuocare nostri fratres in dies studeant. Origo, Augmentum Laudatio, Defensio, Miracula, Indulgentiæ, & quotidiana Carmelitarũ recitatio, Cantici Salue Regina argumentum compendio dabunt.



Ori-

Origo.

15 D. Ioannes Trithemius vir alioquin doctus, & pius, lib. de Script. Eccles. & in Chronico Hirsaugiẽsi, apud Franciscum Costerium Societatis Iesu, in præfatione meditationum B. Virg. ad Antuerpiẽse sodalitium eiusdem B. Virginis, inquit. Nobilis quidam, & Religiosus vir sacratissimæ Virginis cultui cùm primis addictus Hermanus contractus, Comes de Veringen Monasticam vitam professus, ad Regulam S. Benedicti in monasterio Sancti Galli conscripsit Canticum, seu Antiphonam, in Virginis Dei matris honorem sub annum Domini 1040. cuius initium est. Salue Regina mater Misericordiæ. Quod Canticum vsq; adeò statim Eccles. Proceribus, & Episcopis probatum fuit, vt cum priuatim illud recitandum populi sibi creditis cōmendarent, tum in Templis Religiosorum passim concinnendum proponerẽt. Hæc ille. Quare consonum valdè censemus, temporibus B. Gerardi Carmelitæ Episcopi Canadiensis sacrum hoc Canticum anno 1042. in ordinẽ Carmeliticum introductum fuisse. Curauit enim sanctus Episcopus in honorem B. Virginis nedum per Vngarici Regni Templa Antiphonam hanc deuotionis ergò decantari, sed & in omnibus ordinis nostri Monasterijs, quotidie recitari; quod ità ex sententia cessit; vt à nostris Fratribus, flexis genibus, septies in die recitent mellifluum Canticum. vide vitam S. Bertholdi f. 233. nu. 4.

Augmentum.

16 C Antico, Salue Regina, D. Bernardus incrementa fecit; etenim cum ipsum omnes palàm Deiparæ Virginis haberẽt cultorem, ait Costerius supra, eoq; delectatum Cantico Spirensis clerus audisset; cùm fortè apud eos diuersaretur, ad Templum Cathedrale sanctissimum virum inuitasset, eoq; maxima populi septo multitudine, in in Ecclesiam Virginis Matris ingrediente, hoc Carmen in

Dei Matris laudem elata voce decantauit, ipsomet B. Bernardo, ter positis gemibus, succinente; ò clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria; in cuius rei memoriam hæc ipsa verba tribus eneis incisa laminis, iisdem locis humi positis, etiam num Spiræ visuntur. Hæc de incremento.

Laudatio.

17 ENcomiastica huius Cantici laudatio apparet ex hoc, quod D. Bernardus, de quo supra, post annos circiter centum ab origine, hoc Canticum miris enarrauit præconijs, in eoq; nihil ipse reperit, quod Christo iniuriosum esset, nihil quod indignum Virgine, nihil quod à veritate alienum videretur: vnde de eo inter cætera, ità loquitur serm. 1. de Salue Regina. Dulce Canticum, nobilissimum melos, à summis labijs effusum venit, à Sanctis compositum, à Sanctis institutum, dignè frequentabitur etiam à Sanctis; & verè nisi à Religiosis, & affectione sancta feruentibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari, tàm est suaue ad gratiam, tàm fœcundum ad sensum, tàm profundum ad mysteria. Tale enim est, quod à nobis considerari, & discuti, prout dignum est, non valeat. ex eo autem quod suauiter sonat, mulcet affectum; & de sensuum vbertate mentem impinguat, & in sanctam sanctorum, Aduocatam scilicet nostram, dum eam quasi præsentem salutat, omnia interiora nostra medullitus inflammat. oportet enim vt nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus, & totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam deuotis precibus, exoramus. Agnoscit certè, & diligit diligentes se, & propè est in veritate inuocantibus se: præsertim his quos videt sibi conformes factos in castitate, & humilitate: si tamen charitatem adiecerint, & totam spem suam (post filium suum) in ea posuerint, & toto corde quæsierint, orantes, & frequẽter dicentes: Subueni Domina clamantibus ad te iugiter. Hactenus Bern. B. itèm Bonauentura ducentis annis (vt ait Costerus) post primum huius Carminis auctoré, idem Carmen pijs versibus, aut rithmis cele-

lebrauit; & alijq; deinceps eruditi, sanctiq; viri, cum tot in Carmine isto affectus viderent, insignesq; laudes Matris Dei scripturis non repugnantes, sed tanta Virgine dignas, illud Canticum tanquam diuino spiritu datum, vbiq; per Romanam Ecclesiam approbarunt, prædicarunt, receperunt, totisq; quingentis annis magno consensu in Templis vsurparunt, & nihil in eo nisi sanctum, verum, pium, religiosum, obseruarunt.

Defensio.

18 Hinc maiores nostri deuotissimi, doctissimiq; Patres, in eius defensione plurimū desudarunt. intelligebant enim citra vllam blasphemiam nonnulla creaturis attribui, quæ propriè in solum Deum, aut Christum conueniunt; nempè quod quæ excellenter naturaq; sua in Deo sunt, aliqua ratione, sed imperfectè à creaturis participantur. Quomodo solus Deus bonus est, sicut Christus affirmat. Luc. 18. & tamen omnis creatura Dei bona est. 1. Tim. c. 4. Vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona. Gen. 1. solus Dominus ipse est Deus: scriptū est tamen; Ego dixi Dij estis. Ps. 81. Petra dicitur Christus. 1. Cor. 10. sed Petrus quoq; dicitur Petra. Matt. 16. Neque enim sumus ita ignari rerum, & vocum, vt nesciamus eandem vocem, diuersis rationibus, alijs alijsq; rebus accommodari. Homo est sanus, vrina sana est, at impari modo: Homo generat hominem, & sol, sicut affirmat Arist. sed dissimili operatione. Ità Deus bonus est, & homo; sed Deus essentia sua, homo qualitate. Pari modo Christus est vita, dulcedo, & spes nostra, qui vitam nobis, & omne bonum promeruit, donat & vsq; conseruat; sed vita quoque nostra illud dici potest, quod vitam conseruat, & recreat; dulcedo appellari potest, quod cōsolatur: & filij sunt spes expectatioq; parentum. Ità discurrit doctissimus Costerus. Quid ni igitur Virgo beata sit, & dicatur vita, dulcedo, & spes nostra, Regina misericordiæ, aduocata nostra? Quando enim permulti honorum, vel tituli, vel significationes creaturis alijs sine vlla Christi iniuria tribuuntur, quid-

ni

ni etiam potiori iure in Dei Matrem conueniant? Facessant igitur à Catholicorum societate, qui oppositum sentiunt. Plura, hoc argumento, congerit Petrus Canisius in Mariali, plura Franciscus Costerus, & alij docti viri aduersus derisores hæreticos Mariæ Deiparæ Virgini infensissimos hostes. Hactenus.

De Miraculis. Primum.

19 DE virtute, atq; Cantici huius præstãtia, nonnulla adducere laudabile. in libello, seu tractatu, qui dicitur, Vitas fratrũ Prædicatorum, edito à fratre Gerardo Fracheto, anno 1266. admiranda quædam referuntur, quibus apparet, quàm carum B. Virg. Mariæ sit Canticum, Salue Regina. Marsiliæ cantantibus fratribus ad Completoriũ, Salue Regina, mulier quædam spiritu rapta, quatuor mira vidit. Primum, cum fratres dicerẽt, Spes nostra salue; vidit ipsam Virginem Reginã resalutantem. Secũda, cũ dicerent, Eia ergo aduocata nostra; ipsam ante filium pro Fratribus procidentem, & orantem. Tertia, cùm dicerent, Illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte; illam læto, & columbino vultu in fratres respicientem attendit. Vltimò, cùm canerẽt, Et Iesum benedictum &c. vidit illam filium suum, in vlnis habentem, fratribus singulis maximo gaudio exhibere. 1. p. cap. 7. in magno Speculo exempl. & vitis fratrum Prædicatorum distinct. 7. exemplo 42.

Aliud 2.

20 INsigne referunt de quadam muliere, quę dũ ijdem Fratres Tarasconæ Capitulum Generale celebrarent apud Rodanum, & in Completorio Canticum Salue Regina decantarent, vidit B. Virginem visibiliter iubentem ei, ab eius pedibus non recedere; Manet iussa, & ipsam vtranq; chori partem lustrantem, & se singulis inclinantem cantantibus, & iuxta Cęroferarios gradum sistentem vsq; ad orationis finem; Dein in Cœlum migrantem, summo gaudio spectauit. Quod ter ei accidisse fertur. ibidem exempl. 43.

Aliud

Aliud 3.

21 DE Monialibus item fertur, quod cum eorum vineta, atq; arua, subita tempestate, dissiparētur, Canticum, Salue Regina, canere cœperunt; ò rem miram, sed ab eo factā, qui ventis imperat, & fulgura in pluuiam facit, salua intacta remanēt. Ibidem exemp. 44. simile huic apud D. Syluanum Razzium Camaldulensem.

Aliud 4.

22 TEmpore, quo Salue Regina, cœptum est publicari, nobilis quædam Mulier audiēs Moniales in Completorio Canticum ipsum suauiter canentes, vehemēter angitur desiderio, Antiphonam illam apud se retinendi ad recitandum. Anxiè orat, & en Auicula schedam, Canticum ipsum aureis notis signatum, continentem, ore defert, & ei offert, atq; auolat. Cœlico lætatur munere, & deinceps quotidiana eius oblectatur recitatione. Syluanus Razzius lib. 3. mirac. 14. Quod & Carmelitis Monialibus in Regij Lepidi Attestinorum Principum, Conuētu, tempore, quo B. Ioanna Virgo Monialis Carmelita in humanis degebat, contigisse fertur 1488.

Aliud 5.

23 CAnebant in Choro Patres Canticum, Salue Regina, dùm Iesum benedictū ore, & corde proferunt, adest eis B. Virgo, vna cum puero Iesu, dicens illis, omnibus audientibus; Psallite deuotè filioli; vobis enim Iesum filium meum, & in præsenti, & in futuro seculo, ostendam; & statim eis, Puerum, quem vlnis gestabat videndum tradidit. D. Siluanus Razzius Camald. lib. cit. cap. 15. ex traditione veterum Patrum nostrorum, in Ecclesia D. Martini Maioris Bononiæ apud Carmelitas, id euenisse accepimus.

Aliud 6.

24 SVmmis cruciatur doloribus in partu Mulier ad septem dies, & partu vix cadit: rogat D. Franciscum, vt ei præsto sit auxilio, ne penitus destituta pereat, rapitur mẽte, adest sanctus, vrget num Antiphonam, Salue Regina, recitare queat? affirmat; cùm ipso recitat, & statim remissis doloribus, feliciter enixa est. D. Syluanus supra.

Aliud 7.

25 CVm pridie solemniorum S. Sebastiani Mart. S. Virgo Teresia Incarnationis Monasterium Abulæ, superiorum iussu regẽdum suscepisset, statim piam gloriosiss. Virg. Mariæ imaginem in Priorali sede collocauit; Dùm autem in Choro Canticum, Salue Regina, cani inciperet, è cęlo descendẽtem B. Virginem, cęlorum Reginam, in eodem loco, Angelorum stipatam cateruis, quiescentem videt, Angelosq; sedium aliarum capitibus incumbentes, intentos conspicit; vbi cœli Regina Teresiæ, sic est effata. Rectè egisti, dùm me in hac sede collocasti, ego sanè laudibus, quæ filio meo hic reddũtur intetero, easq; illi ego ipsa offeram. Lib. 3. compend. vitæ illius.

De Indulgentijs.

26 HInc Romani Pontifices, Antiphonam, Salue Regina, deuotè recitantibus, Indulgentias cõtulerunt. Ioannes 22. singulis Canticum hoc dicentibus, 40. dies Indulgentiæ concessit. Videndus est P. Bartholomæus de Angelo Ord. Prædicat. Neapolit. in libello vernaculo sermone conscripto, cui titulus, Consolatione de' Penitenti, anno 1580. Greg. 13. pluribus in locis 100. dies concessit, vt videre est apud Carmelitas in Conuẽtu Bononiæ, diebus Sabbati cuiuslibet anni hebdomadæ.

Quan-

Quanti faciant Carmelitæ.

27 HOc sacrum Canticum adeò carum Carmelitis ab exordio fuit, vt in Capitulo Generali Barchinonæ anno Dom. 1324. in Cathalonia Hispaniæ Prouincia, in Pentecoste ordinatũ fuit, ob reuerentiam B. Virginis Reginæ nostræ, Antiphonam, Salue Regina, in horarum omnium, & cuiuslibet Missæ fine recitandam fore à Carmelitis vbiq; locorum; Item Gloria in excelsis, in omnibus Missis B. Virginis. Dein in Capitulo Generali habito in Monte Pessulano anno 1369. Decretum fuit, quod semel in hebdomada tempore Aduentus, vsq; ad Purificationem fieret de Domina nostra, pleno officio, sicut in Annunciatione, & commemoratione eiusdem B. Virginis. Item in Capitulo Generali Podiensi anno 1375. ordinatũ fuit, quod in qualibet hebdomada Quadragesimæ, præter in vltima, semel fieret de Domina nostra, consueto officio. Quod anno 1430. in Capitulo Generali Conuentus Ratisponẽsis, Prouinciæ Alemaniæ superioris; iterum confirmatum fuit solemne officium B. Virginis in Aduentu, & Quadragesima. In omnibus autem ordinationibus habetur præceptũ de Cantico Salue Regina, & in horis Canonicis, & in Missis, quæ non sunt pro Defunctis; & in singulis diebus Sabbati ante Aram B. Virginis processionaliter, vel recitando, vel canendo. Quod Virgine benedicta iuuante, ritu, & apparatu solemni in formatis Conuentibus, executioni plenè mandatur, ad Dei laudem, & Deiparæ Reginæ nostræ MARIÆ gloriam, & honorem. Hæc de Cantico, Salue Regina.

AD LECTOREM.

VIsum est hic in fine VRBANI VIII. Beatificationis Sanctæ Virginis Mariæ Magdalenæ approbationem ad verbum fideliter apponere; vt tãtæ Virginis sanctimonia fidelium cultus, supremi Capitis testimonio, in dies augescat.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



IN supremo Apostolicatus solio meritis, licèt insufficientibus diuina dispensatione constituti, ad ea, per quæ seruorum, & Ancillarum Christi honos, & veneratio in terris promoueatur, iuxtà creditum nobis desuper Apostolicæ seruitutis officium libentèr intendimus, votisque Christifidelium honorem, & venerationem huiusmodi respicientibus libentèr annuimus, prout conspicimus in Domino salubritèr expedire. Aliàs siquidem pro parte dilecti filij nobilis Adolescentis Ferdinandi Etruriæ sibi subiectæ Magni Ducis, ac dilectarum in Christo filiarum nobilium Mulierum Mariæ Magdalenæ Archiducissæ Austriæ, & Christiernæ à Lotharingia Etruriæ similitèr sibi subiectæ Magnarum Ducissarum viduarum, necnon Priorissæ, & Monialium Monasterij Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupat. in Burgo S. Fridiani Ciuitatis Florentiñ nobis exposito, quòd bonæ memoriæ Ancilla Dei Maria Magdalena de Pazzis Florentiñ Monialis multis, & eximijs virtutum & gratiarum, ac miraculorum donis à Domino illustrata fuerat. Nobisquè propterea pro parte eorundem Ferdinandi Magni Ducis, & Mariæ Magdalenæ Archiducissæ, necnon Christiernæ Magnarum Ducissarum viduarum, ac Priorissæ, & Monialium humilitèr supplicato, vt donec Canonizationis honor dictæ Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ ob eius excellentia merita, diuina aspirante gratia ab Apostolica Sede decernatur, eadem Ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, atquè Officium & Missa de ea, vt infra recitari, & celebrari posset. Nos re prius per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam mandaueramus, maturè discussa, de eorundem Cardinalium consilio, huiusmodi supplicationibus inclinati, vt ipsa Ancilla Dei Maria Magdalena Beata nuncupari, Officiumquè, & Missa de ea tanquàm de Communi Virginis non Martyris iuxtà rubricas Missalis, & Breuiarij Romani in omnibus, & singulis Ciuitatis Flo-

Florentin Ecclesijs, & hic Romæ pro tunc præsente anno duntaxat, in Ecclesia Sancti Ioannis Baptistæ nationis Florentinorum, in qua Beatificationis huiusmodi solemnitas celebranda erat in eiusdem Ancillæ Dei Mariæ Magdalenæ obitus, seù alia subsequenti non impedita die, à quibusuis Clericis, & Presbyteris tàm secularibus, quàm Regularibus recitari, & celebrari respectiuè possent, & valerent Apostolica auctoritate concessimus, & indulsimus, & aliàs prout in alijs nostris desuper in simili forma Breuis expeditis litteris, quarum Tenor præsentibus pro expressis haberi volumus, pleniùs continetur. Nunc autem supplicationibus dilectorum filiorum Generalis, aliorùmque Superiorũ, & Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Nobis humilitèr porrectis inclinati, De eorumdem Fratrum consilio dictam Beatam Mariam Magdalenam de Pazzis dicti Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Monialem, dùm ipsa vixit, fuisse, tenore præsentium declaramus, quodquè in omnibus Monasterijs, locis, & Ecclesijs dicti Ordinis in ipsius Beatæ Mariæ Magdalenæ obitus, seù alia subsequenti non impedita die, singulis annis, ab omnibus vtriusque sexus eiusdem Ordinis Religiosis Officium & Missa, & à confluentibus ad Ecclesias dicti Ordinis in alma Vrbe nostra, & in Ciuitate Florentiñ existentes, Missa dumtaxat de eadem Beata Maria Magdalena tanquàm de Communi Virginis nõ Martyris iuxtà ipsius Ordinis Breuiarium à Sede Apostolica approbatum, & rubricas Breuiarij ac Missalis Romani in futurum recitari, & celebrari liberè paritèr, & licitè respectiuè possint, & valeant, Auctoritate, & tenore prædictis concedimus similitèr, & indulgemus. Non obstantibus omnibus & singulis, quæ in dictis litteris voluimus non obstare, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides vbiquè adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariã Maiorem sub annulo Piscatoris, die vigesimatertia Aprilis 1627. Pontificatus nostri Anno Quarto.

V. THEATINVS. Locus ✠ Sigilli.

CATHALOGVS
Plurium Sanctorum, & Beatorum vtriusque sexus Eremitarum B. Mariæ Virginis de Monte Carmeli.

LECTORI CANDIDO.

NE te quidquam, Lector amice, ad nostri Menologij plenam cognitionem desiderare permittemus; Quorumdam vtriusq; sexus Sanctorum nostri instituti Cathalogum, è vetustissimis ordinalibus, Ritualibus, & Antiquis Breuiarijs Ordinis nostri Eremitici; item è speculo ordinis, Ioanne Paleonidoro in Trimeresto, Diego de Coria in dilucidationibus ordinis Carmelitici, Iosepho Falconio, Petro Lucio Belga, & alijs, selectum, congestum, adijcere lubuit; vt scias in Annalibus, quos in dies sudore paramus, illorum Acta pro temporum opportunitate fideliter describenda, Deo volente, & expectanda.

A

1 B. *Agabus.*
2 B. *Alolius Tarsensis.*
3 B. *Aloysius Siculus Mart.*
4 B. *Afra Virgo.*
5 S. *Albertus Patriarch. Hieros.*
6 S. *Albertus Confessor.*
7 B. *Amonius.*
8 B. *Alanus Generalis.*
9 B. *Antonius Vngarus.*
10 S. *Anastasius Martyr.*
11 B. *Anna Virgo.*
12 B. *Angelus Augustinus Florent.*
13 B. *Anastasia Virgo.*
14 B. *Andronicus Mart.*
15 S. *Angelus Martyr.*
16 B *Angela Virgo filia Regis Bohemiæ.*
17 S. *Andreas Epis. Fesul.*
18 B. *Athanasia Mart.*
19 B. *Archangela de Tridino.*
20 S. *Auertanus Confess.*

B

21 S. *Brocardus.*
22 S. *Bertholdus.*
23 B. *Basilides Rector Carmeli.*
24 B. *Bartholomæus Conf.*
25 B. *Bapt. Confess. Mart.*

C

26 B. *Caprasius Eremita.*

B. Ca-

27 B. Cariton Confess. Eremita.
28 S. Cyrillus Patriarch. Alex.
29 S. Cyrillus Græcus Confessor.
30 B. Cyrilla Virgo.
31 B. Carolus.
32 B. Contes Hugo Aluarez Hisp.

D

33 S. Damascenus Martyr.
34 S. Damascenus alius Mart.
35 S. Dionysius Papa, & Mart.

E

36 S. Elias Propheta.
37 Eusebius Episcopus.
38 S. Eliseus Propheta.
39 B. Euodius.
40 S. Eugenia.
41 B. Eusebius Episcopus & Mart.
42 B. Enoch Episcop.
43 S. Eufrasia Virgo.
44 S. Eufrosina Virgo.
45 B. Eusebia Virgo.
46 B. Effrem.
47 B. Eutichianus.
48 B. Episthemes.
49 B. Euticius.
50 B. Elenus.
51 B. Eutropius Episcop. & Mart.

F

52 B. Fronto.
53 B. Febronia.
54 B. Francus Senensis.
55 B. Fructuosus.
56 B. Francisca Monialis Britanna.

G

57 B. Gerardus Martyr.
58 B. Gerasimus.
59 B. Galatius Martyr.
60 S. Gregorius Nissenus.
61 B. Gaiana Virgo & Martyr.
62 B. Gregorius frater S. Basilij.

H

63 S. Hilarion Eremita.
64 B. Helisabeth.
65 S. Hyacinthus.
66 B. Henricus Gallus.

I

67 B. Ioannes 44. Patriarch. Hierosolym.
68 B. Ioannes Vannegas Hispanus.
69 B. Ioannes frater S. Angeli.
70 B. Ioannes Abbas.
71 B. Ioannes Cuzites.
72 B. Ioanna Regiensis.
73 B. Ioannes Vercellensis.
74 B. Ioannes Soreth.
75 B. Iacobinus de Creuacorio.
76 B. Ioannes Sanz Valentinus.

M

77 B. Marina Virgo.
78 B. Matrona Abbatissa.
79 B. Melania Iunior.
80 B. Melania Senior.
81 B. Machina Virgo.
82 B. Maria Monialis.
83 B. Maria Magdal. Virgo Florent.

N

84 B. Nona Virgo Abbatissa.

P

85 S. Petrus Thomas Patriarch. Martyr.
86 B. Petrus de Casa.
87 B. Paula.
88 B. Petrus Lemouicensis.
89 B. Petrus Sebastensis.

B. Pro-

90 B. Prothus.
91 B. Pelagia Monialis Virgo.
92 B. Petrus Cernouicbus Græcus.

R

93 B. Romanus Martyr.
94 B. Riosae Martyr.
95 B. Romana Virgo.
96 B. Romeus socius S. Auertani.

S

97 S. Simon Stock Anglus.
98 S. Serapion Episcopus, & Conf.
99 S. Spiridion.
100 B. Serapion Abbas mont. Carme.
101 B. Saturninus.
102 B. Sara Virgo.
103 B. Sincletica Virgo.

T

104 B. Tecla Virgo Monialis.
105 B. Theotista Cesbra.
106 B. Theodoricus de Alemania.
107 B. Thomas Valdensis.
108 S. Teresia Virgo.

Nota ex Ioanne Palconidoro lib. 2. cap. 9.

LIquidò constat, è Carmelo nostro Centum quadraginta millia vtriusq; sexus, infidelium gladio, & Barbarorum feritate, vitam propter Christum varijs temporum periodis, varijs in locis, varijsq; mortis generibus gloriosè amisisse. Vide vitam B. Bertholdi, cui hunc numerum reuelatum fuisse, tradunt nostri f. 237. nu. 10.





IN

INDEX

Seu quasi Synopsis rerum memorabilium, quæ in hoc Opere continentur.

A

Anjo-

C

Cano-

Coe-

Con-

D

E

Bc-

F

Sici-

Fron-

G

H

Ho-

M

Magda-

Scri-

N

Nico-

O

Petrus

Q

R

S

Sata

Tim.

Vir-

Z

FINIS.

Errata corrige.

Pag. 3. illo	illi	172. Cyrillum	Cyrillo
4 pueriliſ	puerilibus	179. Ammonem	Memnonem
8 perdebat	perdebant	182. verum cum	verum etiam
24 Eliſeus	Eliſeum	185. referta	relatæ
63 commoraſſè	commoratū eſſe	186. vindex Deus	vindice Deo
69 adhibet	adhibe	189 an 444	an. 454.
95. velas	vela	207 marmores	marmora
101 planieijs	planicie	210 demortui	demortuo
115 30 Octob.	14 Decemb.	219 iugibus	iugis
115. Mediterranus	Mediterraneum	229 faciem	facie
124. Hæc	Nec	243. quod	quos
125. Humo	Humi	254. Genouele	Genouefe
ibid quæ	qua in	272. innumera	innumeris
ibid. 16 Decemb.	14. Decemb.	276. deuincunt	deuinciunt
129. Hæc	Hæ	284. ac die	hac die
130. Vſepaſ.	Veſpaſ.	288 luſtratur	luſtrat
132. vagabant	vagabantur	256 elabere	elabi
135. exulatos	exules	302 qua	quæ
140 ſæuiſſima prędatione, ac depopulatione.	ſæuiſſimam prædationem, ac depopulationem	304. vindicatam	vindictam
		316. Tuneum	Tunetum
		326 militia	militiam
144. factitum	factitatum	332. ad vellas	vela
150. mancipios	mancipiaq; ſua	333. martyrum	martyrium
159. domi reuertitur	domum reuertit	352 ſolabatur	leuabantur
162 ementirem	ementires	377. ſeptennas	ſeptennis
168. nomen	nomine	391 menſis	menſis



